NICOLAUS SEBASTIANI SAC.

SUMMARIUM THEOLOGIAE MORALIS

The Catholic
Theological Union
LIBRARY
Chicago, Ill.

SUMMARIUM THEOLOGIAE MORALIS

NICOL. SEBASTIANI SAC.

WITHDRAWN

SUMMARIUM THEOLOGIAE MORALIS

AD CODICEM IURIS CANONICI ACCOMMODATUM

Editio Sexta Minor
(16.200 - 20.000)
RECOGNITA

The Catholic Theological Union LIBRARY Chicago, Ill.

240.2
S4435

TAURINORUM AUG. - ROMÆ
Ex Officina Eq. PETRI MARIETTI - Editoris
TYPOGRAPHI PONTIFICII ET S. RITUUM CONGR.
1921

PROVINCIA PRO STUDIIS TAURI S. S. CORDIS JESU.

ADPROBATIO PRIMAE EDITIONIS

—

Nihil obstat.

Fr. Ceslaus Ma Paban O. P. *Censor deputatus.*

Imprimatur.

Fr. Albertus Lepidi O. P. *S. P. Ap. Mag.*

Imprimatur.

Franciscus Faberi *Vic. Urbis Adsessor.*

V. Nihil obstat.

Taurini, die 23 Aprilis 1913.

Can. S. Ronco *Censor deleg.*

Imprimatur.

Can. F. DUVINA *Provic. Gen.*

ADPROBATIO SEXTAE EDITIONIS

—

V. Nihil obstat.

Taurini, die 8 Iunii 1921.

Can. S. Ronco *Censor deleg.*

Imprimatur.

Can. F. Duvina *Provic. Gen.*

Ius proprietatis vindicabitur (28-IV-13-15 — 9-VI-21-38).

EX LITTERIS FEL. REC. PII PP. X. AD AVCTOREM

Dilecto Filio Nicolao Sebastiani Sac.
Doctori Litteris Latinis Tradendis
in Seminario Lateranensi
Pius Pp. X.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

. . . . . — *Atque hoc loco alium ingenii sollertiaeque tuae fructum, id est* **Summarium Theologiae Moralis** *commemorare libet. Huius enim, ut accepimus, ob sinceritatem doctrinae, copiam rerum, lucidumque nervosa cum brevitate ordinem, non mediocris apud intelligentes commendatio est. Quare satis est causae, cur tibi Nos quoque gratulemur; id quod facimus ex animo. In testimonium autem paternae benevolentiae Nostrae apostolicam benedictionem habeas, dilecte fili, quam tibi peramanter impertimus.*

Datum Romae apud Sanctum Petrum die X *mensis Decembris anno* MCMXIII, *Pontificatus Nostri undecimo.*

PIUS PP. X.

PROOEMIUM

Dicat quispiam, si forte summarium hoc meum in tabernae alicuius librariae prospectu intueatur, theologiae moralis compendia, clericorum manibus terenda, plura quam postulet necessitas, in dies evulgari. Idem propemodum conqueri videbatur Cardinalis D'Annibale, iuris peritia et doctrina de moribus praestantissimus, cum aiebat: « *Eloquar?... Sensim sine sensu prope consenescimus. Nam... quasi viribus deficientes, compendiariis lucubrationibus contenti sumus* » (Summ. I, 7).

Mea quod interest, puto clericos plenam morum doctrinam non e rivulis, sed e fontibus, haurire oportere. Verum qui rei moralis periculum brevi tempore facturi sunt, iis, praesertim si satis negotii in manibus habeant, non apte succurrere compendia, in quibus uno veluti obtutu universa repetant, quae sparsa iam et diffusa perlegerint, id omnino negandum arbitror. Quin immo, utut aliis videatur, eius generis scripta iuventuti sacri ordinis magnae utilitati fore contendo. Quare hoc mihi fuit propositum (quod ceteri aut sequi noluerunt aut non videntur assecuti), ea, quae noverim esse *alicuius* momenti, brevi complecti; et si qua ab aliis ita tractata viderim, ut nec melius nec brevius arbitrarer posse dici, ea *ad verbum*, ut aiunt - quod tamen raro mihi contigit - descripsi. Non enim, ut candide fatear, gloriolae fumum mihi quaesivi, sed id potis-

sime spectavi, ut iuventutis sacrae studiis inservirem.

Quem vero ordinem ii tenent in hac re, quorum scripta in scholis maxime usurpari solent, eundem ipse, etiam ubi minus mihi probaretur, retinendum putavi; nam usitata rerum series si immutaretur, non subsidium memoriae, sed impedimentum afferret. Utar autem dicendi genere presso et conciso, at non exquisito: eo denique, quo disciplinae huius tradendae doctores solent uti.

Quod reliquum est, qui librum emerint, qui dono acceperint, eos rogo, ut, si quid minus apte minusve sapienter dictum notaverint, mihi aperire ne recusent.

Tu igitur, parve liber, quem horis subsecivis confeci, cum Parochi munere fungebar; quem in scrinio diu delitescentem, murium dentes limarunt; nunc demum, novis expolitus curis, fidenter prodeas, a censoribus obesae vel emunctae naris vexandus. Fortasse, ut Horatianum illud usurpem,

carus eris Romae, donec te deserat aetas

at, progressu temporis, num

..... *tineas pasces taciturnus inertes?*

Romae, Cal. Maiis a. MDCCCCXIII.

Sac. Nicolaus Sebastiani.

Iam liber hic meus sextum prodit, et clericis videtur sic, Deo dante, probari, ut coniicere iure queam, *Summarium* hoc disciplinae morum studiosis eas afferre utilitates, quas mihi scribendo spoponderam. Dicere vix attinet, me *textum* recognovisse atque expolivisse; quae enim in *editione quinta maiore*, ubi de scandalo, mutaveram, ea huc transtuli, praetereaque, nonnulla quae minus recte dicta vel explanata aut inter edendum errata incidissent, ea diligenter emendavi et sustuli. Ad indicandum codicem civilem italicum utar, quemadmodum ante, signo C. C. I.; ad indicandum iuris canonici Codicem, signo CIC.

Romae, Cal. Maiis an. MDCCCCXXI.

N. S.

1520

THEOLOGIAE MORALIS SUMMARIUM

1. Theologia moralis est scientia, revelationi innixa, legum et mediorum, quibus homo in suis actibus dirigitur et ad vitam aeternam assequendam adiuvatur.

Hinc patet tractationem commode in duos libros dividi posse: quorum alter **officia** exhibeat a Christianis servanda ut beatitudinem adipiscantur, alter **subsidia,** sine quibus eam vel nulla ratione vel difficulter assequentur. Sed principia, quae toti tractationi praesideant eamque velut manu ducant, praemittenda sunt: haec erit proinde partitio:

Liber Primus — De Prolegomenis seu de principiis fundamentalibus.

Liber Alter — De Officiis.

Liber Tertius — De Mediis seu subsidiis.

LIBER PRIMUS

DE PROLEGOMENIS SEU DE PRINCIPIIS FUNDAMENTALIBUS

DE ACTIBUS HUMANIS

PARS PRIMA

DE ACTU HUMANO IN SE SPECTATO

Cap. I. **De definitione et divisione actuum humanorum.**

2. **Actus humanus** est actus procedens a libera voluntate cum advertentia intellectus ad obiectum; et *moralis* audit, si advertentia versatur circa honestatem vel non honestatem actus. Distinguitur actus humanus ab *actu hominis*, quo nomine Nostri actum vocant procedentem ab homine, absente deliberata voluntate.

Actus humanus dicitur *elicitus*, si procedit immediate a voluntate et in ipsa perficitur et consummatur, ut amoris, desiderii, odii; *imperatus*, si, voluntate imperante, ab alia potentia perficitur, sive interna (ex. gr. actus cogitandi), sive externa (ex. gr. actus ambulandi). Insuper *internus* vel *externus*, prout nullatenus in actionem externam prodit, vel contra. — Aliis divisionibus, quae praetereunt tractationem de actu humano in se, non est hic locus.

3. Ex definitione patet duo esse elementa seu principia actus humani, sc. *voluntarium* et *liberum*. Cognitio in voluntario ipso evidenter comprehenditur.

Cap. II. De principiis actus humani.

Art. 1. De Voluntario.

4. Voluntarium est illud (sc. actio, vel omissio, vel effectus ex alterutra secutus), quod procedit a voluntate, cum advertentia mentis ad obiectum. Differt a *volito*, quod dicitur de obiecto, in quod fertur voluntas, licet ab hac non semper dependeat; a *spontaneo*, quod procedit ab appetitu sensibili, cum praevia obiecti sensibili cognitione. — Si voluntas erga aliquid *negative* se habeat, *non voluntarium;* si *contrarie, involuntarium* habetur.

5. Voluntarium 1° dicitur *perfectum*, si cum plena cognitione e pleno oriatur voluntatis consensu; *imperfectum*, si, contra, cum subobscura cognitione e semipleno voluntatis assensu. — 2° *Voluntarium simpliciter* dicitur quod a voluntate efficaciter intenditur, adsit necne inclinatio in oppositum; *v. secundum quid* illud, in quod voluntas inclinis est, sed quod nec efficaciter intenditur nec fit, quia oppositum magis placet. *Involuntarium simpliciter* est illud, in quod voluntas efficaciter non fertur, adsit necne inclinatio voluntatis in illud; *inv. secundum quid*, quod voluntas efficaciter intendit, licet ei condicionate adversetur. Hinc patet voluntarium simpliciter posse simul esse involuntarium secundum quid, et involuntarium simpliciter posse simul esse voluntarium secundum quid. (*Alii aliter has notiones intelligunt.*) — 3° *V. positivum* audit vel *negativum*, prout a voluntate procedit tamquam agente, vel non agente (ut in omissione). — 4° *V. actuale* (1) dicitur, si a

(1) Cum voluntario, quoad rem, congruit *intentio*, quae definitur actus seu tendentia voluntatis in aliquid per apta media assequendum; ideoque etiam intentio potest esse actualis, virtualis, habitualis, interpretativa. *Habitualem implicitam* (cf. n. 420, 2°) nonnulli, ut ego in prima et altera edit., vocant interpretativam.

voluntate procedat actualiter influente et quidem cum deliberatione actu habita; *virtuale*, quum voluntas praecessit et nunc moraliter influere pergit in actionem; *habituale*, quum actus voluntatis, qui praecessit, non fuit retractatus, sed tamen nulla ratione influit in opus quod postea fit; *interpretativum*, quum, licet abfuerit voluntatis actus, praesumi potest eum adfuturum fuisse, si de eo cogitatum. — 5° *V. expressum* dicitur, si verbis vel signis manifestetur; *tacitum*, quod, nec verbis nec signis manifestatum, ex facto tamen aliquo vel ex facti omissione adesse deducitur. Et hic notandum, effatum « *qui tacet, consentire videtur* » valere et locum habere *a*) in favorabilibus, *b*) quum adest et obligatio et possibilitas contradicendi, *c*) quum quis, plura rogatus, de aliquo tacet, dum de ceteris loquitur. — 6° *V. directum* vel *in se* illud dicitur, quod in ordine intentionis immediatum est obiectum voluntatis, licet forte sit remotum in ordine exsecutionis; *indirectum* vel *in causa*, quod secuturum praevidetur ex alio directe volito. Duo principia generatim statuuntur de voluntario indirecto vel in causa. I. Ut voluntarium indirectum imputabile sit, requiritur ut *a*) agens effectum, saltem in confuso, praeviderit; *b*) potuerit non modo, sed et debuerit causam non ponere vel positam auferre, ne talis sequeretur effectus. II. Licet ponere causam bonam vel indifferentem, ex qua duplex simul, bonus et malus, oriatur effectus, dummodo *a*) finis sit honestus, *b*) effectus bonus saltem aeque immediate ac malus ex causa procedat, *c*) effectus malus non intendatur neque adprobetur, sed tantum permittatur, *d*) adsit ratio proportionate gravis causam ponendi.

Art. 2. De Libero.

6. **Liberum** dicitur quod procedit a voluntate, seipsam determinante, cum potentia ad oppositum. Plures distinguuntur libertatis species. Alia enim est *a coactione*, sc. immunitas a vi extrinseca;

alia *a necessitate* (seu *indifferentiae*, seu *electionis*), quae sola est proprie libertas, et, ratione obiecti, dividitur in libertatem *contradictionis* (seu *exercitii*), *contrarietatis* et *specificationis*, prout est facultas ferendi se ad terminos *contradictorios*, *contrarios* vel *diversos* tantum (ad agendum vel non agendum, ad odium vel amorem, ad studendum vel ambulandum).

Cap. III. De oppositis actui humano.

7. Ad voluntarium requiruntur, ut vidimus, tum advertentia mentis, tum liberae voluntatis consensus: *illi* obstat *ignorantia; huic, metus* et *vis; utrique, concupiscentia.* De singulis.

Art. 1. De Ignorantia.

8. Ignorantia est privatio scientiae in subiecto capaci. Differt a *carentia scientiae*, quae est simplex scientiae negatio; ab *errore*, qui falsum iudicium importat; ab *inadvertentia*, quae est carentia actualis cognitionis.

9. Ignorantia dicitur: 1° *Ex parte obiecti, a*) *positiva*, si est privatio scientiae debitae, *negativa* vero, si indebitae; — *b*) *iuris*, quae versatur circa legis exsistentiam (ex. gr. illius, qui scit hodie esse feriam sextam et cibos oblatos esse carnes, sed nescit esum carnium eo die vetari); *facti*, quae est de alicuius facti oppositione legi notae (ex. gr. illius, qui se lege abstinentiae teneri qualibet sexta feria optime novit, sed nescit hodie esse sextam feriam, vel cibum oblatum esse carnem). — 2° *Ex parte intellectus, invincibilis*, si, diligentia adhibita, vinci nequit, et quidem *i. physice*, si nullo modo, *i. moraliter*, si adhibita morali diligentia (quam sc. prudentes pro rei gravitate adhibere solent) tolli non potest; *vincibilis*, si, diligentia adhibita, tolli potest; et erit *pure vincibilis*, quum

aliqua sed non sufficiens diligentia adhibita est, *crassa* aut *supina*, quum vix ulla, *affectata*, quum aliquis ignorare ex proposito vult. — 3° *Ex parte voluntatis*, *antecedens*, si praecedit voluntatis assensum et est causa volendi quod quis secus nollet (ut si quis, post sepe esse leporem putans, occidat hominem); *consequens*, si voluntatem consequitur, sc. directe vel indirecte a voluntate intenditur (ut si quis nolit consilium petere, ne audiat illicitum esse quod vult agere); *concomitans*, si quis ignorat quod agit, item acturus si non ignoraret (ut si quis percutiat Titium, putans eum Caium esse, item percussurus si eum Titium esse sciret).

10. I. Ignorantia *antecedens* voluntarium, et proinde culpam, tollit omnino; *consequens* aliquatenus; *concomitans* nequaquam. II. Ignorantia *invincibilis* (idem dicatur de perfecta oblivione et inadvertentia) tollit omnino voluntarium et culpam, quia tum cognitio tum voluntas abest. *I. pure vincibilis* minuit, evidenter, voluntarium, sed non tollit prorsus, quia est aliquo modo voluntaria. *Crassa* et *affectata* minuunt voluntarium, sed non quantum pure vincibilis; *illa* enim ex graviori neglegentia, *haec* ex industriosa voluntate oritur liberius peccandi.

Art. 2. De Metu.

11. Metus definitur mentis trepidatio ob instans vel futurum periculum.

Metus potest esse: *a*) *Gravis*, quum sc. grave est periculum instans vel futurum, et si hoc est grave *in se*, metus erit *absolute gravis*, si vero *ratione personae* cui imminet (inspectis sc. eius aetate, sexu, valetudine, animo) erit *relative gravis; levis*, quum sc. malum instans vel futurum est vel absolute vel relative leve. — *b*) *Ab intrinseco*, quum a causa interna, *ab extrinseco*, quum a causa externa, tum necessaria seu naturali, tum libera promanat; et metus ab extrinseco dicitur *iuste*

vel *iniuste incussus,* prout incutiens ius habet, necne, ad metum inferendum (ex. gr. est iustus metus reo a iudice, ad apicem iuris, incussus). — *c*) *Reverentialis,* quem sc. habemus, ne eorum incurramus indignationem, in quorum potestate sumus et quos reverentia et honore prosequimur, ut Praelati, patris, domini, mariti, Principis etc. Et *levis* erit, plerumque, si constet confusione et molestia, quae oritur e Superioris indignatione; *gravis* esse poterit, si inde actu oriantur vel oriturae praevideantur diuturnae increpationes, durior et indigna tractatio, privatio bonorum etc.

12. I. Metus in genere non tollit voluntarium, sed efficit ut actus simpliciter voluntarius fiat involuntarius secundum quid, et proinde minuit imputabilitatem et culpam; immo, si sit gravis, saltem relative, potest auferre etiam, una cum rationis usu, omnem culpabilitatem, nisi tamen agatur de re intrinsece mala vel de gravi damno religionis aut societatis. II. Quando vero et quousque metus invalidet actum, v. inferius, ubi de voto, de iuramento, de contractibus, de matrimonio etc.

Art. 3. De Vi.

13. **Vis** seu **Violentia** est coactio a causa extrinseca et libera invito alicui illata.

Vis dicitur *absoluta,* si infertur alicui absolute et plane invito, *relativa* vel *secundum quid* si alicui, aliquatenus tantum invito.

14. I. *Actus* voluntatis *eliciti* vim ab extrinseco pati nequeunt et sunt proinde omnino imputabiles. II. Actus *imperati, ex violentia absoluta* positi, non sunt voluntarii, nec proinde imputabiles; *ex violentia relativa* positi, sunt plus minusve voluntarii, pro minore vel maiore resistentia, et, ratione huius habita, culpam plus minusve gravem involvunt.

Art. 4. De Concupiscentia.

15. Concupiscentia hic intelligitur motus appetitus sensitivi, quo voluntas fertur in bonum sensibile.

Concupiscentia dicitur *antecedens*, quum omnem voluntatis actum praecedit eamque ad consentiendum impellit (ut si quis, videns inimicum, illico ira et odio exardescat), et actus ex ea positi, nullo tamen voluntatis consensu, vocantur *primo-primi; consequens*, quum ex praecedenti voluntatis actu oritur (ut si quis obscena sciens volens legat et ad libidinem inde excitetur), et erit *directe* habita, si a voluntate cietur, *indirecte* habita, quum motus voluntatis in appetitum redundat: actus cum c. consequente positi *deliberati* vocantur. Inter primo-primos et deliberatos S. Alph. ponit actus *secundo-primos*, qui menti caliginem, sed non omnem prorsus, offundunt.

16. I. Concupiscentia *antecedens*, quo vehementior, eo magis voluntarium liberum et culpam minuit, et si omnino rationis usum praepediat, voluntarium et culpa plane aberit. II. C. *consequens directe* auget peccatum, intensior enim voluntas peccandi adest; c. *consequens indirecte* erit iudicanda ut voluntarium in causa.

PARS ALTERA

DE MORALITATE ACTUS HUMANI

17. Moralitas consistit in habitudine actus humani ad regulam morum. Hinc quatuor sectiones facile oriuntur: 1ª de regula morum obiectiva et remota (*de Lege*), ad quam actus humani sunt comparandi; 2ª de iis, quae in quolibet actu humano sunt inspicienda, ut haec comparatio cum regula morum recte instituatur; 3ª de distinctione

actuum humanorum, qui difformes sunt a morum regula, sive in genere, sive in specie; 4ª de iudicio subiectivo practico circa conformitatem vel difformitatem actuum humanorum a regula obiectiva, seu de regula morum subiectiva (*de Conscientia*).

SECTIO PRIMA

DE REGULA OBIECTIVA ET REMOTA ACTUUM HUMANORUM SEU DE LEGE

18. Lex definitur a S. Thoma « ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam habet communitatis promulgata ». Dicitur *ordinatio,* idest praescriptio, ut a consilio distinguatur; *rationis,* quia debet rectae rationi congruere; *ad bonum commune,* tamquam ad suum *finem; ab eo, qui curam habet communitatis,* legem enim ferre est actus iurisdictionis superioris in subditos; *promulgata,* quia promulgatio est de legis essentia vel saltem, ut pauci putant, eius necessaria condicio, cum impleri nequeat quod non innotescit.

Principium et finis cuiuslibet legis Deus est. Deus vero voluntatem pandit suam, sive *a se,* sive *per alios; a se* quidem, *naturaliter* per dictamen rationis, *supernaturaliter* per immediatam revelationem; *per alios, naturaliter* per publicam auctoritatem legitimam, *supernaturaliter* per magisterium Ecclesiae. Sed, mutato ordine, nonnihil dicemus primo de lege naturali ac positivo-divina, secundo de lege humana.

Cap. I. **De Lege Naturali et Positivo-Divina.**

19. Lex aeterna definitur a S. Augustino « ratio et voluntas Dei aeterna ordinem praescriptum servari iubens, perturbari vetans ». Haec lex homini per rectam rationem participata vocatur *lex naturalis.* Dicitur in definitione Augustiniana *ratio,* quia non e sola Dei voluntate, *voluntas Dei,* quia

non e sola ratione oritur: 1um sc., quia ex rerum essentiis et ex divinis perfectionibus necessario emanat; 2um, quia lex sine legislatore, volente subditos obligare, non intelligitur.

Ius naturae aliud *absolutum*, quod singulos afficit, independenter a voluntate humana et a statu sociali (ex. gr. Deus colendus, non mentiendum); aliud *hypotheticum*, quod initium capit ex facto hominum, sive communi (ex. gr. non furandum), sive singulorum (ex. gr. fides servanda in contractibus, in votis, in iuramentis): et illud *hypotheticum publicum* audit, hoc *hypotheticum privatum*.

20. **Auctor legis naturalis,** ut patet, Deus est. **Obiectum** sunt ea omnia quae sine perturbatione naturalis ordinis omitti vel committi nequeunt: *illa* proinde necessario ponenda praecipiuntur, et sunt bona natura sua; *haec* necessario vetantur, et sunt mala natura sua. Proinde **obiectum legis naturalis est**: A) *Immutabile:* « naturalis lex, ait S. Th., ...immobilis perseverat: quod habet ex immobilitate et perfectione divinae rationis, instituentis naturam ». Si interdum videtur obiectum iuris naturae *mutari,* hoc pendet vel *a*) ex eo quod agitur de iure naturali late sumpto, de iis sc. quae non *absolute* et necessario ordini naturali congruunt, sed ad quae ordo naturalis, utpote ad perfectiora, propendit (ex. gr. permissio polygamiae vel divortii quoad unitatem et indissolubilitatem matrimonii); vel *b*) ex eo quod non lex mutatur, sed obiectum, et hoc, ita immutatum, legi amplius non paret (ex. gr. lege naturae vetatur hominis occisio: sed occisio iure naturae vetita *non est* hominis rei interemptio ex publica auctoritate facta vel sacrificium humanum a Deo, vitae auctore et domino, imperatum). — **Ecclesia non dispensat** *proprie* in iure naturae *hypothetico privato,* quia legem (ex. gr. votum esse servandum) non tollit: sed declarat Deum consentire (quum sc. iusta causa intercedit) in *mutationem* voluntatis eius, ex cuius priore voluntate orta fuerat obli-

gatio (ex. gr. voti). — B) *Evidens*, saltem quoad principia universalissima et immediatas consequentias, de quo videsis n. 82. — C) *Universale;* ideoque *subiectum* legis naturalis est *omnis homo*, cuiusvis condicionis vel aetatis (ex. gr. infans, perpetuo amens, qui, si ad blasphemandum vel ad turpia agenda inducantur, *materialiter* peccant, quia ordo *obiective* turbatur).

Lex naturalis **promulgata fuit** creatione primi hominis; *unicuique* vero *promulgatur, in actu primo* per luminis rationis infusionem, *in actu secundo* per rationis usum.

21. **Lex positivo-divina** definitur « lex a Deo per revelationem data ». Alia *vetus*, sc. *Mosaica:* alia *nova*, sc. *Evangelica*. De *ea*, satis. **Auctor** *huius*, ut liquet, Deus est; **obiectum** sunt probabiliter ea tantum, quae ad Sacramenta et Sacrificium pertinent; in iis enim, quae fidem respiciunt, non constituitur ius novum, sed constituti materia augetur; — in iis, quae ad mores spectant, ius primaevum (ut quoad polygamiam et repudium) redintegratur. Et *obiectum* hoc *immutabile* est, non abrogationi aut derogationi obnoxium, nec ipsius R. P., sed illud Ecclesia *declarare* et *interpretari* authentice et infallibiliter potest. **Subiectum** sunt omnes homines, quia Christus omnium rex, dominus, legislator est, et iussit Apostolos docere omnes gentes easque servare *quaecumque* Apostolis mandavit; obligantur vero *immediate* ad fidem suscipiendam et ad baptismum, *mediate* ad alia praecepta quae, baptismo suscepto, vim suam exserunt. **Promulgatio** facta fuit per Apostolos die Pentecostes, sed obligatio singulos tenet ex quo eis innotescit.

Cap. II. **De Lege Positivo-Humana.**

22. **Lex humana positiva**, prout a potestate civili vel ecclesiastica emanat, sc. ratione auctoris, dividitur in *civilem* et *ecclesiasticam*. Videamus primo de iis, quae utrique sunt communia; deinde de iis, quae alterutrius sunt propria.

Art. 1. De iis, quae legi civili et ecclesiasticae sunt communia.

§ 1. *De auctore, obiecto, subiecto, promulgatione, acceptatione et divisione legis.*

23. Auctor legis generatim est superior ille, cui, sive independenter, sive dependenter a superiore potestate, inest facultas leges ferendi pro communitate, in quam pollet iurisdictione, servata tamen competentia.

24. Obiectum legis humanae debet esse: *a) utile,* secus deficeret bonum commune; *b) possibile physice et moraliter* toti communitati vel saltem maiori eius parti: hinc regulariter praescribi nequeunt actus *heroici,* extraordinarie vero praescribi possunt, urgente communi necessitate, cui bonum privatum debet subesse; *c) honestum,* sc. non contra legem naturalem et positivo-divinam, nec contra aliam superiorem legem; *d) iustum,* sc. ad apicem iustitiae distributivae, ne quis gravius ac ceteri oneretur; *e) de re futura,* ordinarie loquendo; lex enim extendi nequit ad actus praeteritos, neque ratione culpae (cum praevaricatio desit, ubi lex deest), neque ratione poenae (quae in culpae vindictam fertur), neque ratione rescissionis (nisi in casu extraordinario a lege expresso).

25. Subiectum legis sunt omnes et soli legislatoris subditi, habitualiter rationis compotes. Diximus: *subditi;* legislator enim, qui absoluto potitur imperio (idem dicito de eius successore), lege non tenetur quoad vim coactivam, sed tenebitur sub levi, quoad vim directivam, ex caritate, in subditorum exemplum; si vero potestas legifera in corpore morali resideat, singuli legibus communi consilio latis ligantur. Diximus: *habitualiter rationis compotes;* quia lege tenentur ebrii, dormientes, amentes ad breve tempus, quos proinde non licet ad obiectivam legis violationem inducere; non

obligantur pueri citra septennium et perpetuo amentes. Sed cf. n. 47, 2°.

26. Promulgatio legis est necessaria, quia leges humanae tunc instituuntur quum promulgantur: tunc autem promulgari dicuntur, quum legislator eas subditis suis servandas proponit. Quo autem modo, quove loco lex promulganda sit, a legislatoris voluntate pendet.

27. Acceptatio legis ex parte populi *ordinarie* non requiritur. Sed *per accidens,* ex tacito vel expresso Superioris consensu, lex non acceptata non obligat; et Superioris consensus facilius praesumitur, quum maior et sanior pars populi legem non acceptavit. In dubio de acceptatione, lex tenet.

28. Lex **dividitur**: *a*) **ratione auctoris,** ut vidimus, in *civilem* et *ecclesiasticam; b*) **ratione obiecti,** in *affirmativam* et *negativam,* prout praecipit vel prohibet; *c*) **ratione obligationis,** in *moralem, poenalem, mixtam,* prout obligat sub sola culpa, vel sub sola poena (in conscientia tamen subeunda, si lex violetur), vel sub utraque simul; *d*) **ratione effectus,** in *prohibentem, inhabilitantem, irritantem, permittentem,* prout actum reddit illicitum, invalidum (afficiendo immediate personam), invalidum (afficiendo immediate actum), vel denique agentem inquietari non sinit; *e*) **ratione extensionis,** in *generalem* seu *universalem* et *particularem* seu *localem; f*) **ratione promulgationis,** in *scriptam* et *non scriptam,* prout a legislatore explicite emanat vel populi moribus introducitur; lex non scripta idem est ac consuetudo, de qua v. n. 50.

§ 2. *De obligatione legis.*

29. Qualis et quanta sit legis obligatio. Quaelibet lex humana inducit obligationem, saltem ad poenam in conscientia subeundam; quando autem lex in conscientia obliget, videndum ex mente

legislatoris, ex verbis praeceptivis, ex contextu, ex adiunctis (v. n. 44). Legislator potest praecipere sub levi in re gravi, sed non sub gravi in re levi, quia deest proportio. Materia legis utrum sit gravis, an levis, discernendum ex ipsius legis verbis, obiecto, fine, adiunctis; ex gravitate poenae; ex interpretatione doctorum vel consuetudinaria. — Lex etiam irritans et inhabilitans *in dubio iuris* non urget (cf. CIC. can. 15). — Lex vel sententia fundata in falsa praesumptione (1) facti non obligat in foro interno; sed quae fundatur in praesumptione periculi communis obligat in conscientia, etsi in casu peculiari periculum desit vel defuerit culpa theologica (cf. CIC. can. 21).

30. Quousque lex obliget. Lex *affirmativa*, sc. quae actum ponendum praescribit, obligat *semper*, sed non *pro semper*, idest obligat suo tempore. Lex *negativa*, quae actum vetat, obligat *semper et pro semper*, idest continuo: quod non ex verbis, sed ex rei natura aestimari debet.

31. Ad quid lex obliget. 1° Lex *affirmativa directe et per se* obligat *a*) ad cognitionem ipsius legis; *b*) ad operis praecepti implementum: nec licet aliud, etsi melius et durius, praestare, sed, si opus praeceptum adimpleri nequeat, obligatio omnino cessabit; *indirecte et per consequens* praecipit ut media ponantur necessaria ad legem implendam. 2° Lex *negativa directe et per se* obligat *a*) ad cognitionem ipsius legis; *b*) ad operis omissionem, et legi satisfacis etsi in omittendo non fueris tui compos; *indirecte et per consequens* ea vetat, quae legis violandae periculum continent,

(1) *Praesumptio*, quae est « rei incertae probabilis coniectura », alia dicitur *hominis*, quae sc. concipitur a quovis prudente viro, alia *iuris*, quae in lege exprimitur et iuxta quam aliquid decernitur, alia *iuris et de iure*, contra quam lex non admittit probationem. Quae iuris est, distinguitur in *praesumptionem periculi*, quum sc. ex praevisione mali eventus legislator aliquid iubet vel vetat, et in *praesumptionem facti*, quum legislator praesumens factum fuisse aliquid, quia communiter fieri solet, inde legem statuit.

et imprimis ne quis occasiones appetat. 3° *Utraque*, sc. sive affirmativa sive negativa, *indirecte et per consequens* vetat *a*) agere in fraudem legis; *b*) aliis mandare vel consulere legis violationem; *c*) in lege violanda aliis cooperari.

32. Quomodo lex sit adimplenda. Lex affirmativa adimpleri debet 1° *Humano modo*, sc. opus iniunctum debes praestare compos tui, ideoque sciens et volens. Sed *non* requiritur *a*) ut intendas legi satisfacere et finem praecepti assequi, cum intentio et finis non cadant sub lege, nisi forte legislator opus praeceperit ob finem extrinsecum (hinc iubilaeum non lucratur qui, iubilaei ignarus, ieiunium servat ex devotione); immo satisfit, ponendo humano modo opus iniunctum, etiamsi adsit intentio non satisfaciendi (sic satisfacit praecepto qui die festo audit Missam, etsi non intendat praecepto satisfacere). Sed quum obligatio orta est a voluntate satisfacientis (ut in voto), intentio contraria impedit quominus satisfiat; *b*) status gratiae aut motivus caritatis. 2° *Integra* et *in sensu legis*. Et qui totum opus, a lege praeceptum, praestare nequit, si opus divisionem recipiat (ut horae canonicae), debet eam partem praestare quam potest, dumne sit quid minimum, materiam gravem non attingens. *Sensus* vero *legis* non vetat *duo praecepta simul* impleri, quum simul eodemque tempore praestari possunt (ex. gr. subdiaconus horas canonicas potest recitare, dum adest sacro, die festo), vel impleri *duo praecepta unico actu*, si ad eamdem virtutem (excepta iustitia) pertineant et simul incidant (si festum Omnium Sanctorum incidat in dominicum diem, satis est unam Missam audire).

33. Quo tempore lex sit adimplenda. Lex implenda est tempore a lege definito; et si praefixum fuit ad *finiendam* obligationem, transacto tempore obligatio cessat; secus, si ad *urgendam*. Quum obligatio implenda est intra aliquod tempus, si medio tempore praevideatur vel certo immineat impedimentum, obligatio statim urget (ex. gr. tenetur Missam diluculo audire qui serius nequit).

Tempore a lege non definito, si lex iubeat praeceptum impleri *statim,* canonistae et Nostri eam *intra triduum* statuunt esse adimplendam; si iubeat *quamprimum* impleri, res erit in aestimatione boni viri; si lex nihil prorsus de tempore statuat, intra illud tempus lex erit implenda, quo transacto impleri amplius non posset, nisi ex alio capite antea urgeat.

§ 3. *De interpretatione legis.*

34. Interpretatio legis est genuina legis explicatio iuxta mentem legislatoris.

Interpretatio *a*) **ratione auctoris** alia est *authentica,* quae sc. ab ipso legislatore fit; alia *usualis,* quae a consuetudine; alia demum *doctrinalis,* quae fit a viris doctis iuxta hermeneuticae normas; *b*) **ratione modi** alia est *comprehensiva* seu *declarativa,* quae sc. fit iuxta sensum proprium et usitatum verborum; alia *extensiva,* quae sc. legem ultra usitatum verborum sensum extendit; alia demum *restrictiva* (quam etiam *epicheiam* vocant), quum sc. iudicatur legem non extendere se ad peculiarem casum ob specialia adiuncta, licet *per se* in verbis legis casus comprehenderetur.

Interpretatio authentica, per modum legis exhibita, habet vim legis. *Authentica declarativa,* quae verba legis in se certa declaret tantum, promulgatione non eget et valet retrorsum; *a. declarativa* legis dubiae, *extensiva* ac *restrictiva* promulgari debet et non retrotrahitur. I. authentica, data per modum sententiae iudicialis aut rescripti in re peculiari, non habet vim legis et ligat tantum personas et afficit res pro quibus data est (cf. CIC. can. 17). *Doctrinalis* tantum valet, quantum momenta rationum a doctoribus allata; quare si consensus unanimis doctorum adest, interpretatio habebitur ut moraliter certa; si dissensus, erit plus minusve probabilis.

35. *Interpretationi doctrinali comprehensivae seu declarativae* fit locus (quum aliquid obscurum in

lege est) iuxta sequentes regulas. 1° A *verbis* legis, sumptis in significatione propria et usu recepta, non est recedendum, nisi lex, ad verbum intellecta, appareat vel iniusta vel absurda vel inutilis. In hisce casibus, ea interpretatio seligenda est quae aptior, ceteris legibus consona et aequior videatur. 2° In favorabilibus lata, in odiosis stricta interpretatio adhibenda est. 3° Ubi lex non distinguit, non distinguendum.

36. *Interpretatione doctrinali extensiva* utendum est in casu, qui in lege non comprehendatur, sed similis sit casui in ea comprehenso, dummodo utriusque casus ratio eadem sit, et secus iniquum aliquid vel iniustum sequeretur (ex. gr. moniales hucusque vetabantur e clausura egredi nisi in casibus incendii, epidemiae vel infirmitatis; cur non, si quid simile incidisset, ut inundatio, incursus latronum etc.?). Haec interpretatio locum habet in *correlativis* (ex. gr. quod lex prohibet ne vendatur, item ne ematur vetat, et vicissim); in *aequiparatis* (ex. gr. qui vetatur matrimonium contrahere, eidem et sponsalia interdicuntur); in *connexis* (ex. gr. cui permittitur Missam celebrare interdicti tempore, eidem adhibere ministrum licebit). Odia sunt, in hac interpretatione, restringenda.

37. *Interpretatio restrictiva* seu *epicheia* tunc locum obtinet quum *a*) observatio legis esset perniciosa vel nimis difficilis et onerosa; *b*) lex videatur in tali casu a mente legislatoris aliena, quia iure praesumitur eum noluisse in re nimis ardua obligare (cf. etiam n. 48).

§ 4. *De cessatione legis, vel obligationis ex ea enascentis.*

38. Lex cessare potest vel in se vel quoad obligationem.

39. Causae, ex quibus lex cessat in se, sunt alia *intrinseca*, aliae *extrinsecae*.

I. **Causa intrinseca** est cessatio finis legis adaequate (sc. ex toto) et quoad omnes, vel saltem quoad maiorem civium partem. Finis legis dicitur cessare *contrarie* vel *privative,* prout lex evaserit noxia vel inutilis. Si finis legis cessaverit contrarie quoad nonnullos tantum, lex manebit, sed pro iis desinet obligatio.

II. **Causae extrinsecae** sunt: 1° **Abrogatio** (quum tota lex) vel **derogatio** (quum pars legis tollitur), a legislatore facta, sive expresse, sc. lege nominatim sublata, sive tacite, statuendo aliquid legi exsistenti contrarium. Notandum, legem generalem, nisi nominatim exprimat, non derogare legibus particularibus, statutis, consuetudinibus localibus; et leges novas, quae antiquioribus derogant, esse strictae interpretationis, praeterquam in iis quae favorem continent. 2° **Desuetudo** seu **contraria consuetudo,** quae locum habere nequit, ut evidens est, in lege naturali vel positivo-divina. Quoad leges positivo-humanas, vide infra n. 50.

40. Causae, ex quibus lex **cessat quoad obligationem,** aliae dicuntur *excusantes* seu *impedientes* a lege servanda, aliae *eximentes*, quae sc. subditum dominio legis subtrahunt.

I. **Causae excusantes** seu **impedientes** sunt: 1° **Concursus legis,** de qua agitur, cum altera lege. Et gravior erit servanda; si nulla gravior sit neve videatur, naturalis praeferenda positivo-divinae, haec humanae. Si ambae sint eiusdem generis, primo servanda est ea quae religionis intersit, deinde quae reipublicae, demum quae singulorum; et si utraque in bonum singulorum, iustitia caritati praeferri debet. 2° **Omissio adimplementi** debito tempore, si tempus fuit praefixum ad finiendam obligationem. 3° **Ignorantia.** Haec a culpa theologica excusabit plus minusve, ut diximus ubi de voluntario. Sed nulla ignorantia legum irritantium aut inhabilitantium ab incurrenda irritatione vel inhabilitate excusat, nisi lex expresse id sanxerit (cf. CIC. can. 16, § 1.). Ignorantia

vero vel error circa legem aut poenam aut circa factum proprium aut circa factum alienum notorium generatim non praesumitur; circa factum alienum non notorium praesumitur, donec contrarium probetur (cf. CIC. can. 16). Quando et quousque ignorantia vel error a poenis ecclesiasticis excusent, videsis n. 597. 4° **Incommodum grave,** sive certum, sive graviter et vere probabile. Sed *leges naturales negativae* (ut non blasphemandi, non mentiendi) obligant semper, etiam cum vitae dispendio; *leges positivo-divinae interdum* obligant etiam cum gravi incommodo (ut lex confessionis, sed incommodum grave excusabit ab integritate materiali); *leges positivo-divinae et humanae* obligant etiam cum vitae dispendio quoties *a*) bonum commune vel remotio extremi damni spiritualis alicui obventuri praestat vitae singulorum (ex. gr. leges vetantes, ne parochi aut medici abeant tempore pestis, obligatio baptismi conferendi puero moribundo); *b*) aliquid velit extorqueri in contemptum Dei, religionis (ex. gr. esus cibi vetiti), aut clavium; *c*) agatur de lege irritante seu inhabilitante gravi, ad bonos mores et religionem tuendam constituta. Hisce casibus exceptis, leges naturales positivae seu affirmativae (ut restituendi rem ablatam), positivo-divinae et humanae non obligant cum gravi incommodo.

Non licet directe (sc. *ad finem legis non servandae*) apponere causas *impedientes seu excusantes,* sive impediant *proxime* (cum lex brevi urget), sive *remote* (cum lex urget post notabile tempus), quia lex vetat indirecte ne in eius fraudem agatur: etiamsi causa impediens sit aliquod opus bonum aut aequivalens aut praestantius opere praecepto (ex. gr. ad vitandum ieiunium inservire in quadragesima peste laborantibus) (1).

Non licet indirecte (sc. *ad alium finem, sed praeviso impedimento*) apponere causam *proxime* impedientem (ex. gr. vespere Sabbati vel mane diei

(1) Cfr. tamen D'Annibale, I, 171, n. 60.

dominici relate ad Missam), nisi adsit ratio proportionata; *licebit* vero, etiam sine ratione, apponere *indirecte* causas *remote* impedientes, quia non censetur legislator velle adeo libertatem coarctare.

II. **Causae eximentes** (quas *licet* etiam *directe et proxime apponere,* quia lex non obligat ut subditi maneamus) **sunt:**

1° **Absentia a territorio,** quum agitur de lege locali.

2° **Dispensatio,** quae est legis relaxatio in casu particulari.

A) *Ad dispensationem requiritur: a*) *Potestas* dispensandi, sive *ordinaria* et *propria,* quae sc. alicui competit vi officii sui, et cuius vi Superior dispensare valet in legibus suis, praedecessorum et inferiorum; sive *ordinaria vicaria;* sive *delegata a iure vel consuetudine* (quae *quasi-ordinaria* audit); sive *delegata simpliciter,* vel *ab homine,* sc. ab eo qui ordinariam habet. Potestas dispensandi simpliciter delegata subdelegari nequit, nisi quis delegatus fuerit vel ab Apostolica Sede (excepto casu quo electa sit industria personae aut subdelegatio prohibita) vel ad universitatem causarum vel cum facultate subdelegandi. Nulla subdelegata potestas poterit iterum subdelegari, nisi id expresse concedatur (cf. CIC. can. 199). — Licet vero uti dispensatione *tacita,* quae habetur, quum Superior aliquid vult quocum dispensatio sit connexa, aut quum, sciens et potens contradicere, non contradicit; item et *praesumpta* ex rationabili causa (ut ex. gr. si praelatus, sciens te esse excommunicatum, beneficium tibi conferat). — *b*) Ut dispensandus sit *subditus* dispensantis, quia dispensatio est iurisdictionis actus. Hinc legislator non dispensat cum seipso, quia suae legis *vi coactiva* non ligatur, sed tantum (ex iure naturali) *vi directiva,* et, iusta causa exsistente, cessat ratio cur et vi directiva ligetur. Qui habet potestatem ordinariam vel delegatam potest in legibus Superioris *dispensare cum seipso,* sive *indirecte et mediate* (dispensando totam communitatem, vel alteri facultatem

tribuendo dispensandi et petendo deinde ab eo dispensationem), sive *directe et immediate,* quia ad gratiam conferendam non requiritur persona distincta. — c) Ut adsit dispensandi *causa.* Haec dicitur *finalis seu motiva,* si principaliter movet, *impulsiva,* si, coniuncta finali vel motivae, facilius movet ad dispensandum. Legislator vel qui habet potestatem ordinariam et propriam *licite* nunquam dispensat, etsi motu proprio, nisi ex causa probabiliter iusta, *valide* semper, si motu proprio, etsi nulla vel falsa sit causa; qui habet potestatem ordinariam vicariam, valide non dispensat nisi ex aliqua causa. Delegatus vero nunquam valide dispensat nisi ex causa probabiliter iusta. Si agatur vero de dispensatione *ad instantiam,* ubi inciderint in supplicationem *obreptio* (sc. narratio falsi) vel *subreptio* (sc. reticentia alicuius veritatis, quae dispensationem redderet difficiliorem), haec tenenda: aut unica causa allata fuit sive motiva sive impulsiva, et, si ea non est vera, dispensatio est invalida; aut plures allatae sunt, omnes motivae, et sufficit ad validitatem ut una saltem sit vera; aut plures, omnes impulsivae, et si una tantum sit falsa, dispensatio est invalida, quia omnes simul pro una motiva habentur; aut plures partim motivae, partim impulsivae, et sufficit ad validitatem ut saltem una motiva sit vera. Et erit valida dispensatio, si causa vera fuerit quo tempore dispensatio conceditur, etsi non antea; et, e converso, nulla, si causa, vera quo tempore dispensatio petita est, desinat vera esse quo tempore dispensatio conceditur.

B) *Modi dispensandi* sunt: *a*) *motu proprio,* vel *ad instantiam; b*) in forma *gratiosa,* vel in forma *commissoria,* vel in forma *mixta:* de quo v. ubi de Rescriptis n. 49, IV.

C) Dispensatio *concedi potest* motu proprio absenti, ignoranti, et vel invito, sed ordinarie requiritur acceptatio, quae ceterum semper praesumitur, nisi de contrario absolute constet.

D) Dispensatio *cessat: a*) *Revocatione;* et si haec a legislatore procedat, nulla, saltem ad revocatio-

nis validitatem, requiritur causa ; si a delegato, causa *iusta* revocandi adesse debet. Sed non antea dispensatio cessat, quam revocatio dispensato fuerit indicta. *b*) *Renuntiatione;* et renuntiatio, si agatur de his quae voluntate renuntiantis consistunt (ex. gr. de votis, iuramentis etc.), statim valet et ab ea renuntians resilire licite non poterit ; si de his, quae ex lege emanant (ex. gr. de horis canonicis, de impedimentis matrimonialibus), non valet, nisi dispensanti innotuerit et ab eo fuerit acceptata, et in hoc posteriore casu, renuntians medio tempore uti poterit dispensatione. *c*) *Cessante causa finali vel motiva* tunc tantum, quum dispensatio tractum habet successivum et non fuit concessa absolute (ex. gr. ab abstinentia, infirmitatis causa).

E) Dispensatio *non cessat: a*) *Etiamsi cesset causa motiva, tunc,* quum data fuit absolute vel unico actu fuit perfecta (ex gr. dispensatio ab irregularitate alicui data ob parentum paupertatem, etsi vel ipse vel ipsi postea ditescant: dispensatio absoluta a voto castitatis, etsi, mortuo priore coniuge, aliud iniri velit matrimonium). *b*) *Non usu* vel *usu contrario,* ut patet. *c*) *Territorio dispensantis relicto,* quia quod legitime factum est retractari non debet, etsi postea is casus inciderit, a quo initium habere non potuisset ; sed, territorio dispensantis relicto, ea cessat dispensatio, quae generali indulto toti territorio concessa est, quia habetur ut territorialis. *d*) *Morte dispensantis,* si dispensatio data est absolute.

3° **Privilegium**, quod definitur « beneficium *permanens* Principis extra corpus iuris concessum ».

A) *Dividitur a*) *ratione obiecti,* in privilegium *contra ius* et pr. *praeter ius; illo* Princeps legi derogat (ut si subditum eximat a solvendis tributis), *hoc* gratiam concedit, salva lege (ex. gr. facultatem dispensandi) ; *b*) *ratione causae,* in *gratiosum* et *remuneratorium,* prout ex mera Principis liberalitate vel in praemium meritorum conceditur ; c) *ratione subiecti,* in *personale* et *reale,* prout datur personae ratione sui, vel conceditur illi ra-

tione rei ab ipsa distinctae (ex. gr. dignitatis quam habet, collegii de cuius gremio est); *d) ratione formae*, primo in pr. *inclusa in corpore iuris* (ut clericorum, regularium) et in pr. *specialiter concessa;* secundo in *concessa per se* vel *per communicationem*. Privilegium vero *communicari* potest *minus principaliter*, seu *in forma accessoria*, ut sua religiosi communicant suis familiaribus et benefactoribus; vel *ad instar*, seu *in forma principali*, quum Princeps concedit alicui privilegium ad exemplum alterius aliis concessi. *Illud* sequitur principale eoque cessante cessat; hoc perdurat, etsi aliud (ad cuius instar datum fuit) deminuatur aut omnino cesset.

B) *Concedi potest ab eo* tantum qui supra ius est, sc. a legislatore, vel eius successore, vel ab eo qui sit utriusque superior, dummodo materia subsit concedentis potestati; *pr. contra ius* subditis tantum, *pr. praeter ius* etiam non subditis. *Valide* semper, *licite* pr. confertur solum ex iusta causa; secus pr. contra ius laederet iustitiam legalem et distributivam, pr. praeter ius esset ad instar prodigae donationis. Nisi fuerit concessum ad instantiam, acceptatione indiget.

C) Privilegium praeter ius *latam interpretationem recipit*, quia neminem laedit; pr. contra ius *strictam*, quia legem vulnerat. Sed et hoc latam recipit, *a)* si fuerit concessum motu proprio, *b)* si rei publicae vel religionis intersit, *c)* si secus foret inutile. — Privilegia quae laedunt ius tertii, non valent nisi in casu, quod concedens sit tertii Superior et expresse intendat iuri tertii derogare; ea tamen strictam interpretationem recipiunt.

D) *Cessat a) ex parte concedentis*, *per revocationem*, et, quod *lege* concessum, cessat per revocationem lege expressam; quod *per rescriptum*, cessat per revocationem privilegiato renuntiatam. *Non autem* cessat *morte* concedentis, nisi agatur de gratia facienda, re adhuc integra (1); *b) ex parte*

(1) Sed tamen cf. infra ubi de Rescriptis.

privilegiati, per renuntiationem, a concedente acceptatam, *et per non usum* vel *contrarium usum* quum agitur de privilegio contra ius tertii, qui legitime praescripserit ; *c*) *ipso facto*, seu *natura sua*, si pr. fuit concessum condicione adiecta, etsi tacita, vel in diem, quum condicio explicit vel dies venit; *d*) *personale* insuper *morte* privilegiati, *reale* interitu completo rei vel loci (1), aut amissa dignitate.

Art. 2. De iis, quae legis civilis et ecclesiasticae sunt propria.

§ 1. *De Lege Civili.*

41. Auctor legis civilis est princeps vel populus vel uterque pro regiminis forma.

42. Actus mere interni non sunt **obiectum** legis civilis, quia nulla ratione civilem societatem attingunt.

43. Leges civiles sunt vel *personales*, quae sc. de statu personarum decernunt, vel *reales*, quae sc. de immobilibus statuunt; *his* accensentur, quae actuum sollemnitates et formam respiciunt. Personalibus civis adstringitur ubique gentium ; realibus subiiciuntur ii, qui ubi eae vigent versantur, sive cives, sive peregrini. *Clerici tenentur legibus civilibus* (iis exceptis, quae eorum statui vel iuribus repugnant), saltem ex iure naturae et ex voluntate Ecclesiae ; aequum enim est ut qui societatis emolumentis fruuntur, eiusdem subsint oneribus.

44. Leges civiles **obligant** regulariter in foro conscientiae, etsi legislator id non expresserit, praesertim quae constituunt iura et obligationes vel probationes vel tempus prosequendi eadem in iudicio. Leges vero, quae non praestant actionem in foro externo, non hoc ipso destruunt iura et

(1) Iure canonico (can. 75) privilegium locale, si locus intra 50 annos restituatur, reviviscit.

obligationes in interno. — Leges, quae ab usurpatore imperii, qui pacifice possideat, emanant, ligant conscientiam ratione boni communis et ordinis socialis.

Non obligant vero in foro conscientiae *a*) leges innixae falsa praesumptione facti, ut diximus n. 29; *b*) quae praetergrediuntur limites iustitiae vel legislatoris iurisdictionem; *c*) quae potiusquam praeceptum, continent consilium vel adhortationem; *d*) leges mere poenales, quae tamen si non obligant in conscientia ad eas servandas, obligant in conscientia ad poenam, quae fuerit constituta, subeundam.

Leges esse mere poenales necne, iudicandum erit ex legis materia (quum sc. finis sufficienter obtinetur ex metu a lege incusso) et ex legis verbis, deinde ex usu et receptis moribus, ex communi sensu doctorum et moralistarum. — Leges tributorum (*tasse*) et vectigalium (*dazi*, *gabelle*) censentur esse mere poenales; sed non licet officio suo deesse exactoribus, qui in re gravi graviter peccant et ad restitutionem tenentur, nisi agatur de re levi, praesertim cum pauperibus, in materia vectigalium, ex benigna interpretatione voluntatis legislatoris (cf. n. 340).

Utrum leges poenales obligent ad poenam in conscientia subeundam ante iudicis sententiam, distinguendum: 1° si poena est ferendae sententiae, iudicis sententia vel condemnatoria vel declaratoria, pro legislatoris voluntate, intercedat necesse est; 2° si poena est latae sententiae, subdist.: poena *activa* (quae sc. nequit exsecutioni demandari sine positiva aliqua delinquentis actione), vel *activa simul et privativa* (ex. gr. officii iam possessi dimissio) requirit iudicis sententiam, quia nimis arduum esset, reum poenam in se ipsum exsequi; poena *simpliciter privativa* vel *inhabilitans*, vel *privativa condicionalis* (ex. gr. amissio officii in eum lata qui intra tempus praefixum alicui condicioni non pareat) non requirunt iudicis sententiam, declaratoriam vero tantum exigunt « casu

quo reus non possit poenam exsequi sine propria infamia ». — Poenae conventionales contractibus appositae requirunt iudicis sententiam

§ 2. *De Lege Ecclesiastica.*

45. Auctores legis in Ecclesia sunt :

I. *Qui potestatem habent in Ecclesia supremam atque independentem,* sc. Romanus Pontifex vel solus vel cum Concilio Oecumenico, relate ad universam Ecclesiam. R. P. hanc exercet potestatem sive immediate per se, sive mediate per Sacras Congregationes.

Sacrae Congregationes, quibus R. P. utitur ad decreta condenda vel declarationes edendas, quae *rem nostram* respiciunt, ex Codice iuris canonici sunt quae sequuntur: 1ª *Congr. S. Officii*, cui competunt causae de fide, de haeresi et criminibus quae hanc redolent, ea quae respiciunt privilegium Paulinum, impedimenta disparitatis cultus et mixtae religionis, ieiunium eucharisticum pro sacerdotibus Missam celebrantibus, prohibitionem librorum. 2ª *Congr. de disciplina Sacramentorum*, cui competit quidquid respicit disciplinam septem Sacramentorum et sacrificii Eucharistici, iis exceptis quae S. Officio et S. Rituum Congr. reservantur, et praesertim dispensare ab impedimentis matrimonialibus in foro externo, a rato non consummato, ab irregularitatibus et impedim. ad Ordines, de validitate sacrae ordinationis et de obligationibus ab ea enascentibus iudicare, concedere indultum oratorii privati et facultatem SS. Sacramentum asservandi. 3ª *Congr. Concilii*, cui competit quidquid respicit disciplinam cleri saecularis et populi christiani ; proinde et materia abstinentiae, ieiunii, observantiae dierum festorum, Confraternitatum, piorum legatorum, stipendiorum Missae, beneficiorum et bonorum ecclesiasticorum, immunitatis ecclesiasticae. 4ª *Congr. Religiosorum*, cui competunt regimen religiosorum (votorum tum solemnium tum simplicium), controversiae inter religiosos, vel inter eos et Ordinarios

et non religiosos, dispensationes pro religiosis a iure communi. 5ª *Congr. de Propaganda Fide*, cui competit regimen missionum, ea lege ut negotia quae fidem, matrimonia, ritus respiciunt, ad competentes Congregationes remittat, et quae missionarios, ut religiosos, ad Congregationem Religiosorum. 6ª *Congr. Sacrorum Rituum*. Hisce addenda tum *Tribunal S. Poenitentiariae*, cui forum poenitentiae est subiectum, et sectio adnexa est de Indulgentiis, tum *Commissio Codici iuris canonici interpretando*, Motu Proprio 15 Sept. 1917 constituta.

Decreta Generalia SS. CC. pro universa Ecclesia condita et rite promulgata, si de mandato Pontificis edita vel eo adprobante (Decr. Gen. Congr. SS. Rituum non indigent speciali mandato vel adprobatione R. P.), habent vim legis universalis; sed ex Motu Proprio 15 Sept. 1917, ea erunt a Consilio, cui munus Codicis authentice interpretandi, in canones digerenda, qui, si Decreti sententia a Codice discrepet, veteribus canonibus sufficiantur, si quid novi praeseferat, certo loco in Codicem inserantur. *Decreta Particularia et Responsa*, quae ordinariis SS. CC. facultatibus innituntur, habent vim legis pro casu particulari, pro quo emissa, neque extendi possunt, quoad obligationis vim, ad alios casus, sed *normam* exhibere possunt *probabilem* ad iudicium ferendum de casibus similibus.

II. *Qui potestatem habent in Ecclesia subordinatam.* Et 1° *Legati* in suis provinciis, sed nomine R. P. 2° *Concilia Plenaria* et *Provincialia* per totam nationem vel regionem vel provinciam; sed leges ab iis latae, *ante quam* promulgentur et *ut vim habeant*, adprobationem a S. Sede obtinere debent; quae dicitur data *in forma communi*, si *negativa* est, sc. si iudicat S. Sedes nihil in iis adesse contra fidem, bonos mores et s. canones, *in forma speciali*, si S. Sedes eas *positive* adprobet et suas faciat. 3° *Ordinarii* in sua quisque dioecesi (non enim Patriarchae et Metropolitae leges ferre possunt pro dioecesibus suffraganeis); sed leges ab Ordinario latae extra Synodum, *vel* inconsulto Ca-

pitulo Cath. Ecclesiae, habent solum vim *Statutorum* (et proinde cessant, resoluto eius iure), praeter quam in duobus casibus: *a*) quum Ordinarius declarat se legem stabilem condere velle, *b*) quum ordinatio afficit subditos omnes, tum clericos, tum laicos. 4° Qui *in Ordinibus Regularium* (sive Capitula Generalia, sive Praelati) ius obtinent ex Pontificia adprobatione leges ferendi pro suis monasteriis. Diximus: ex adprobatione Pontificia, non *vi voti*, quod solum ius confert, cum sit personale, praeceptis ferendis, non legibus. 5° *S. R. E. Cardinales* in suis Titulis, in iis tantum quae disciplinam ecclesiasticam et morum correctionem respiciunt.

Parochi, quibus iurisdictio est tantum in foro interno, leges ferre nequeunt; item *abbatissae*, vel *superiores feminae* ordinum regularium, quae sunt iurisdictionis ecclesiasticae incapaces. Praeceptum tamen ferre possunt ob potestatem dominativam vel oeconomicam, qua respective gaudent in parochianos vel religiosas.

46. Obiectum legis ecclesiasticae *iuxta plures* esse nequeunt *actus mere interni;* sed quum Ecclesia praecipit actus externos, potest praecipere, et reapse praecipit, internos, necessarios ad actionem externam perficiendam, idest *actus mixtos* (ex. gr. Ecclesia constituit praecepto confessionis vel communionis annuae non satisfieri per confessionem vel communionem sacrilegam). At *iuxta alios* Ecclesia, ex potestate legifera B. Petro concessa, praecipere potest actus mere internos; et revera praecipit, quum ex. gr. iubet exercitia spiritualia peragenda; determinat legem naturalem et divinam circa actus mere internos, ex. gr. quoties actus fidei vel caritatis sit eliciendus, quoties parochi vel Ordinarii debeant applicare pro populo etc.

47. Quoad **subiectum** legis ecclesiasticae nonnulla in specie sunt attingenda. Et primo de haereticis, schismaticis, apostatis; secundo de pueris, qui nondum septennium expleverint; tertio de peregrinis, advenis, vagis.

1° *Haeretici, schismatici*, et *apostatae* (qui sc. a fide christiana desciverunt) manent et sunt semper Ecclesiae subditi, ratione suscepti baptismatis; communis vero sententia est eos excusari a legibus servandis, quae sanctificationem internam respiciunt, sive ob ignorantiam, sive ex praesumpta Ecclesiae voluntate. Sed tenentur legibus, praesertim irritantibus, quae bonum commune respiciunt, ex gr. de impedimentis matrimonialibus, de quibus v. n. **547.**

2° *Pueri*, qui nondum septennes, usum rationis habeant (CIC. can. 12), non tenentur legibus ecclesiasticis, praeterquam lege confessionis et communionis annuae (1). (*Poenae* vero transgressoribus impositae non incurruntur ante pubertatem, sc. ante 14 a. completum pro maribus, ante 12 completum pro feminis.) Completo autem septennio, pueri non tenentur nisi legibus, quae sint aetati congruae: ut ex. gr. confessionis et communionis annuae, auditionis sacri, abstinentiae a carnibus, ideoque peccant et parentes, qui eas a filiis adimpleri neglegunt.

3° *Praenotandum* (cf. CIC. can. 13, 14, 91, 92, 94): *a*) *Peregrinum* dici illum, qui versatur extra domicilium vel quasi-domicilium quod adhuc retinet. *b*) *Advenam* dici illum, qui extra suum territorium constituit alicubi quasi-domicilium. Domicilium inde a primo die in nova residentia adquiritur, quum adest animus ibi perpetuo manendi, saltem donec nova ratio inde avocet; vel adquiritur, independenter ab animo perpetuo manendi, per commorationem protractam ad decennium completum. Quasi-domicilium item a primo die adquiritur, quum adest animus loco manendi per maiorem anni partem, si nihil inde avocet; vel adquiritur, independenter ab ea intentione, per commorationem reapse protractam ad maiorem anni partem. Domicilium vel quasi-domicilium in paroecia vel quasi-paroecia dicitur *paroeciale;* in dioecesi, vicariatu, praefe-

(1) Cf. can. 906 et 854, 5°. — V. etiam n. **366** et **447.**

ctura (non autem in paroecia vel quasi-paroecia) *dioecesanum*, quod qui habent, sortiuntur parochum loci ubi actu commorantur. *c*) *Vagum* denique illum esse, qui nullibi domicilium vel quasi-domicilium habet, sed hac illac versatur.

Hisce praemissis, de *advena*, nihil addendum, ut patet; tenetur enim legibus territorii, ubi quasi-domicilium instituit.

Peregrinus vero *a*) *praeceptis*, quae ossibus haerent, ligatur quocumque eat: *b*) *legibus territorii sui*, unde discessit, *non* tenetur, quia extra territorium ius dicenti non paretur impune; nisi tamen id, quod absens extra facit vel omittit, in patria noceat (ex. gr. si parochus residentiam relinquat); item *privilegiis territorii sui non* gaudet (cf. CIC. can. 14, 3°); *c*) *legibus loci, quo advenit, non* ligatur, nec lege particulari, quae in patria item vigeat, quia nemo potest suis legibus, nisi subditos suos, obligare, nisi tamen agatur de legibus quae ordini publico consulunt vel actuum sollemnia determinant aut de reservatione casuum (Comm. CIC. interpr. 17 Aug. 1919); *privilegiis loci, quo advenit*, uti frui potest; *d*) si satisfecerit legi communi in suo territorio, non ea iterum ligatur ubicumque ea serius vigeat et urgeat. Nota, locum exemptum in suo territorio aequiparari loco sito extra suum territorium.

Vagus, ne sit exlex, intelligitur domicilium habere ubi in praesens versatur, eiusque proinde loci subditus esse; quare tenetur legibus tam generalibus quam particularibus quae vigent in loco ubi versatur.

48. Quoad **promulgationem** *a*) leges ab Apostolica Sede latae promulgantur per editionem in *Actorum Apostolicae Sedis commentario officiali*, nisi in casibus particularibus alius promulgandi modus fuerit praescriptus; et vim suam exserunt post tres integros menses a die qui *Actorum* numero appositus est, nisi ex natura rei illico ligent aut in ipsa lege brevior vel longior vacatio specialiter et expresse fuerit statuta; *b*) leges Episcopales promulgantur eo modo quem Episcopus determinaverit,

et statim a promulgatione obligare incipiunt, nisi aliud in ipsis caveatur (cf. CIC. can. 9; 335, 2°).

Quoad **interpretationem** (cf. etiam nn. **34, 35, 36, 37**) legum ecclesiasticarum, CIC. statuit: *a*) interpretari authentice leges legislatorem, eius successorem vel eum cui potestatem interpretandi iidem fecerint (can. **17**); Codicis vero interpretandi potestas unice facta est Commissioni, de qua v. n. **45**, I.; *b*) leges ecclesiasticas intelligendas esse secundum propriam verborum significationem in textu et contextu consideratam; quae si dubia et obscura manserit, ad locos Codicis parallelos, si qui sint, ad legis finem ac circumstantias et ad mentem legislatoris esse recurrendum (can. 18); *c*) si certa de re desit expressum praescriptum legis sive generalis sive particularis, normam sumendam esse, nisi agatur de poenis applicandis, a legibus latis in similibus; a generalibus iuris principiis cum aequitate canonica servatis; a stylo et praxi Romanae Curiae; a communi constantique sententia doctorum (can. 20); *d*) leges, quae poenam statuunt aut liberum iurium exercitium coarctant aut exceptionem a lege continent, strictae subesse interpretationi (can. 19).

Quoad **dispensationes**:

1° A) *Potestate ordinaria a*) R. P. *improprie* dispensat, et *valide ex iusta causa,* in iure naturae hypothetico privato (in votis et iuramentis) et in lege positivo-divina, quae non respiciat essentialem Ecclesiae constitutionem (ut Sacrificium, Sacramenta), quia non proprie dispensat, sed declarat cessationem iuris divini. In legibus ecclesiasticis dispensat pro universa Ecclesia. *b*) *Ordinarii locorum* (1) dispensant in legibus Concilii plenarii ac

(1) Ut semel dicamus, *Ordinarii* nomine veniunt in iure, nisi quis expresse excipiatur, praeter Romanum Pontificem, pro suo quisque territorio Episcopus residentialis, Abbas vel Praelatus *Nullius* eorumque Vicarius Generalis, Administrator Apostolicus, Vicarius et Praefectus Apostolicus, itemque ii qui, praedictis deficientibus, interim ex iuris praescripto aut ex probatis constitutionibus succedunt in regimine, pro suis vero subditis superiores maiores religionis clericalis

provincialis, in casibus tamen peculiaribus et iusta de causa; Synodi dioecesanae, antecessorum, suis, inferiorum.

B) *Potestate quasi-ordinaria.* Ordinarii dispensare possunt: *a*) in legibus irritantibus et inhabilitantibus, in quibus R. P. dispensare solet, *in dubio facti* (CIC. can. 15); *b*) in legibus Ecclesiae generalibus (et *locorum Ordinarii* in legibus latis a R. P. pro eorum territorio) tunc solum, quum haec potestas est iis explicite vel implicite concessa, aut difficilis est recursus ad S. Sedem et simul in mora est periculum gravis damni, modo agatur de dispensatione quae ab Apostolica Sede concedi solet; secus, nec in casibus particularibus dispensare queunt (can. 81, 82). Quousque Episcopi ex CIC. can. 1245 possint dispensare in lege de observantia festorum, de abstinentia et ieiunio v. nn. 219, 365. — Eadem igitur potestate intra eosdem limites cum suis subditis dispensant *superiores maiores religionis clericalis exemptae.* — *Parochi* quid possint, ex eodem can. 1245 CIC., videsis iisdem nn. 219, 365; ceterum, nec a lege generali nec a lege peculiari dispensare valent, nisi haec potestas expresse iisdem concessa sit (CIC. can. 83).

C) De facultatibus habitualiter Ordinario delegatis v. paullo infra ubi de privilegiis.

2° Dispensationes omne genus a Sede Apostolica concessae etiam censura irretitis validae sunt, nisi agatur de nominatim suspensis a divinis vel excommunicatis vitandis vel personaliter interdictis, aut de excommunicatis toleratis post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam : hisce concessae, tunc tantum valent, quum in pontificio rescripto fit mentio de excommunicatione (CIC. can. 36, § 2).

exemptae [idest Abbas Primas, Abbas Superior Congregationis monasticae, Abbas monasterii sui iuris, licet ad monasticam Congregationem pertinentis, supremus religionis (heic clericalis exemptae) Moderator, Superior Provincialis, eorumdem vicarii aliique ad instar provincialium potestatem habentes]. Nomine autem *Ordinarii loci* vel *locorum* veniunt omnes recensiti, exceptis Superioribus religiosis

Quoad **privilegia** (cf. n. **40**, II, 3°), haec addenda:

- **Privilegia in re nostra**
  - **acquiruntur** (CIC. can. 63)
    - **concessione directa competentis auctoritatis ecclesiasticae:**
      - *a)* **quae a R. P. vivae vocis oraculo, si adversus tertios vindicari in foro externo velint, debent legitime probari** (can. 79);
      - *b)* **facultates habituales concessae in perpetuum vel ad tempus vel ad certum numerum casuum** (can. 66),
        - **accensentur privilegiis** *praeter ius*;
        - **secumferunt potestates, quae et quousque ad illarum usum sint necessariae** (ex. gr. **facultas dispensandi secumfert potestatem absolvendi a censuris et poenis, ad effectum dumtaxat dispensationis consequendae**).
    - **per communicationem, et si**
      - **in forma aeque principali** (can. 64),
        - **ea tantum acquisita censentur, quae concessa erant primo privilegiario** *directe, perpetuo*, **et sine speciali relatione ad certum locum, rem, personam, et quorum capax sit subiectum cui communicantur: si minuantur vel cessent in primo privilegiario, integra manent in altero subiecto;**
      - **in forma accessoria,** (can. 64, 65)
        - **valet eadem regula ac pro acquisitis in forma aeque principali: at minuuntur vel cessant, si minuantur vel cessent in primo privilegiario.**
    - **per legitimam consuetudinem aut praescriptionem**
      - **Possessio centenaria vel immemorabilis inducit praesumptionem concessi privilegii** (can. 63, § 2).
  - **sunt**
    - **perpetua, nisi aliud constet; (can. 70)**
    - **interpretanda: (can. 67, 68)**
      - **ex eorum tenore, nec extendenda aut restringenda;**
      - *in dubio,* **quae**
        - **contra legem, aut iura aliis quaesita,** *stricte;*
        - **praeter ius,** *late.*
    - **liberi usus, (can. 69)**
      - **si in commodum sui concessa, modo ne ex alio capite exsurgat obligatio utendi.**


Privilegia in re nostra
revocantur (can. 71)
a) quae in Codice contenta, per legem generalem;
b) cetera
per legem contrariam quae de iisdem privilegiis caveat, aut lata sit a Superiore concedentis privilegium;
per revocationem privilegiario intimatam.
cessant (can. 72, 73, 76, 77)
renuntiatione a Superiore acceptata:
privatus renuntiare potest pr. in sui tantum favorem constituto: non privilegio communitati, loco, dignitati concesso:
communitas nequit renuntiare privilegio sibi concesso per modum legis, aut si renuntiatio noceat Ecclesiae vel aliis.
resoluto iure concedentis,
tunc tantum, si concessa cum clausula ad beneplacitum nostrum vel alia aequivalenti.
renuntiatione tacita vel legitima praescriptione,
si agatur de privilegio aliis oneroso, et ex parte privilegiarii accedat non usus vel contrarius usus.
formali Superioris declaratione,
privilegium, mutatis adiunctis, noxium, eiusque usum illicitum evasisse.
elapso tempore.
expleto numero casuum, pro quibus concessa,
sed validi sunt actus vi potestatis pro foro interno positi, ex inadvertentia, post expletum casuum numerum.

49. Gratiae quaevis vel dispensationes etc. conceduntur vel vivae vocis oraculo vel per rescriptum.

Rescriptum definitur « responsum Principis scripto redditum ad alterius instantiam ». Erit *iustitiae* vel *gratiae*, prout conceditur aliquid respiciens quaestiones iudiciales, vel non.

I. Rescripta ut *valida* sint, oportet ut: A) Petens sit *habilis* ad gratias obtinendas: de quo cf. supra n. **48**, 2°, ubi de dispensationibus. B) Petantur *legitime*. Et quidem: *a*) rescripta possunt impetrari etiam pro alio, etsi inscio, qui poterit gratia non uti, sed rescriptum valet ante eius acceptationem, nisi aliud ex clausulis appareat (can. 37); *b*) gratia

ab una S. Congregatione vel Officio Romanae Curiae denegata *invalide conceditur* ab alia S. Congr. vel Officio vel loci Ordinario sine assensu S. Congr. vel Officii, quibuscum agi coeptum, salvo S. Poenitentiariae iure pro foro interno; *c*) gratia a Vicario Generali denegata et ab Episcopo, nulla facta denegationis mentione, concessa; item gratia ab Episcopo denegata et a Vicario Generali, etsi facta denegationis mentione, sine assensu Episcopi concessa, *invalida* est; gratia a proprio Ordinario denegata, *illicite* petitur ab alio Ordinario sine denegationis mentione, sed *valide* obtinetur; facta mentione, alius Ordinarius, nisi requisiverit a priore Ordinario denegationis rationes, *illicite*, sed *valide* concedet (can. 43, 44). C) *Conditiones* rescripto appositae *probatae* sint; sed eae tantum sunt ad validitatem essentiales, quae exprimantur particulis *si*, *dummodo* vel aliis eiusmodi (can. 39). D) *Preces veritate nitantur* (quae conditio, etsi non expressa, semper subintelligitur), et quidem, si rescriptum datur sine exsecutore, quo tempore datur; sin autem exsequendum committitur, quo tempore exsecutioni demandatur. Et firmis iis quae diximus n. 40, II, 2, A), ubi de dispensatione, quoad subreptionem et obreptionem, addimus: *a*) vitium subreptionis minime obstare validitati rescriptorum, licet reticeatur veritas necessario exprimenda, quum apponitur clausula *Motu proprio*, modo ne obreptio incidat in causam finalem quae unica proponatur, salva tamen, etiam in hoc casu, validitate dispensationum ab impedimentis matrimonialibus minoribus; neque obstare validitati rescriptorum, quae ea clausula careant, dummodo expressa fuerint quae de stylo Curiae sunt ad validitatem exprimenda; *b*) vitium obreptionis vel subreptionis in altera rescripti parte, alteram non infirmare si una simul plures gratiae per rescriptum concessae sint (can. 41, 42, 45). E) *Errore substantiali non inficiantur;* et substantialis non censetur error in nomine rescribentis, concessionarii, loci ubi hic degit, rei de qua agitur, dum-

modo, iudicio Ordinarii, nulla sit de ipsa persona vel re dubitatio (can. 47). F) *Aliis rescriptis de una eademque re datis non repugnent absolute.* Qua in re hae normae sunt servandae: Si de una eademque re duo impetrentur rescripta inter se contraria, *a*) in concursu rescripti generalis cum rescripto peculiari, praevalet peculiare in iis quae peculiariter exprimuntur, firmo quoad reliqua generali; *b*) si utrumque est generale vel peculiare, quod prius est tempore (concessionis) praevalet posteriori, nisi aut in hoc mentio facta fuerit prioris (quo in casu prius censetur revocatum per posterius vel potius suspensum in concursu posterioris), aut prior impetrator dolo vel notabili negligentia (quod erit determinandum ab Ordinario vel a iudice ecclesiastico) rescripto usus non fuerit, aut, ni fallor, posterius sit antea exsecutioni demandatum et vim suam exserere coeperit; *c*) si utrumque eodem die concessum est, nec liqueat uter prior impetraverit (nam, si de prioritate aliquo modo constet, standum prioritatis legi), utrumque est irritum et ad rescribentem, si unus idemque est qui duo dedit rescripta, est recurrendum: sed si duo sint rescribentes iique potestate pares, ad superiorem utriusque rescribentis confugiendum; si alter alterius superior, superioris rescriptum praevalebit (can. 48). G) *Non sint* contra alicuius loci legitimam consuetudinem vel statutum peculiare vel contra ius alteri quaesitum; ea tamen valida erunt, si clausula derogatoria apposita sit (can. 46).

II. Rescripta *interpretanda* sunt secundum propriam verborum significationem et communem loquendi usum, nec debent ad alios casus, praeter expressos, extendi: in dubio, rescripta *iustitiae* seu quae ad lites referuntur, itemque ea quae iura aliis quesita laedunt vel derogant iuri communi in commodum privatorum vel concedunt beneficia ecclesiastica *strictam* interpretationem recipiunt; cetera *latam* (can. 49, 50).

III. Rescripta dicuntur concessa: A) *In forma gratiosa*, quum continent gratiam iam omnino

factam, sine interiecto exsecutore: tunc solum ea Ordinario praesentanda sunt, quum *a*) id in ipso rescripto praecipitur, aut *b*) agitur de rebus publicis, ex. gr. de indulgentiis communitati impertitis, aut *c*) comprobare conditiones quasdam oportet ex. gr. decentiam oratorii privati (can. 51). B) *In forma commissoria,* quum gratia non est facta, sed facienda, scil. datur facultas Ordinario, etc. eam concedendi vel non, et *exsecutor* est *voluntarius.* Quoad exsecutionem, haec statuuntur: rescripti exsecutor *a*) *invalide* agit ante quam litteras receperit earumque authenticitatem et integritatem recognoverit, nisi praevia earumdem notitia ad eum fuerit auctoritate rescribentis transmissa (can. 53); rescripta vero, quorum praesentationi nullum est definitum tempus, possunt exsecutori exhiberi quovis tempore, modo absit fraus et dolus (can. 52); *b*) debet comprobare precum veritatem; potest aliis pro lubitu committere actus praeparatorios exsecutionis, ex. gr. recognitionem authent. et integritatis litterarum, inquisitionem de precum veritate; et, nisi substituti persona fuerit in rescripto praefinita vel substitutio prohibita vel electa industria personae, praeter actus praeparatorios, potest aliis committere pro lubitu totum ipsum exsecutionis negotium. At substitutus nequit alterum substitutum rursus eligere. Si vero exsecutio commissa fuerit a rescribente alicui in dignitate vel officio constituto, exsecutio fieri poterit ab exsecutoris successore in dignitate vel officio, nisi fuerit electa industria personae (can. 57, 58); *d*) debet procedere ad mandati normam, et irrita erit exsecutio nisi conditiones essentiales in litteris appositas impleverit ac substantialem procedendi formam servaverit (can. 55); *e*) debet *scripto* facere (non sub poena invaliditatis) exsecutionem rescriptorum quae forum externum respiciunt, et, si quoquo modo erraverit, poterit rescriptum denuo exsecutioni mandare: quoad taxam exsecutionis, standum taxis praefinitis a Concilio provinciali vel a conventu episcoporum provinciae et a S. Sede

adprobatis, nisi Ordinarius peculiares facultates hac in re a S. Sede impetraverit (can. 56, 59, 1507, 1056); *f*) poterit pro suo prudenti arbitrio et conscientia gratiam concedere vel denegare (can. 54, § 2). C) *In forma mixta*, quum gratia iam facta est, sed committitur exsecutori, ut, sub nonnullis conditionibus, rescriptum exsecutioni demandet; in eiusmodi rescriptis *exsecutor* dicitur *necessarius*, et formula *pro tuo arbitrio et conscientia* adhibetur urbanitatis et reverentiae causa. Valent pro rescriptis in forma mixta quae diximus de R. in forma commissoria sub *a*), *b*), *c*), *d*), *e*); sed exsecutio rescripti denegari non potest, nisi aut manifeste pateat rescriptum vitio subreptionis aut obreptionis nullum esse, aut in rescripto apponantur conditiones, quas exsecutori constet non esse impletas, aut qui rescriptum impetravit adeo, iudicio exsecutoris, videatur indignus ut aliorum offensioni futura sit gratiae concessio: in hoc postremo casu exsecutor, intermissa exsecutione, statim ea de re debet certiorem facere rescribentem (can. 54, § 1). — Rescripta sunt *in forma commissoria*, si negotium committatur *arbitrio et voluntati exsecutoris*, vel *remittantur* preces *cum facultatibus necessariis et opportunis*, vel dicatur *dispenses, absolvas, concedas, veniam facias, si id expedire iudicaveris*, vel alia eiusmodi forma adhibeatur; *in forma mixta*, si Pontifex precibus annuit, ideoque *mandat* Ordinario ut gratiam concedat, sub nonnullis conditionibus, dicens: *dispenses, absolvas, facultatem concedas, veniam facias.*

IV. Si in rescripto dicatur dispensatio ab exsecutore necessario concedenda *in foro conscientiae*, non erit opus confessione; si *in foro sacramentali*, confessione erit opus, non autem absolutione, ideoque non nocebit confessio sacrilega; si *in foro poenitentiae*, confessio erit item necessaria, sed si dispensatio extra forum p. data fuerit, standum erit pro valore actus.

V. Rescripta *cessant*: *a*) *revocatione* ei, qui rescriptum impetravit, *intimata;* non autem *per legem*

contrariam, nisi aliud in ipsa lege **caveatur, aut** lex lata sit a superiore ipsius rescribentis: *b) vacatione Sedis Apostolicae* aut *dioecesis,* sed tantum quae data sint a R. P. vel ab Ordinario in forma commissoria, si res sit adhuc integra (sc. si ne actus quidem praeparatorii ab exsecutore voluntario posita sint), vel data sint cum clausula *ad beneplacitum nostrum* vel alia aequivalenti (can. 60 et 61).

APPENDIX I. — De consuetudine.

50. Lex non scripta seu **consuetudo** definitur « ius non scriptum, diuturnis populi moribus introductum, aliquo legislatoris consensu firmatum ».

Consuetudo alia *secundum legem* (quae sc. legem confirmat vel interpretatur), alia *praeter legem* (quae sc. novam legem inducit) seu *obligatoria.* alia *contra legem* (quae sc. derogat legi exsistenti) seu *derogatoria. Illam* omittimus: de *ista* et *hoc,* paucis.

Ad consuetudinem inducendam requiritur: A) Ex parte *superioris,* ut eius *consensus* accedat. Consensus alius *a) expressus,* si legislator dat licentiam inducendi consuetudinem seu eam induci coeptam adprobat: in casu tempus legitimum iam non requiritur, sed statim vel cessat lex vel nova lex exsurgit; alius *b) tacitus* seu *interpretativus,* quum legislator, sciens *et* potens consuetudini resistere, tacet; alius denique *c) legalis,* sc. praevia adprobatio in iure expressa cuiuslibet consuetudinis debitis condicionibus fultae. Patet *illum* et *istum* non esse necessarium, sed *hunc solum* sufficere. B) Ex parte *communitatis,* ut consuetudo *a)* inducatur a communitate, quae capax sit legis saltem recipiendae; *b)* exerceatur a maiore communitatis parte, quia secus moralis unitas deficeret. C) Ex parte *obiecti,* ut consuetudo sit *rationabilis,* et quidem non necessario *positive rationabilis* (sc. meliori sui opposito), sed saltem *negative rationa-*

bilis, quae sc. nec iuri naturali aut divino repugnet, nec corruptelam morum contineat. D) Ex parte *actuum*, ut hi sint *a*) frequenter, voluntarie, libere, *scienter* positi, cum intentione sc. consuetudinem inducendi, nec frequentia eiusmodi actuum interrumpatur per contrarios communitatis ipsius actus vel per legislatoris dispositionem; *b*) *legitimo tempore praescripti*, eo sc. tempore quod vel ipso iure vel, si lex sileat, a iuris peritis communiter determinetur.

Consuetudo abrogatur per legem posteriorem vel per contrariam consuetudinem.

Iure canonico decernitur: *a*) consuetudinem in Ecclesia vim legis a consensu competentis superioris ecclesiastici unice obtinere (CIC. can. 25): potestas enim non est penes populum; *b*) eam posse induci a communitate, quae sit capax legis ecclesiasticae saltem recipiendae (can. 26), idest *perfecta:* cuiusmodi sunt provincia ecclesiastica, dioecesis, religio etiam votorum simplicium, capitulum cathedrale, monasterium, non autem paroecia, aut singularis persona physica; *c*) consuetudinem, quae in iure expresse reprobetur, non esse rationabilem (can. 27, § 2); *d*) consuetudinem nullo pacto induci posse contra ius naturale aut positivo-divinum (cf. n. 39); contra et praeter legem ecclesiasticam posse, modo ea sit rationabilis et legitime per annos quadraginta completos praescripta, aut, si agatur de l. e. cum clausula futuras consuetudines prohibente, centenaria vel immemorabilis (can. 27, 28); *e*) *consuetudines hodie vigentes contra Codicis canones*, sive illae universales sive particulares sint, si in Codice expresse reprobentur, etsi immemorabiles, delendas esse nec posse unquam reviviscere; centenarias et immemorabiles tolerari posse, si Ordinarii pro locorum aut personarum adiunctis existiment eas prudenter submoveri non posse; ceteras omnes suppressas haberi, nisi expresse Codex aliud caveat (can. 5); *f*) consuetudinem contra vel praeter legem per contrariam consuetudinem vel legem revocari; sed legem

non revocare consuetudines immemorabiles vel centenarias, nisi expresse de iis mentionem fecerit, nec legem generalem consuetudines particulares (can. 30).

Nihil refert utrum consuetudo contra legem inducta sit bona an mala fide; verum si introducitur contra legem non mere poenalem, initio omnes et culpam admittunt et poena ligantur, post quadraginta annos nec peccant nec puniri queunt; medio tempore, culpa probabiliter vacant qui consuetudinem sequuntur iam a plerisque usurpatam.

Iure civili italico *consuetudo,* ut *fons iuris,* exsulat (cf. Dispositiones praeliminares de publicat., interpret. et applic. legum in genere, art. 5), sed *usus eatenus* agnoscitur, *quatenus* ad eum lex scripta se referat (cf. Dispositiones temporarias, art. 48). Consuetudo vero ab usu longissime distat; ea enim constituit *ius,* hic *factum;* ea (ius consuetudinarium) debet a iudice etiam ex officio applicari, hic a partibus probari. Item a iure poenali i. consuetudo abest. In iure autem commercii i. videtur habenda tamquam fons iuris subsidiarius; statuitur enim in Cod. comm., art. 1.: « *In materia di commercio si osservano le leggi commerciali. Ove queste non dispongano, si osservano gli usi mercantili; gli usi locali o speciali prevalgono agli usi generali. In mancanza si applica il diritto civile* ».

APPENDIX II. — **De praecepto.**

51. **Praeceptum** definitur « iussum singulis datum ».

Cum lege convenit quatenus debet ferri, ab eo qui potestatem habet, in subditos, et esse iustum et manifestum. A lege differt, ratione *a) praecipientis,* qui relate ad praeceptum potest esse privatus quilibet, gaudens potestate dominativa vel oeconomica; *b) subiecti,* quod est individuus homo; *c) finis,* qui est bonum privatum; *d) extensionis,* quia pr. est personale et ossibus haeret; *e) dura-*

tionis, quia cessat resoluto iure praecipientis, etiam re non integra, et morte subiecti.

Leges decalogi et Ecclesiae eatenus praecepta dicuntur, quatenus latae sunt praecipue in bonum individui hominis, eiusque ossibus haerent ad instar praecepti.

Iure canonico praecepta tum iudicialiter urgeri nequeunt, tum cessant resoluto iure praecipientis, nisi per legitimum documentum aut coram duobus testibus imposita fuerint (CIC. can. 24).

SECTIO ALTERA

DE FONTIBUS MORALITATIS SEU DE CONSIDERANDIS IN ACTU HUMANO IN COMPARATIONE CUM LEGE

52. In quolibet actu humano, ut possit comparari ad regulam morum obiectivam (legem sc. vel naturalem vel positivo-divinam vel humanam), debent considerari obiectum, in quod fertur voluntas agentis, et circumstantiae, quae actum comitantur. Prout enim obiectum et adiuncta erunt bona, mala, indifferentia, ita actus erit bonus, malus, indifferens. Quaestio incidit, denturne actus indifferentes. Et dari *in specie* (ut deambulare in horto), nemo non videt; *in individuo* dari, Thomistae negant, quia actus in individuo semper ordinantur ad finem et, pro fine bono vel malo, boni vel mali erunt; Scotistae affirmant, quia admittunt finem indifferentem. Sed haec sententia intelligenda est de actibus in individuo indifferentibus relate ad meritum, non relate ad moralem bonitatem; et in hoc sensu utraque sententia idem sonat.

Cap. I. De notione obiecti et circumstantiarum.

53. Obiectum est terminus, ad quem per se et immediate actus tendit (ex. gr. rei alienae possessio in furto). **Circumstantiae** seu adiuncta sunt determinationes accidentales actus, sine quibus hic quoad substantiam aeque exsistere posset. Septem enumerantur in noto versiculo: *Quis* (persona), *quid* (qualitas et quantitas obiecti), *ubi* (locus), *quibus auxiliis* (media), *cur* (finis), *quomodo* (modus), *quando* (tempus).

Inter circumstantias praecellit *finis*. Duplex distinguitur: *operis* seu *intrinsecus*, et *operantis* seu *extrinsecus; ille* idem est atque obiectum actus, *hic* est, quem agens sibi proponit. Finis operis et operantis interdum recidunt in idem (ex. gr. uti curru ad vehendum); interdum superadduntur (ex. gr. uti curru, ut veharis ad ostentationem); interdum vero actus dirigitur unice a fine operantis (ex. gr. uti cereo ad aliquem percutiendum).

Finis operantis dicitur *a*) *intermedius* vel *ultimus*, prout ad alium finem refertur, vel in eo quiescit voluntas; *ultimus* autem *positive* vel *negative*, prout intenditur, vel non, cum exclusione alterius finis; — *b*) *totalis*, si unice, *primarius*, si principaliter, *secundarius*, si non principaliter movet agentis voluntatem; — *c*) *explicitus* vel *implicitus*, prout ab eo agentis voluntas expresse vel virtualiter tantum movetur.

Cap. II. De influxu obiecti et circumstantiarum in moralitatem actus.

54. Moralitas definitur habitudo actuum humanorum ad normam honestatis; et actus dicuntur morales, qui libere perficiuntur cum cognitione moralitatis obiecti.

Moralitas *a*) alia *obiectiva* seu *materialis*, quae inest obiecto in se, independenter ab apprehensione agentis; alia *subiectiva* seu *formalis*, quae ipsi actioni inest, dependenter ab apprehensione agentis. *b*) Alia *interna*, quae obiecto convenit natura sua; alia *externa*, quae obiecto convenit ex praecepto legislatoris vel superioris.

55. *Moralitas actus desumitur primaria et essentialis* ab obiecto (ex quo actus speciem capit) prout apprehensum fuerit; et haec concipitur ante omnem aliam; *secundaria et accidentalis* desumitur ex circumstantiis et praesertim ex fine. (Questio incidit, utrum necesse sit omnes actus dirigere in gloriam Dei; sententia affirmativa est communior et verior, sed sufficiet actus ad Deum dirigere *virtualiter*, quod facere intelligitur quisquis agit ob finem alicuius virtutis vel honestum et naturae rationali consentaneum). Triplex igitur moralitas, sc. bonitas vel malitia, exsurgere potest, sive intra eamdem speciem, sive diversae speciei: prima ex obiecto, altera ex fine, tertia demum ex reliquis circumstantiis. Circumstantiae aliquando *a*) *dant speciem moralem* actui, cuius obiectum sit indifferens; *b*) *aggravant* vel *minuunt*, sive intra eamdem speciem theologicam, sive transferentes actum ad aliam speciem theologicam (sc. e veniali ad mortale, et vicissim); *c*) *mutant* seu *addunt speciem* (moralem), ex. gr. circumstantia loci sacri in furto addit malitiae contra iustitiam malitiam contra religionem.

56. Non est confundenda *actio* cum *opere in se;* et sane finis malus et malae circumstantiae actionem quidem reddunt malam, opus minime malum, quia, quum sint ab extrinseco, nequeunt naturam operis per se boni immutare. Sic ex. gr. non est mala oratio matrisfamilias in Ecclesia tunc facta, quum teneretur domi filiis et rebus suis superesse, licet *male agat;* malum erit non effective, sed *affective* tantum, uti iure suo, e quo detrimentum (quod praecise intendatur) alteri obveniat.

57. Hisce prachabitis, de influxu obiecti, finis et circumstantiarum in actionem principium esto: *bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu.* Hinc *a*) ut actus sit bonus, requiritur ut obiectum sit bonum vel saltem indifferens, finis bonus, bona sint adiuncta; *b*) si obiectum est malum, finis vel adiuncta, quantumvis sancta, actum non cohonestant, quia « non sunt facienda mala ut eveniant bona »; *c*) finis graviter malus *totam* corrumpit bonitatem actus; item finis leviter malus, sed totalis et primarius, qui ad actum movet et principaliter intenditur: non item finis leviter malus, partialis et secundarius; *d*) cetera adiuncta graviter vel leviter malum reddunt actum, prout sunt graviter vel leviter mala.

58. In *actibus internis,* sc. in delectatione morosa, in gaudio, in desiderio, moralitas desumenda est — in *illa* ex obiecto, prout menti repraesentatur, — in *his* ex obiecto cum omnibus circumstantiis. — *Actus externus,* seu in genere *actus imperatus,* nullam *per se* addit malitiam actui interno seu elicito, quia ex utroque una actio coalescit et insuper actus imperatus non habet moralitatem formalem distinctam ab actu elicito; sed *per accidens* saepe auget malitiam, quia voluntas in actu externo aut intensior fit aut magis diuturna.

SECTIO TERTIA

DE ACTUUM MORALIUM DISTINCTIONE SEU DE PECCATIS IN GENERE ET IN SPECIE

Cap. I. **De peccatis in genere.**

59. Heic prosequimur alias distinctiones actuum, minus generales et quoad actus malos tantum, quia tota th. moralis in Sacramentum Poenitentiae convergit, et ad hoc in primis malorum actuum seu peccatorum distinctiones.

Peccatum actuale *formale* est transgressio libera legis in conscientia obligantis. Ad peccatum formale proinde requiritur, **praeter** malitiam obiectivam actus, tum mentis advertentia ad illam malitiam, tum voluntatis — **saltem** in confuso — actualis consensus; secus **habetur** peccatum *mere materiale*, sc. transgressio mere obiectiva ideoque **non** imputabilis.

Peccatum formaliter consistit in actu interno voluntatis; peccatum, quod ex actione interna et externa simul coalescit, *ab interna suum esse morale* accipit, sed, cum ex utraque unum totale concretum morale exsurgat, et pars a toto differat, in confessione erit explicandum utrum solus actus internus an simul externus fuerit admissus.

Triplicem peccatorum distinctionem prosequemur, sc. ratione *a*) gravitatis seu speciei theologicae, *b*) speciei moralis, *c*) numeri.

Art. 1. De distinctione peccatorum ratione gravitatis, seu theologica.

60. Gravitas peccati est quantitas seu mensura malitiae, qua peccatum est magis vel minus Dei offensivum et per consequens maiore vel minore poena dignum.

Maior vel minor peccatorum **gravitas aestimari debet** *a*) ex aversione a Deo, sc. ex virtute quae laeditur; *b*) ex conversione ad creaturas, sc. ex obiecto peccati; *c*) ex voluntatis actu, utramque continente. Igitur eo gravius peccatur *a*) quo praestantior est virtus quae laeditur, ideoque ex. gr. sacrilegium est gravius furto, haeresis sacrilegio gravior; *b*) quo magis peccatum a recta ratione et ab hominis refugit **natura**, ex. gr. pollutio gravior est fornicatione; *c*) quo voluntarium perfectius, ratione sive clarioris cognitionis sive intensioris voluntatis.

61. Ratione gravitatis peccatum distinguitur in *mortale* **seu** *grave*, **et** *veniale* **seu** *leve*. P. *mor-*

tale est transgressio legis graviter obligantis, privans hominem gratia sanctificante eumque dignum reddens poena aeterna; p. *veniale* est transgressio legis leviter obligantis, minuens caritatis fervorem et reddens hominem poena temporali dignum. In p. mortali habetur, saltem interpretative, aversio a Deo et conversio ad creaturas tamquam ad ultimum finem; in p. veniali neutra, sed actus dumtaxat deordinatus et qui ad finem ultimum dirigi nequit.

62. Ad peccatum mortale constituendum tria requiruntur: 1° *materia gravis* vel in se vel in apprehensione intellectus; 2° *advertentia plena* ad gravem actus malitiam; 3° *consensus plenus* voluntatis in transgressionem.

Ex 1° capite A) quaedam peccata *semper gravia* sunt (*ex toto genere suo*), quorum sc. ea est materia, ut in qualibet, vel minima, eius parte tota insit malitia peccati; cuiusmodi sunt peccata *a*) quae laedunt perfectiones divinas et virtutes theologicas, ut blasphemia, simonia, periurium etc.; *b*) quae grave generi humano afferunt praeiudicium, ut turpia, violatio sigilli sacramentalis; *c*) quibus laeditur bonum magnum et indivisibile vitae humanae, vel valoris Sacramentorum; *d*) ex Ecclesiae praecepto, violatio ieiunii naturalis ante communionem et omissio commixtionis aquae cum vino in Eucharistia conficienda. B) Quaedam sunt *levia ex genere suo*, quae sc. natura sua levem in Deum iniuriam continent, ut mendacium, intemperantia, omnia otiosa. C) Quaedam (*mortalia ex genere suo non toto*) *modo gravia*, *modo levia*, quorum sc. materia *per se* neque gravis est neque levis, sed et gravis et levis esse potest. Et interdum ita levis, ut nunquam ex ea letale exsurgere possit, ex gr. omissa recitatio unius ave; vel ita gravis, ut nunquam levis evadere possit, ut furtum 100 libellarum, omissa matutini recitatio; interdum talis, ut facile aestimari nequeat utrum sit gravis, an levis: quod erit iudicandum ex revelatione, ex

,520

SS. Patrum auctoritate, ex Ecclesiae vel legislatoris declaratione, ex prudenti moralistarum sententia. Manente dubio, quod minimum est tenendum, sc. materiam esse levem.

Ex 2° vel 3° capite, a mortali excusantur semifatui, semiebrii; quotquot concupiscentia ita obcoecantur ut sui fere impotes dicendi sint, qui tamen peccare possunt, si non in actu ipso, saltem quum causam ponunt vel neglegunt tum avertere tum positam auferre. — Si quis dubitet an aliquid deliberata voluntate patraverit, tenendum est quod verisimilius; ideoque eam defuisse in conscientiis timoratis, adfuisse in laxioribus *regulariter* iudicandum est. — Qui aliquid agat, sciens malum esse, sed ignorans utrum sit grave an leve, leviter peccat (praesertim si sit timoratae conscientiae), quum non attendit, ne in confuso quidem, ad periculum graviter peccandi; sed attendisse praesumendus est qui dubitet sitne peccatum mortale an veniale, et sentiat conscientiam ab eo multum refugere.

63. P. *mortale*, ex dictis, *veniale fieri potest* ratione *a*) parvitatis materiae, quum haec non est gravis ex toto genere suo, *b*) imperfectae advertentiae, *c*) imperfecti consensus, *d*) conscientiae erroneae, sc. contrariae apprehensionis intellectus.

64. Ad p. veniale requiritur *materia levis* in se aut saltem in apprehensione intellectus; et adhuc veniale erit, ut ex praeced. n., si deficiat plenitudo advertentiae et consensus, licet materia sit gravis.

Peccatum *ex genere suo leve fieri potest mortale* *a*) ratione conscientiae erroneae, si quis sc. apprehendat intellectu malitiam ut gravem; *b*) in dubio an peccatum sit letale (v. n. 62 in fine); *c*) accessione novae speciei, ex gr. ratione contemptus, scandali, damni etc. — *Ex pluribus venialibus* nequit exsurgere unum mortale, nisi eiusmodi sint ut coalescere possint. Coalescunt vero si

EX LIBRIS PROVINCIAE PRO STUDIO TUENDI S. S. CORDIS JESU.

ex iis, uno eodemque tempore admissis, unum aliquod constare potuisset, et admissa sint intra id tempus, quo possint uniri et coalescere; sed ad grave peccatum opus erit quantitate fere duplo maiore.

Art. 2. De distinctione specifica peccatorum.

65. In confessione exprimenda est peccatorum species, non suprema, sed infima, nisi forte haec desit; videamus unde sit petenda.

Distinctio specifica peccatorum oritur ex speciali malitia seu ex diversa difformitate, qua alterum peccatum ab altero essentialiter differt.

Tres regulas subiicimus, quarum prima est generalis, aliae minus generales sunt sed non distinctae sive a prima sive inter se: quia ex obiecto virtutes et vitia distingu ur; ex virtutibus, quarum intuitu feruntur, distinguuntur praecepta. Sed in praxi duae posteriores obtinent, quia prima nequit semper applicari, non ex. gr. in peccatis omissionis, quae obiectum non habent.

Regula I. — Ea peccata sunt specie distincta, quae habent *obiecta* specifice *diversa*.

Regula II. — Ea peccata specifice distinguuntur, quae opponuntur *diversis virtutibus* (ex. gr. sacrilegium et furtum, quorum 1um religioni, 2um iustitiae obstat), vel *uni eidemque virtuti*, sive *modo contrario* (ut spei desperatio et praesumptio), sive *modo diverso* (ut iustitiae homicidium, adulterium, detractio, furtum).

Regula III. — Ea peccata sunt specifice distincta, quae violant *praecepta* moraliter *diversa*, sive *ratione obiecti* (ut praecepta ieiunii, auditionis sacri), sive, quum *obiectum est idem, ratione motivi* (ex. gr. sunt

duo peccata distincta violare ieiunium, ad quod quis tenetur tum vi quadragesimalis legis tum vi voti). Quod si plures leges idem iubeant aut vetent, intuitu unius eiusdemque virtutis, peccatum unum dumtaxat erit; si intuitu plurium virtutum, quot virtutes, tot erunt peccata specie diversa.

Art 3. De distinctione numerica peccatorum.

66. Quoad **distinctionem peccatorum numericam**, quaestio non est de unico obiecto deque unico voluntatis actu; quot enim in casu laeduntur virtutes, tot erunt peccata.

Sed videndum quid iuris: 1° quum *unus* est *actus voluntatis* et *obiecta plura;* 2° quum *unum* est *obiectum* et *plures* sunt *voluntatis actus.*

In primo casu haec regula videtur tenenda.

A) In *actibus internis*, unicus voluntatis actus, qui refertur ad plura obiecta in se distincta, est unum peccatum, quia plura obiecta per modum unius apprehenduntur et a voluntate attinguntur. Sic presbyter qui sibi proponit omittere officii recitationem per integrum mensem, ille qui statuit non ieiunare per integram quadragesimam, qui desiderat plures homines simul occidere, qui simul delectatur de plurimis feminis, qui rem furari cupit ad plures condominos pertinentem, *unicum peccatum* admittunt. *Excipiendus est casus,* quo obiecta sint ita disparata et specifice diversa ut nequeant unum morale efficere. Sic qui desiderat tres feminas, quarum altera soluta, altera coniugata, altera Deo consecrata, et qua tales eas apprehendit, non unum sed *plura peccata* admittit.

B) In *actibus externis*, quum plura obiecta unum morale et totale constituunt (ex. gr. furtum depositarum rerum, quae ad plures condominos spectant, — detractio uno eodemque sermone facta de aliqua familia vel communitate. — actus prae-

paratorii ad homicidium illudve concomitantes), si per modum unius a mente apprehenduntur et a voluntate attinguntur (ut in eo qui unica explosione plures vulnerat), *unicum* peccatum habetur; *plura* e contra, si singillatim mente apprehenduntur et distinctis voluntatis actibus attinguntur (ut si quis familiae alicui detrahens, singulos diffamet et diffamare intendat, — si furans depositum ad plures condominos spectans, intendat damnum singulorum).

In secundo casu, hac regula utendum.

Tot sunt peccata, quot sunt voluntatis actus in se completi ac formaliter distincti. *a*) *Actus mere interni* sunt semper in se completi ac formaliter distinguuntur seu multiplicantur, quoties vel poenitentia retractantur, vel sive libere sive involuntarie deseruntur. *b*) *Actus interni, qui ad actionem externam ordinantur*, quum non retractantur vel deseruntur, unum per se cum externa actione peccatum constituunt, nisi inter eos longior mora intercesserit. Quae autem sit notabilis mora, ex prudentum iudicio aestimandum ; Card. d'Ann. putat esse biduum vel triduum. *c*) *Actus externi* multiplicantur quoties in se completi et ab invicem independentes sunt, nisi tamquam partes vel media ad unum actum consummatum ordinentur.

Cap. II. De Peccatis in specie.

67. Non heic de singulis peccatis, quae, cum in officiorum violatione consistant, ex horum expositione clarescent. Sed dumtaxat de peccatis internis, et de peccatis seu vitiis capitalibus, ad quae, omnia et singula, tamquam ad fontes, reducuntur.

Art. 1. De Peccatis internis.

68. Tria Nostri distinguunt: *desiderium, gaudium, delectationem ; illud* respicit rem futuram, *istud* praeteritam vel praesentem, *haec* praesentem per imaginationem.

1° **Desiderium malum** est actus voluntatis rem malam exoptantis. Dicitur *efficax* vel *inefficax*, prout vel absolute vel condicionate concipitur et ad exsecutionem dirigitur necne. Ita ex. gr. efficax est desiderium illius, qui optat furari aliquid et media intendit ponere ut furetur; inefficax est illius, qui furaretur, si posset sine periculo.

Desiderio malo inest eadem *species moralis et theologica*, ratione tum obiecti tum circumstantiarum, quae inest actui externo, ad quem se refert. Desiderare malum *sub condicione, licet* si condicio apposita totam aufert operi desiderato malitiam (ex. gr. carnes feria sexta ederem, nisi Ecclesia vetaret); *non licet a*) si condicio *non* aufert *totam* malitiam obiecto (ex. gr. carnes feria sexta ederem, si infernus non esset), vel *b*) si agatur de re intrinsece mala, cuius desiderio condicionem apponere nihil mutat (ex. gr. si licitum esset, Deum destruerem). Excusatur tamen a peccato gravi qui non vere desiderat sub condicione rem intrinsece malam, sed potius demonstrat quamdam propensionem, sive nunc animo haerentem (ex. gr. si liceret occidere inimicum, occiderem, sed nolo ob reverentiam legi Dei debitam), sive quam certo vel probabiliter putat adfuturam fuisse, condicione impleta (ex. gr. si iunior fuissem, ultus essem). — Desiderare malum temporale proximo vel sibi ob bonum finem, licebit, si hic sit maioris vel saltem non minoris momenti quam temporale damnum vel malum, quod proximo vel sibi desideratur.

2° **Gaudium malum** est deliberata complacentia de re mala praeterita vel praesenti. Gaudio malo inest eadem *species moralis et theologica*, sive ratione obiecti, sive ratione adiunctorum, quae inest ipsi rei malae, circa quam versatur. Licebit tamen gaudere de bonis effectibus e re mala secutis; vel de modo ex. gr. callido, lepido, strenuo, quo res mala fuit peracta, quamvis periculum lateat transeundi ad gaudium de re ipsa. — Quod licet desiderare, de eodem gaudere licet; proinde non est peccatum gaudere de malo temporali proximi

servato caritatis ordine, sc. quum illud desiderari poterat vel potest.

3° **Delectatio morosa** (accurate a simplici cogitatione distinguenda) est complacentia deliberata de re mala, quae cogitatur et tamquam praesens per imaginationem exhibetur. Cum ea tendat potius in imaginem rei quam in rem ipsam, eius moralitas desumenda est *a*) ex obiecto, *b*) ex adiunctis personae agentis (ex. gr. uxorati vel clerici in sacris in delectatione contra castitatem); non vero e ceteris adiunctis, sc. rei malae, nisi et haec fuerint deleclationis obiectum.

Delectatio erit rationalis vel sensibilis vel venerea; de his fusius n. **244.** *Illa,* seu rationalis, est delectatio appetitus rationalis tantum, habita ex imagine rei malae. — Resistentia motui appetitus venerei *positiva* non obligat nisi sub levi, quando abest consensus seu delectationis periculum, et nec sub levi, saltem *directa,* si iusta adsit causa (ex. gr. si ex directa et positiva resistentia motus augeantur). Consulenda potius est resistentia indirecta, sc. per animi aversionem ad alia.

Art. 2. De Peccatis seu Vitiis Capitalibus.

69. Peccata seu **vitia capitalia** dicuntur ea, ex quibus — non qua actus, sed qua vitia et propensiones sunt — alia peccata oriuntur, praesertim secundum rationem causae finalis. Septem a theologis enumerantur: *superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, acedia;* superbia tamen, potiusquam unum ex septem, aliorum nonnullorum origo dicenda est, immo in omnibus peccatis aliquatenus latere. Mutato ordine, breviter de superbia, invidia, ira: deinde de reliquis.

70. Superbia est appetitus inordinatus propriae excellentiae. Erit *perfecta,* si quis adeo se efferat, ut sibi, non Deo, attribuat bona quae possidet, Deo et auctoritatem gerentibus nolit subesse, ce-

teros graviter despiciat; *imperfecta*, seu *improprie sumpta*, quum quis plus aequo se effert et aestimat, quin subiectionem Deo et superioribus deneget ceterosque nimis contemnat. *Illa* est letalis *ex genere suo; haec, ex genere suo* levis.

A superbia originem trahunt: *a*) *Praesumptio* (per se venialis), quae est appetitus inordinatus aliquid aggrediendi supra vires. *b*) *Ambitio* (per se venialis), quae est inordinatus appetitus dignitatis et honoris non debiti, vel indebitis modis et mediis quaesiti. *c*) *Vana gloria* (per se venialis), quae est inanis gloriae cupido, ad inordinatam propriae excellentiae, sive verae sive fictae, manifestationem.

E superbia pariter profluunt: *a*) *iactantia*, quae, si de rebus bonis, erit per se venialis; si de actionibus graviter malis, letali difficile vacabit: *b*) *hypocrisis* (per se mortalis); *c*) *pertinacia* (per se venialis), qua quis innititur suae sententiae plus quam oporteat; *d*) *discordia*, sc. dissensio voluntatum circa bonum, quod ex caritate vel iustitia velle debemus; quae est per se mortalis, at poterit esse venialis ex parvitate materiae, immo omnino culpa vacare, si oriatur ex iudicio probabili et dissentiendi modus non sit caritati oppositus; *e*) *inobedientia*, sive *formalis*, cum praecepti contemptu, sive *materialis*, eo remoto, quae est per se gravis.

71. Invidia est tristitia de bono alterius, aestimato ut malo proprio, in quantum sc. minuere apprehenditur bonum proprium, et est per se gravis. Invidiae peccatum non adest in *aemulatione*, qua quis contristatur de bono alterius, non quod hunc velit eo carere, sed quod ipsemet eodem careat, cum habere velit; invidia pariter non est *indignatio*, qua quis tristatur aliquem possidere bonum quo est indignus.

Ab invidia manant *odium: susurratio,* ad amicitiam inter alios dissolvendam sine iusta causa; *detractio: calumnia; exsultatio* in adversis et *afflictio*

in prosperis proximi rebus: quae omnia sunt ex genere suo letalia.

72. Ira est inordinatus vindictae appetitus. Ordinatus vindictae appetitus, qui peccato vacat, habetur sive in superioribus, qui ob bonum commune subditorum culpas puniunt, sive in privatis, qui, ob eumdem finem, culpas puniri desiderant vel curant puniendas. *Inordinatio* habetur *a*) *ex parte obiecti,* si appetatur vindicta iniusta, vel iusto maior, vel iusta non qua talis sed ad animum malevolum satiandum; aut si iusta exsecutioni demandetur, non ex legitima, sed ex propria auctoritate; — et haec per se gravis; *b*) *ex parte modi*, quum quis, sive interius, sive exterius, plus aequo irascitur, — et haec per se levis est.

Ab ira ducunt originem plura *cordis*, *oris* et *operis* peccata.

Cordis. Et 1° *Indignatio*, qua quis, putans se ab aliis indigne tractari, ardet interius; eaque veniale non excedit. 2° *Tumor mentis*, quo quis mente de ulciscendo cogitat et in hisce exagitatur, cuius culpae gravitas mensuranda est pro obiecti gravitate.

Oris. Et 1° *Clamor*, quum quis iratus vocem extollit, multa, exclusa alterius dehonoratione, effundens; a quo letale regulariter abest. 2° *Blasphemia* in Deum et Sanctos, quae mortalis est. 3° *Contumelia* contra homines, qua quis alteri aliquod malum extra modum obiicit, cum intentione illum inhonorandi; et letali non vacat. Gravis tamen regulariter non erit, quum quod obiicitur non graviter inhonorat, vel intentio huiusmodi et excessus in modo desunt. 4° *Maledictio*, seu *Imprecatio* alicuius mali; et distinguitur, alia *formalis*, quae ex corde et ore, alia *materialis*, quae ex ore tantum procedit. *Illa* est ex genere suo mortalis; *haec* ex genere suo levis, sed gravis fieri potest ratione scandali vel materiae. Utrum maledictio seu imprecatio fuerit formalis, an materialis, diiudicandum ex adiunctis; nam, si poe-

nitens eum, cui maledixit, tamquam inimicum habeat atque oderit, et soleat cum deliberatione imprecari, maledictionem fuisse formalem; si contra, materialem fuisse opinaberis. Gravitatem adesse regulariter constat, quum maledicitur superioribus, parentibus: imo, in hoc postremo casu, etiam speciei mutationem, sc. peccatum contra pietatem.

Operis. Et 1° *Contumelia,* quae non verbis, sed signis dehonorantibus, repraesentatione alicuius rei, satyris, iniectione manuum sive attentata sive completa, irrogetur. 2° *Rixae, Pugnae, Seditiones, Vulnera.* Horum gravitatem, maiorem vel minorem, dispicere non erit difficile.

73. **Avaritia** est inordinatus appetitus bonorum temporalium, ex genere suo levis. Facile tamen ad letalia pertrahet, vel *contra caritatem sibi* debitam, quum animus ita divitiis adhaeret ut in iis sit totus, ultimo fine et legibus sive divinis sive ecclesiasticis posthabitis; vel *contra caritatem aut iustitiam aliis* debitam, ut quum auxilium graviter egenti denegatur, iura aliena violantur.

Avaritiam consequuntur: 1° *Obduratio cordis* erga egenos, debitores etc., levis vel gravis, iuxta modum vel alterius necessitatem. 2° *Inquietudo cordis,* sc. vehemens et inordinata mentis de bonis adquirendis vel servandis sollicitudo, sibi anxie et inaniter timens; et gravis erit, si trahat ad neglegenda spiritualia, ad violanda gravia praecepta, ad diffidendum de providentia Dei. 3° *Violentia, dolus, fraus,* prout res alienae aut iura aliena per vim, per fallaciam in verbis vel in factis, usurpantur; gravitas facile dispicietur, inspectis damno, fine, mediis adhibitis.

74. **Luxuria** est inordinatus appetitus rei venereae, et gravis est *ex toto genere suo.*

Hanc sequuntur plerumque *caecitas mentis, languor et amissio fidei,* aliaque permulta.

75. Gula, sc. cibi et potus inordinatus appetitus, est per se leve peccatum. Potest fieri grave peccatum, ratione effectuum, sc. *contra caritatem erga Deum*, si venter Deus constituatur; *contra caritatem sibi* debitam, si grave damnum animae, vel corpori, vel utrique proveniat (ex. gr. ob violationem praeceptorum Ecclesiae, ob ebrietatem etc.); *contra caritatem, pietatem, iustitiam aliis* debitam, si, ad satisfaciendum gulae, subditi vexentur, bona familiae dissipentur vel aere alieno graventur, scandali occasio praebeatur etc.

Gulam consequuntur, et pro modo erunt plus minusve gravia, *hebetudo mentis, inepta laetitia, multiloquium, scurrilitas:* quae omnia ad luxuriam facillime conferunt.

Nonnulla singillatim de ebrietate dicenda sunt. *a*) *Ebrietatem perfectam,* quae definitur « *excessus in potu, deliberatus, ex voluptate, usque ad plenam rationis privationem* », esse grave peccatum nemo dubitat. Letali igitur vacabit qui vel sine excessu, vel indeliberate, vel non usque ad totalem rationis perturbationem, inebrietur. — Peccant etiam, plus minusve pro modo, qui se vel alios exponunt periculo ebrietatis perfectae. *b*) Ebrietas perfecta tollit actuum imputabilitatem, relate ad culpam, si hi nec in confuso fuerint praevisi; si saltem in confuso praevisi, imputabilitas tantummodo minuitur, quod est ex adiunctis iudicandum. *Non improbabilis* sententia est, S. Alphonsi iudicio, blasphemias in ebrietate perfecta prolatas minime imputabiles esse. *c*) Excessus in potu usque ad plenam rationis privationem ex probabili sententia licitus est quoties necessarius aut perutilis censeatur ad morbum depellendum vel chirurgicam operationem subeundam, vel ad mortem, quae intentatur, effugiendam, quia, pro casuum differentia, ebrietas non intenditur *absque necessitate* et *ex sola vini voluptate*, et *privatio rationis ad tempus non diuturnum et ex gravi causa* non videtur esse intrinsece mala. *d*) Licet, ex probabili sententia, proximum inducere ad

ebrietatem, sive materialem, sive formalem, quum necessarium est, ut ille a maiore malo avertatur; et ad ebrietatem tantum materialem, ut ab ebrio secreta eliciantur, quae hic manifestare tenetur et secus non manifestaret.

76. Acedia est torpor mentis ac debilitas voluntatis usque ad rerum spiritualium fastidium, ratione laboris illis adnexi, *vel* tristitia ac taedium de divina amicitia, ratione eiusdem laboris, cuius intuitu ea non curatur. Priore sensu, magis lato, acedia tunc demum mortalis evadit, quum opus sub gravi iniunctum omittitur vel sub gravi vetitum perficitur; altero sensu strictiore, ob iniuriam, quae Dei caritati irrogatur, letali, per se, non vacat.

SECTIO QUARTA

DE REGULA MORUM SUBIECTIVA ET PROXIMA SEU DE CONSCIENTIA

Cap. I. De Conscientiae Natura et Divisionibus.

77. Conscientia moralis est iudicium practico-practicum de actione nostra hic et nunc ponenda, utrum licita an illicita sit.

Facile intelligitur haec definitio, si attendatur, nec esse nec dici conscientiam iudicium speculativo-practicum de aliqua actione, vel practico-practicum de actione non nostra. — Priusquam conscientiae distinctiones exhibeantur, notandum, non haberi conscientiam veri nominis quum iudicium de actione deest (ex. gr. in perplexitate), sed tamen etiam in eiusmodi casu nomen, licet improprie, usu scholarum usurpari.

78. Conscientia **esse potest: 1° Ratione temporis,** quo iudicium practico-practicum exercetur, *ante-*

cedens, et *consequens,* prout de actionibus proxime ponendis vel de iam positis diiudicat. Definitio conscientiae moralis, quam dedimus, conscientiae antecedenti respondet unice, ut patet. — 2° **Ratione obiecti,** circa quod versatur iudicium, *vera* (seu *recta*) et *erronea* (seu *falsa*). Conscientia *vera* seu *recta* est quae iudicat licitum vel illicitum quod tale revera est; *erronea,* quae dictat tamquam licitum quod revera est illicitum, et contra. Conscientia erronea duplex distinguitur: *invincibiliter,* et *vincibiliter erronea.* Conscientia dicitur *invincibiliter erronea,* quum error moraliter vinci nequit, quia dubium in mente non exsurgit ne in confuso quidem; *vincibiliter erronea,* quum error vinci potest et debet, quia et de errore oritur dubium et advertentia adest de obligatione dubium deponendi, quae tamen neglegitur. Et huic applicandae erunt distinctiones, quae de ignorantia vincibili prolatae sunt n. 9, 2°. — 3° **Ratione assensus,** sc. quoad aestimationem iudicantis, *certa, dubia, probabilis, perplexa, scrupulosa, laxa.* A) Conscientia *certa* habetur, quum mens iudicat cum certitudine saltem morali de liceitate vel illiceitate actionis. *Certitudo moralis a*) alia *perfecta,* alia *imperfecta; perfecta* ea est, quae tam gravibus fulcitur rationum momentis, ut *evidenter* appareat rem se aliter habere non posse; *imperfecta* ea, quae excludit omnem prudentem dubitationem; — *b*) alia *directa,* alia *reflexa; illa,* quae e principiis rei intrinsecis exsurgit; *haec,* quae e principiis rei extrinsecis, sc. reflexis. B) Conscientia *dubia* habetur, quum mens remanet anceps et haesitans circa actionis moralitatem. *Dubium* esse potest *a*) *Positivum* et *negativum. Positivum* habetur, quum pro utraque parte vel saltem pro alterutra graves adsunt rationes; *negativum,* quum utrinque desunt, vel sunt levissimae. Dubium positivum recidit in *opinionem,* negativum in *ignorantiam,* et *conscientia positive dubia* fere semper coincidit cum probabili, de qua inferius. *b*) *Iuris* et *facti.* Dubium *iuris* habetur quum dubitatur de legis

exsistentia vel obligatione, aut de legislatoris potestate ; dubium *facti,* quum dubitatur de facti particularis exsistentia. Dubium *iuris* esse potest *speculativum* vel *practicum ;* speculativum versatur circa legis exsistentiam vel actionis liceitatem in genere et in abstracto, practicum circa applicationem legis in casu et circumstantiis particularibus, vel actioni hic et nunc ponendae. Ex. gr. exstatne lex, quae iubeat confiteri circumstantias aggravantes ? valetne baptismus collatus in pede, vel collatus in capite cum aqua rosacea ? tale agere die festo estne opus servile ? en dubium iuris speculativum ; — mihi, dubitanti, dum in eo sum ut confitear, utrum accusari debeant circumstantiae aggravantes, licetne eas reticere ? in casu necessitatis et periculi, quum pes infantis prius ex utero liberatur, possum in pede vel, alia materia deficiente, possum cum aqua rosacea in capite infantem baptizare ? licetne mihi, in his circumstantiis, die festo, opus tale agere? en dubium iuris practicum. — Dubium speculativum directe et primario respicit verum ; indirecte, secundario et consequenter respicit licitum. Dubium practicum, contra, respicit directe et primario et immediate licitum. — Pro dubio, item *conscientia* erit *speculative* vel *practice dubia.* C) Conscientia *probabilis* ea est, quae adhaeret alterutri ex duabus oppositis sententiis de liceitate actionis, innixa aliquo gravi motivo. *Probabilitas* erit *intrinseca* vel *extrinseca,* prout nititur rationibus ex ipsa re profluentibus, vel doctorum auctoritate. D) Conscientia *perplexa* habetur quum mens, inter duas actiones selectura, timet ne peccet, utramcumque seligat (ex. gr. quum adsistens decumbenti e gravi morbo, putet se peccare die festo, tum si infirmo adsistere pergat, sacrum omittens, tum si ecclesiam adeat, infirmum deserens). E) Conscientia *scrupulosa* in eo habetur, qui ex inani motivo vel timet vel iudicat actionem illicitam, vel graviter talem, quae licita omnino vel leviter illicita sit. F) Conscientia *laxa,* ex contrario, illius est, qui ex inani motivo licitum praesumit quod

illicitum, vel leve quod grave est; et *cauteriatam* dicunt quae ad habitum pervenit, *pharisaicam*, quae magna parvi, parva magni facit.

Cap. II. **De conscientia certa et de invincibiliter erronea.**

79. De actionis, hic et nunc ponendae, liceitate conscire sibi iuxta rei veritatem, sc. habere conscientiam veram non omnes semper possunt; ceterum actus nobis imputatur, prout eum mente apprehendimus. Sed *incertis* de liceitate, nobis agere non licet, quia in iis, qui volunt agere et agunt cum dubio, inest implicita et virtualis peccandi voluntas. Quare *sola conscientia certa*, saltem certitudine morali, est regula humanarum actionum proxima. Diximus: saltem certitudine morali, quia impossibile est absoluta certitudine hominum vitam dirigi. Igitur

Conscientiam certam, sive consulentem, sive permittentem, sequi possumus; praecipientem, vetantem sequi debemus.

80. Cum obiectum voluntatis sit bonum vel malum, non materialiter, sed formaliter, prout sc. ab intellectu apprehenditur, conscientia certa, veritati respondeat necne, est regula morum, et proinde etiam conscientia invincibiliter erronea. Igitur, item ac pro conscientia certa,

Conscientiam invincibiliter erroneam, sive consulentem, sive permittentem, sine culpa sequimur; praecipientem, prohibentem sequi tenemur.

81. Qui agit contra conscientiam invincibiliter erroneam peccatum admittit eiusdem speciei ac gravitatis, quam quis putat actioni suae vel suae omissioni inhaerere, quia eam malitiam et gravitatem vult implicite, qualem in obiecto apprehendit (ex. gr. si rem fureris, quae tua est, sed quam putas alienam, reus eris furti, gravis vel levis, pro ma-

teriae quantitate). Sed poenas et censuras, si quae forte latae sint in illam actionem vel omissionem, non incurrit, quia poenae feruntur in transgressionem legis verae, non simpliciter putativae (ex. gr. si quis laicum percutiat, clericum putans, censuram non incurrit).

82. Non datur conscientia invincibiliter erronea relate ad prima iuris naturalis principia (ex. gr. quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris); nec relate ad proximas ex iis deductiones (ex. gr. decalogi praecepta), nisi forte in rudibus et pueris ad aliquod tempus; datur, contra, relate ad mediatas ex iisdem conclusiones, ad desideria inefficacia, ad simplicem delectationem; et in pueris relate ad pollutiones, raro tamen et in initio pravae consuetudinis.

Cap. III. De conscientia vincibiliter erronea, laxa, negative dubia, perplexa, scrupulosa.

83. Qui est **in conscientia vincibiliter erronea** de liceitate actionis, aut iam dubitavit et attendit ad obligationem melius inquirendi, sed nunc nec dubitat nec attendit, aut dubitat adhuc. In 1° casu, licet antea peccaverit omittendo diligentiam moralem ad errorem vincendum, error debet iam nunc considerari invincibilis, et valent quae de c. invincibiliter erronea traduntur. In 2° casu, *a*) tenetur errorem prudenter deponere et efformare sibi conscientiam certam, exquirendo alicuius docti et prudentis viri sententiam, vel saltem sui confessarii et superioris; *b*) si urgeat agendi necessitas et media deponendi dubium desint omnino, debet quod tutius eligere; *c*) si vero, obligationem spernens inquirendi, agat, peccat si sequitur c. erroneam permittentem aut consulentem, quia illicitum perpetrat, etsi licitum putet, error enim vincibilis ei imputatur; peccat item, si non sequitur c. e. prohibentem vel praecipientem, facit enim quod

putat illicitum aut omittit quod sibi praeceptum existimat. Potest peccare etiam sequendo praecipientem vel prohibentem, quum adest simul periculum laedendi aliud praeceptum (ex. gr. qui, putans ex c. vincibiliter erronea praeceptum Superioris non esse honestum, non revelat crimen, ex quo sibi vel aliis grave damnum immineat).

Et heic valent quae diximus de specie et gravitate peccati contra c. invincibiliter erroneam et de censuris non incurrendis.

84. Conscientiae **laxae** applicentur *pro modo* quae de vincibiliter erronea traduntur.

85. Relate ad conscientiam **negative dubiam,** conveniunt Nostri, dubium, si praevio accurato examine negativum remaneat, sc. non succurrat aliqua pro alterutra parte probabilis ratio, esse spernendum, et obligationem vel libertatem aeque certam putandam esse ac si nunquam dubium in contrarium exstitisset.

86. Qui conscientia **perplexa** laborat, *a*) si potest actionem, absque gravi damno, suspendere, donec prudentes viros consulat, eam tenetur suspendere et consilium petere; *b*) si nequeat actionem intermittere et peritos consulere, neque valeat se a perplexitate liberare, seligat quod minus peccatum sibi videtur et culpa vacabit, quia culpa non est « in eo quod nullo modo caveri potest ». Et praeferre debet praecepta negativa positivis, legem divinam — ceteris paribus — humanae, praecepta altioris praeceptis inferioris ordinis; *c*) si peccato, quod minus grave sibi videtur, praeferat quod gravius, excessus perplexo imputatur ad culpam, quia liber; sed talis excessus plerumque non erit mortalis, si directe non intendatur vel non apprehendatur ut gravis; *d*) si nequeat discernere, utrum sit minus vel maius malum, utrumlibet seligat, nullo modo peccaturus, quia libertas moralis omnino exsulat.

87. Conscientiae scrupulosae (quae distat a *tenera*, sc. ab ea, quae, retinens semper debitam distinctionem inter mortale et veniale, magni facit defectus eosque curat pro viribus arcendos) *tunc* applicanda erunt, pro modo, quae diximus de conscientia erronea, negative dubia, perplexa, *quum* adest ex inanibus rationibus error vel dubium, ex quo scrupulosus nesciat vel nequeat ad certum dictamen adsurgere; in ceteris, tamquam animi morbo, scrupulo medendum. Sed videsis quae abunde in hac re, ad confessariorum usum, proferunt moralistae in amplioribus tractationibus et ascetici.

Cap. IV. De conscientia probabili et positive dubia, seu de modo efformandi conscientiam certam.

88. Vidimus, *incertis* nobis de liceitate actionis hic et nunc ponendae — sc. cum dubio practico — *agere non licere*, quia implicita inesset peccandi voluntas; et solam conscientiam moraliter certam esse humanarum actionum regulam proximam. Sed non semper quis potest ex principiis rei intrinsecis efformare sibi conscientiam moraliter certam; remanente igitur conscientia dubia, quia hinc inde rationes pro lege aut libertate certant, adsuntne principia reflexa, quorum ope ad conscientiam practice certam deveniamus?

89. Deficiente morali certitudine, sive pro lege, sive pro libertate, conscientia opinionibus innitatur necesse est. Et **opinionem** Nostri distinguunt in *a) tenuiter vel dubie probabilem*, quae aliquo nititur fundamento, seu non tali ut viri prudentis assensum sibi vindicet; *b) probabilem*, quae gravi fundamento innititur sive intrinseco rationum, sive extrinseco auctoritatis doctorum, et valet ad se trahere prudentis viri assensum, etsi cum formidine

oppositi: *c*) *probabiliorem*, quae graviore nititur fundamento, etsi cum formidine oppositi, quia opinio contraria manet probabilis et potest esse vera; *d*) *probabilissimam*, quae iis fulcitur rationum momentis eoque doctorum consensu, ut opposita censenda et dicenda sit tenuiter vel dubie probabilis: *e*) *minus tutam, tutam, tutiorem*, quae a peccandi periculo removet (comparatio — *minus, magis tuta* — respicit non securitatem, sed relationem inter eas).

90. Probabilitas vero **opinionum** potest esse *absoluta* vel *relativa*. Opinio vel sententia *absolute probabilis* ea est, cui *nulla; relative probabilis*, cui *alia* probabilis opinio vel sententia stat ex adverso. Quare, quum duae sententiae stant ex adverso, probabilitas unius ex alterius probabilitate mensuranda est, ita ut e maiore, maxima unius probabilitate probabilitas alterius minuatur vel elidatur. Et si una parum probabilior sua opposita videatur, utraque vere probabilis aestimatur.

91. Quum igitur **in dubio iuris** duae hinc inde certent sententiae, altera pro lege, altera pro libertate,

a) *tutioristae absoluti* seu *rigidi* tenent *semper standum pro lege;*

b) *tutioristae mitiores* tenent *licere* sequi sententiam libertati favent*em*, si sit *probabilissima;*

c) *probabilioristae* tenent *licere* sequi sententiam libertati favent*em*, si *probabilior notabiliter* sit ea, quae certat pro lege;

d) *aequiprobabilistae* tenent *licere* sequi sententiam libertati favent*em*, si sit *aeque vel fere aeque probabilis* atque opposita legi favens;

e) *probabilistae* tenent *licere* sequi sententiam libertati favent*em*, licet

minus probabilem prae opposita, dummodo sit *vere solideque probabilis;*

f) *laxistae* tenent *licere* sequi sententiam libertati faventem, etiamsi ea sit solummodo *tenuiter probabilis.*

Licere nobis sequi sententiam *tutiorem pro lege*, evidens est; sed ad id nos *teneri, iuxta tutioristas absolutos* seu *rigidiores*, sententia est *damnata* ab Alexandro VIII; *laxismus* item *damnatus* fuit ab Innocentio XI. *Aequiprobabilismus* fere idem est, saltem in praxi ipsorum aequiprobabilistarum, ac *probabilismus;* de regula « melior est condicio possidentis », utpote a qua trahitur consectarium — standum pro lege, quum lex possidet, et legem possidere semper quum exstat et fuit sufficienter promulgata — dicemus inferius n. 93. Igitur adstruenda est veritas probabilismi contra probabilioristas; quibus e medio sublatis, implicite et a fortiori refelluntur tutioristae mitiores.

92. In omnibus rebus dubiis dubio iuris, in quibus quaestio est de liceitate vel illiceitate actionis proxime ponendae, licet sequi opinionem vere graviterque probabilem pro libertate, etsi contraria pro lege sit etiam probabilis, immo probabilior.

Veritas huius propositionis evincitur

1° *Ex auctoritate* A) *Ecclesiae*, quae probabilismum permittit, et nonnunquam ipsamet sequitur. *Probabilismum permittit. a*) Damnatis d. 26 Februarii a. 1761 undecim circa probabilismum male intellectum thesibus, cum tutioristae clamitarent probabilismum fuisse ab Ecclesia reprobatum, S. Alphonso de Ligorio interroganti Maior Poenitentiarius, iussu et auctoritate Clementis XIII, respondit, nullam condemnatam fuisse e propositionibus de quibus in catholicis scholis controvertebatur, quaeque a multis *catholice* defenduntur. *b*) Ecclesia opera S. Alphonsi, qui Probabilismum

restituit, firmavit, ad unguem defendit (1), non semel adprobavit. Et sane Gregorius XVI, in Bulla Canonizationis eiusdem Sancti, declaravit eius scripta *inoffenso prorsus pede* decurri posse; S. Poenitentiaria d. 5 Iulii a. 1831 sanxit, probante eodem Greg. XVI, quemlibet opiniones, quas in sua Th. Morali S. Alph. profitetur, tuto sequi ac profiteri posse. S. R. C. d. 11 Martii a. 1871, probante Pio IX per Constit. d. 7 Iulii e. a., declaravit S. Alphonsum « inter implexas theologorum sive laxiores sive rigidiores sententiam *tutam stravisse viam*, per quam christifidelium animarum moderatores tuto incedere possent ». *Nonnunquam ipsamet sequitur*. Ut cetera omittamus, referre sufficiat responsionem Urbani VIII Ioanni de Lugo, quum, saeculo XVII, Indis quibusdam polygamis in Regno Paraquariae ad fidem conversis, disceptabatur de validitate illorum matrimoniorum: « Ubi dd.um sententiae concurrunt utrinque probabiles, sequendas esse opiniones, pro conditione locorum et hominum, barbaris *favorabiliores* ». B) *Doctorum;* errare enim eum, qui doctorum plurimorum et gravissimorum sententiam sequitur, nemo asseret. Iamvero qui tenuerunt licere sequi in dubio iuris opinionem vere graviterque probabilem pro libertate, contra probabiliorem vel tutiorem pro lege, sunt numero permulti (ad bis centum), deque iis gravissimi et principes in re morali inlustranda, et, post S. Alphonsum, omnes vel fere omnes. Auctoritates eorum et iudicia de probabilismo afferre supervacaneum omnino putamus in hac breviore tractatione.

2° *Ex ratione ab intrinseco*. Agere in dubio iuris sine certa conscientia nefas est. Sed conscientia certa efformari potest ex principiis reflexis, et praecipue ex tribus evidentissimis, quae idem sonant:

(1) Argumentum ex auctoritate non videtur vi sua destitui, eo quod nonnulli contendant, S. Alphonsum aequiprobabilismum postremo docuisse: quae ceterum quaestio salebrosa diu multumque agitata est et nondum, si quid opinor, definita.

« *lex dubia non obligat — lex incerta non potest inducere obligationem certam — non est imponenda obligatio, nisi de ea certo constet* ». Quum enim de legis exsistentia, vel de eius extensione et interpretatione, vel de eiusdem cessatione, plures adsunt contrariae sententiae vere probabiles, obligatio obiectiva seu vis ligandi ex parte legis est incerta; sed obligatio obiectiva incerta non potest parere obligationem subiectivam certam. Quum obligatio subiectiva est incerta, possumus sequi sententiam probabilem libertati faventem ; in casu adesset, ad summum, periculum peccati materialis (et si obligatione cogeremur vitandi periculum peccati materialis, *semper pro lege* standum esset, iuxta theoriam damnati tutiorismi rigidioris), non vero formalis, quia in casu non haberetur transgressio obligationis subiectivae, in qua peccatum formale consistit.

93. Sed difficultatem obtrudunt ii qui tenent regulam possessionis: « si dubia est legis exsistentia, possidet libertas ; sed quum certa est exsistentia legis, et dubitatur utrum cessaverit, possidet lex. Hinc si votum certo emisisti et probabile tantum est te satisfecisse, adhuc ad satisfactionem teneris ». Aptam cl. Bucceroni responsionem profert, quam hic, brevitatis causa, paucis referimus. 1° Si lex dubia non obligat, semper ac dubia erit, non obligabit. Atqui, licet sit certa prima legis exsistentia, lex quae habet vim obligandi non est lex quae exstitit, sed quae hic et nunc exsistit, et non lex quae exsistit *in abstracto* (ex. gr. lex nondum abrogata, sed quae in desuetudinem abierit), sed quae ad praesens adhuc sua obligatione nos ligat. Iamvero si adest opinio graviter probabilis legem cessasse, evadit dubia, si non semper eius exsistentia in abstracto, certo eius exsistentia in concreto, sc. quoad vim obligandi, et proinde standum pro libertate, cum obligatio imponi nequeat de qua certo non constet. Hinc si votum certo emisisti et vere probabile est te satisfecisse, votum istud, cer-

tum qua aliquando exsistens, evadit dubium qua te obligans hic et nunc, et adhuc satisfacere non teneris. 2° Regula possessionis non constituit ius praevalens in foro interiore, sed in externo, in quo inest actori onus probandi. Hinc in foro interno, quum adest vera probabilitas de opposito, praesumptio possessori non favet.

94. Asserunt iidem sectatores regulae possessionis, probabilistis necesse esse tueri se ope exceptionum, ut in casibus *probabilitatis facti*, quae versatur circa periculum damni, quod ex actione nostra contingere potest sive nobis sive proximis, et quod vel iustitia vel caritas praecavere iubent.

Esto, quod in pluribus th. moralis tractationibus, praesertim in antiquioribus, decisiones de probabilitate facti videantur insertae tamquam exceptiones theoriae probabilismi; sed plane incongruenter, quod ex exemplo patebit. Si probabile est baptismum valere in aqua rosacea collatum, opinio quae tenet — licere baptismum in aqua rosacea conferre (excepto casu, quo materia aptior deficiat et collatio baptismi urgeat) — non descendit e probabilismi veri sensus theoria, nec unquam ut probabilis habita est, sed ut omnino falsa a probabilistis reiecta. Consonat idem moralista summus d'Annibale, regulae possessionis favens, qui ait, quum agitur de probabilitate facti, versari nos *in certo iure;* atqui probabilismus versatur unice *in probabilitate iuris.*

Igitur quum agitur *de probabilitate facti*, tenemur sequi quod tutius est. Et 1° *quum agitur de fine vel effectu absolute obtinendo*, ut *a*) *in iis omnibus, quae necessaria sunt ad salutem necessitate medii*, et est damnata sententia: « in materiis fidei et salutis aeternae non est tenenda sententia tutior », ex. gr. in religione ab infidelibus deligenda; *b*) *quum agitur de sacramentorum validitate*, et est damnata sententia : « non est illicitum in sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore sacramenti, relicta tutiore ». Sed, ut patet,

ex eadem ratione finis absolute obtinendi, *aa*) *in casu necessitatis*, sc. quum tutior applicari nequit, licet sequi opinionem probabilem (etiam tenuiter) de valore sacramentorum, adiecta tamen condicione, quae tollat iniuriam sacramento, si forte hoc invalidum sit; *bb*) licet sequi opinionem vere graviterque probabilem, quum *Ecclesia supplet*, sive defectum iurisdictionis, quae forte desit, in sacramento poenitentiae, sive dispensationem, auferendo impedimentum dirimens, quod forte adsit, in sacramento matrimonii. 2° *Ex caritate*, quum agitur *de periculo damni spiritualis*, sive sibi sive proximo obventuri. 3° *Ex iustitia*, quum agitur *de damno temporali* proximi, qui est in certa possessione sui iuris (ex. gr. venator qui obiectum in silva latens iudicat probabiliter esse hominem, probabilius feram, nequit ictum emittere). Hinc sequi opiniones probabiles, tutiore relicta, nequeunt medicus, iudex, creditor quoad occultam compensationem etc.

95. De usu probabilismi monita. 1° Nequit confessarius imponere poenitenti obligationem, de qua *certo* non constet, vel ei, rite disposito, denegare absolutionem, quia velit se gerere secundum *opinionem probabilem*, etiamsi ipse confessarius oppositae adhaereat. 2° *Quum duplex exstat sententia probabilis* A) *in rebus diversis seu distinctis*, quamvis similibus, licet uti modo una, modo altera contraria, ex. gr. si duo testamenta sollemnitatibus iuris destituta in quaestione sint, sequi pro uno opinionem probabilem, quae tenet illud esse validum, pro altero opinionem contrariam; B) *in una eademque re a*) non licet una probabili opinione uti, qua prodest, altera contraria, qua prior illa nocet (ex. gr. ex uno eodemque testamento sollemnitatibus iuris destituto velle hereditatem capere, ut rato, et nolle legata praestare, ut irrito); *b*) neque licet utraque uti, quum *certa obligatio* violatur (ex. gr. si quis, certus hodie aut cras adesse obligationem ieiunii, sed incertus utrum

hodie aut cras, nolit neque hodie neque postridie ieiunare), vel quum *alterutra* ex legibus indubiis *certo* violatur, sed nescitur *utra* violetur (ex. gr. si sacerdos, media inter feriam sextam et sabbatum nocte, eo quod ex uno horologio ea praeteriisse et ex altero nondum advenisse appareat, velit inde vesci carnibus, hinc sacrum facere). 3° *Opinionem libertati faventem esse vere graviterque probabilem, aestimari debet ab intrinseco,* sc. ex rationum momentis et, si id difficile sit, *ab extrinseco*, sc. *ex numero* et *gravitate* doctorum, qui eam tuentur. Quinam *gravitate* praestent, docet D' Annibale in P. I, n. 17 ; — « *quoad numerum,* sufficit (S. Alphonsus, I, 70) si eam tenent quinque doctores auctoritate pollentes, etiam contra communiorem aliorum », vel etiam solus *magnus theologus ;* et unus gravis theologus, si attigerit solus quaestionem quae ceteros praeteriit; et si agatur de quaestione, quae omnes praeteriit, sufficit auctoritas cuiusvis docti et prudentis viri in th. morali versati, vel etiam proprii magistri. — Ita Card. D'Annibale, *l. c.*

96. Principia reflexa (seu regulas subsidiarias ad efformandam sibi in dubio iuris conscientiam certam) iam praecipua exhibuimus, quibus theoria innititur probabilismi; nunc pauca alia subiicimus.

a) In dubio melior est condicio possidentis.

Haec regula applicatur in materia iustitiae commutativae, et solum ob analogiam ad omnem quasi-possessionem extenditur, sed restringenda ad dubia negativa sive iuris sive facti.

b) In dubio iudicandum est ex communiter contingentibus.

Haec valet in dubio negativo facti ex. gr. in dubio an puer septennis usum rationis habeat, an homo timoratae conscientiae tentationi consenserit etc.

c) Factum non praesumitur, sed probari debet.

Hanc sequi possumus et tenemur in dubio negativo facti, ex. gr. an quis votum emiserit, pec-

caverit, damnificaverit; an tempus pro obligatione adimplenda coeperit, desierit; an quis horas canonicas recitaverit, voto vel debito satisfecerit etc.

d) In dubio standum est pro valore actus. — Quod factum est, censetur recte factum.

Hae regulae applicantur in dubio negativo facti, a quo pendet valor actus, quando nulla, ne levis quidem, ratio adest pro facti adiunctis, quae actum redderent invalidum, ex. gr. utrum intentio adfuerit in collatione baptismi, utrum integre confessus sim, intentionem habuerim consecrandi in Missa etc.

LIBER ALTER

DE OFFICIIS

PARS PRIMA

DE OFFICIIS QUAE OMNIBUS CHRISTIANIS SUNT COMMUNIA

97. Praetermittimus in hac prima parte tractationem de virtutibus moralibus, de quibus in tota synopsi vel permulta seorsum, ut de iustitia, vel pauca passim hac illac traduntur: quare de virtutibus theologicis, non qua eae sunt habitus, sed qua actus respiciunt, primum; deinde de praeceptis Decalogi et Ecclesiae.

SECTIO PRIMA

DE VIRTUTIBUS THEOLOGICIS

TIT. I. DE FIDE ET VITIIS EI OPPOSITIS.

CAP. I. **De Fide.**

ART. 1. **De fidei notione eiusque distinctionibus.**

98. Fides, qua habitus, definitur « virtus theologica, a Deo infusa, inclinans nos ad firmiter assentiendum, ob divinam veracitatem, omnibus

quae Deus revelavit et per Ecclesiam nobis credenda tamquam revelata proponit ». Ex qua definitione facile eruitur definitio **actus fidei,** qui est « actus supernaturalis, quo homo firmiter assentitur etc. ». Hinc **obiectum** fidei **materiale,** sc. quod credere debemus, sunt Deus et omnes veritates a Deo revelatae et, tamquam revelatae, sive sollemni iudicio, sive ordinario et universali Ecclesiae magisterio, nobis propositae; **obiectum formale,** nempe ratio ob quam credere tenemur, est auctoritas et veracitas Dei revelantis.

99. Fides: *a*) Alia *habitualis*, alia *actualis*, alia *virtualis*. *Illi* competit definitio fidei, qua habitus; *isti*, d. f. qua actus; *haec* habetur, quum actualis praecessit et perdurat et actu influit in alium virtutis actum (ex. gr. si quis, quin eliciat in praesens actum fidei, ex influxu praecedentis fidei actus eliciat actum supernaturalem caritatis et contritionis). *b*) Alia *explicita*, alia *implicita; illa*, qua aliquis fidei articulus creditur in se (ex. gr. habet fidem in Trinitatis mysterium explicitam qui credit Deum unum in natura et trinum in personis P., F., et Sp. Sancti); *haec*, qua aliquid creditur non in se, sed in alio, in quo quodammodo continetur (ex. gr. qui credit Iesum Christum esse verum Deum et verum hominem, implicite credit, etsi explicite ignorat, in duplicem eius voluntatem, divinam et humanam).

Art. 2. De fidei necessitate.

100. Aliquid potest esse ad salutem necessarium necessitate medii et necessitate praecepti. **Necessarium necessitate medii** dicitur illud, sine quo, etiam inculpabiliter omisso, finis obtineri nequit; et si illud in se requiritur et nullo alio medio suppleri potest (ut ex. gr. gratia sanctificans in fine vitae, contritio in peccatore ad iustificationem), dicitur n. *necessitate medii absoluta* vel *in re;* si necessarium est iuxta providentiam Dei ordinariam

et alio modo suppleri potest, dicitur n. *necessitate medii lata, hypothetica, in voto* (ut ex. gr. baptismi susceptio). Est vero **necessarium necessitate praecepti,** quod iniungitur ut medium ad finem consequendum et, quo inculpabiliter omisso, adhuc finis obtineri potest.

Quod necessarium est necessitate medii ad salutem aeternam est etiam, ut patet, n. necessitate praecepti, quia si ad finem obligamur, tenemur etiam ponere media, quae sunt et quousque in nostra potestate sunt.

§ 1. *De necessitate fidei quoad obiecta credenda.*

101. I. **De necessitate medii** *a*) **certo necessarius** est **habitus fidei,** quia nemo salvari potest sine gratia sanctificante, quae ab eo habitu inseparabilis est; *b*) **adultis,** praeter habitum fidei, **certo necessarium** est **nosse,** et **credere** *explicite* Deum esse, et remunerari bonos et malos, ex noto textu Paulino: « *Sine fide impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum, quia est, et inquirentibus se remunerator sit* », et ex prop. 22 et 23, damnatis ab Innoc. XI; **probabilius necessarium** est nosse, et credere *explicite,* mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis, aliis contra asserentibus hoc esse probabiliter necessarium necessitate tantum praecepti.

Et qui nec novit nec credit quae certo de necessitate medii credenda sunt, nec valide nec licite absolvitur, quia ille, qui ex defectu medii necessarii est incapax iustificationis, hoc ipso est incapax absolutionis; qui nec novit nec credit quae probabilius credenda sunt de necessitate medii, absolvi potest solum in casu extremae necessitatis (ex. gr. in periculo mortis), et sub condicione, cum dubius sit valor Sacramenti.

II. **De necessitate praecepti est** A) *sub gravi* nosse et credere *a*) *mysteria SS. Trinitatis et Incarnationis*; *b*) *substantiam* Symboli Apostolici et

necessitatem orandi cum fiducia ut nobis a Deo dentur omnia bona sive naturalia sive supernaturalia, quae ad salutem conferunt; c) *substantiam decalogi,* et *sacramenta,* quorum susceptio est necessaria n. sive medii sive praecepti, sed *suo tempore,* ea quae sunt *suo tempore* suscipienda; d) *substantiam praeceptorum Ecclesiae,* et *potestatem Ecclesiae inesse* ferendi leges et praecepta; B) *sub levi* scire memoriter et servato ordine Symbolum Apostolicum, decalogum, praecepta Ecclesiae, orationem dominicam.

Et qui non novit quae sub gravi debet nosse et credere de necessitate praecepti (si excipias casum, quod ignoret ea quae nosse et credere est *etiam* necessarium *probabilius* necessitate medii) absolvitur valide et licite, dummodo doleat et discere proponat.

§ 2. *De necessitate fidei quoad actus f. internos eliciendos.*

102. Duplex datur **obligatio** quoad *actus internos fidei: altera* **negativa,** sc. *nunquam* dissentiendi a veritatibus a Deo revelatis, et de hac expedita res est; altera **affirmativa** (seu **positiva**) eliciendi actus fidei internos, tempore determinato.

103. Obligatio *affirmativa* eliciendi actus fidei internos vel *profluit ab ipsa fidei virtute,* sc. ex necessitate tum intellectualis obedientiae Deo revelanti praestandae, tum fidei, tamquam medii ad vitam supernaturalem; vel *urget ut medium* necessarium ad alios actus rite exercendos; et cum in primo, tum in altero casu, dicitur ligare *per se,* quum obligatio est omnibus christianis communis, *per accidens,* si exsurgit e peculiari nonnullorum condicione.

I. *Ex ipsa fidei virtute* obligatio actum fidei internum eliciendi **urget:**

1° *Per se. a*) aliquoties in vita, tum ex 1ª Ioan-

nis III, 23 : « Hoc est mandatum eius, ut credamus in nomine Filii eius I. C. », tum ex prop. 1ª damn. ab Alex. VII et ex prop. 17ª, 65ª damn. ab Inn. XI. Et quoties in vita urgeat, discrepant Nostri : iuxta plures, semel in anno ; sed, ex sententia Card. De Lugo, in iis, qui fidem tenuerunt et tenent, sufficiunt in genere actus fidei virtualis et implicitae, sc. satisfit praecepto, exercendo alios religionis actus : *b*) quum *christianus* ad perfectum rationis usum pervenit, et quum ei nova fidei definitio a R. P. ex cathedra loquente proponitur ; *c*) *probabiliter* in mortis articulo ; *d*) *hominem infidelem* urget, quum ei revelatio divina sit sufficienter proposita et innotescat.

2° *Per accidens a*) eum, qui in haeresim lapsus, doleat : videretur enim in haeresi perdurare, nisi novum fidei actum eliceret ; *b*) eum, qui, tentationibus contra fidem vexatus, non possit illas *indirecte tantum* superare.

Peccat igitur contra fidem qui violat obligationem eliciendi actus fidei internos, manantem ex ipsa fidei virtute, et *graviter, per se.*

II. *Tamquam medium necessarium* ad alios actus rite exercendos, obligatio actum fidei internum eliciendi urget :

1° *Per se,* tum *a*) ad exsequendos alios actus supernaturales (si quando sint necessarii), qui sine fide concipi nequeant ; tum *b*) ad se continendum a peccato, quod fieri regulariter nequit quin fidei veritates saepe excutiantur.

2° *Per accidens,* quum homo *a*) iis tentationibus contra alias virtutes vexatur, quae sine supernaturali motivo vel mentis ad aeternas veritates conversione superari nequeant ; *b*) sacramenta suscipere, vel orare debet. Sed patet ad haec non requiri explicitos fidei actus interius conceptos, sed sufficere implicitos, qui facile aderunt.

Qui talem neglegat obligationem, non peccat contrā fidem, sed contra eam virtutem vel legem, ad quam sequendam vel implendam actus fidei necessarios ut medium, non elicuit.

104. *Peccant contra fidem,* plus minusve graviter, pro periculo vel adiunctis, qui fidem suam lectione, conversatione etc. periculo exponunt.

§ 3. *De necessitate fidem exterius profitendi.*

105. Praeceptum fidem exterius profitendi eruitur ex Ep. P. ad Rom. x, vers. 10: « *Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem* »; et est negativum et affirmativum. *Qua negativum,* vetat veram fidem negare et falsam profiteri aut simulare; *qua affirmativum, a) iure divino* iubet fidem profiteri, non semper, sed aliquando, et, quum profiteri exterius non iubet, eam permittit vel iubet dissimulare; *b) iure ecclesiastico,* iubet clericos vel laicos in quibusdam casibus sollemnem emittere fidei professionem. De singulis videamus.

106. I. Praeceptum fidem exterius profitendi *qua negativum* vetat sub gravi *a) veram fidem negare,* sive verbis, sive factis, licet indirecte et oretenus tantum; *b) falsam fidem profiteri, aut simulare.* Simulat falsam, qui eam actionem ponit, quae, natura sua vel ex adiunctis vel ex communi hominum aestimatione, falsam religionem manifestat; ex. gr. si quis, licet exterius tantum, thus incendat vel genu flectat coram idolo, vel coenae protestanticae participet, vel ritibus falsae religionis aut sectae serio adsit, vel vestes aut signa adhibeat, quae sunt *protestativa* falsae religionis aut sectae (vestes aut ornamenta, quibus sacerdotes falsae religionis utuntur in exercitio suarum functionum), vel edat carnes, quum ille carnium esus in odium fidei aut tamquam abiuratio postuletur.

II. Praeceptum f. e. p. *qua affirmativum:*

1° *Iure divino iubet sub gravi fidem profiteri,* non semper, sed quum Deo honor, proximo utilitas vel *privative* vel *contrarie* subtraherentur: nempe *privative,* si ex professionis f. externae defectu magnus Deo honor, magna proximo utilitas ces-

saret, *contrarie,* si ex professionis f. externae defectu magna Deus afficeretur iniuria, magno proximus damno vel scandalo ; aliis verbis, quum taciturnitas negationi, erubescentiae fidei aequivaleret, vel grave scandalum crearet (ex. gr. regulariter tacere nequit qui a publica auctoritate de sua fide interrogetur vel ille, cuius silentium haberetur ut adquiescentia et consensus fidem negantibus). Extra hos casus, sc. quum istiusmodi obligatio non urget, *a*) *permittit* ex gravi causa *fidem dissimulare* seu occultare, tum verbis (ex. gr. privatum privatim interrogantem arguendo : « quid ad te? », vel eludendo verbis ambiguis), tum signis (ex. gr. signis, non protestativis falsae religionis, sed distinctivis — inter asseclas falsae religionis — gentis a gente, coetus a coetu), tum actionibus, quae nec negationem nec erubescentiam fidei contineant, sed tantum audientibus vel spectantibus praebeant rationem suspendendi iudicium ita, ut neque affirmare neque negare possint illum hominem esse catholicum ; — *b*) *permittit* multo magis *occultare* specialem aliquam *condicionem* seu statum inter catholicos (ex. gr. statum sacerdotalem, religiosum, quem *negare,* etiam absque gravi causa, non esset per se letale) ; — *c*) *iubet* ex gravi causa *dissimulare fidem* vel occultare eam, quum nulla obligatio adest fidem exterius profitendi, et simul ex ea externa professione gravia damna secutura praevidentur (ex. gr. perturbatio, persecutio, fidelium vexatio, mortis periculum) ; et, in persecutionibus, arripere fugam (quae non fidei dissimulatio est, sed imo tacita professio), ne fidei periculum subsit, permittit semper cunctis christifidelibus, si excipias *regulariter* episcopos et Ecclesiae rectores.

2° *Iure Ecclesiastico,* reprobata quavis contraria consuetudine, professionem fidei emittendam imponit : *a*) coram praeside eiusve delegato, iis qui oecumenico vel particulari concilio aut synodo dioecesanae intersunt cum voto tum deliberativo tum consultivo, et praesidi ipsi coram iisdem concilio et synodo ; *b*) promotis ad dignitatem Car-

dinalitiam coram Cardinalibus primis in ordine episcoporum, presbyterorum et diaconorum, et S. R. E. Card. Camerario; *c*) promotis ad episcopatum etiam titularem, ad regimen Abbatiae vel Praelaturae Nullius, Vicariatus apostolici, Praefecturae apostolicae, coram delegato ab Apostolica Sede; *d*) Vicario Capitulari coram Capitulo cathedrali; *e*) promotis ad dignitatem vel canonicatum coram Ordinario loci eiusve delegato et Capitulo; *f*) electis consultoribus dioecesanis coram Ordinario loci eiusve delegato et ceteris consultoribus; *g*) Vicario generali; parochis et provisis de beneficio etiam manuali cum cura animarum; rectori, professoribus philosophiae, theologiae et iuris canonici in seminariis initio uniuscuiusque anni scholastici vel saltem initio suscepti muneris; promovendis ad subdiaconatum; deputatis librorum censoribus; confessariis et concionatoribus antequam facultate donentur, coram loci Ordinario eiusve delegato; *h*) Rectori studiorum Universitatis vel Facultatis, coram Ordinario eiusve delegato; *i*) professoribus Universitatis vel Facultatis canonice erectae, initio anni scholastici vel saltem suscepti muneris coram Rectore Universitatis vel Facultatis eiusve delegato; iis, qui, periculo facto, gradibus academicis donantur, coram eodem; *k*) Superioribus in religionibus clericalibus coram Capitulo vel Superiore qui eos nominavit eorumve delegato. — Huic obligationi non satisfit professione emissa per procuratorem vel coram laico; eademque rursus tenentur qui, priore dimisso, aliud officium vel beneficium aut dignitatem etiam eiusdem speciei assequuntur. Qui vero huiusmodi obligationem neglexerint sine iusto impedimento, et moniti intra praefinitum tempus non paruerint, puniendi erunt, etiam privatione officii, beneficii, muneris et dignitatis: et interea fructus non faciunt suos (CIC. can. 1406, 1407, 1408, 2403) (1).

(1) Ex decr. S. Off. d. 22 Martii 1918, licet in CIC. de re, utpote transitoria et temporaria, sermo non sit, usquedum

Cap. II De Vitiis Fidei oppositis.

107. Fidei opponuntur *infidelitas, apostasia, haeresis* et *schisma.*

Art. 1. De Infidelitate.

108. Infidelitas definitur carentia fidei in homine non baptizato.

Triplex distinguitur: *positiva* seu *formalis,* quae est carentia fidei in eo, qui fidem sibi sufficienter propositam respuit; *privativa,* sc. carentia fidei in eo, qui notitiam fidei, data occasione, comparare neglegit; *negativa* seu *materialis,* sc. carentia fidei in eo, cui revelatio vel nullo modo vel non sufficienti proposita fuit.

Negativa seu materialis non est peccatum, cum invincibili ignorantia innitatur; iure igitur damnata fuit Baii propositio: « Infidelitas pure negativa in iis, quibus Christus non est praedicatus, peccatum est ». Privativa est grave peccatum, quia « qui non credit, iam iudicatus est »; positiva seu formalis gravius, quia graviorem continet iniuriam Dei revelantis auctoritati.

Praecipuae infidelitatis species sunt paganismus, iudaismus, mahumetismus.

Ap. Sedes aliter decreverit, tenentur iusiurandum, Const. Pii X « Sacrorum Antistitum » praescriptum, edere doctores in Seminariis, in Universitatibus catholicis, in scholis religiosorum *quotannis* ante quam docere incipiant (S. Congr. Consist. 25 Sept. 1910); clerici maioribus ordinibus initiandi; parochi et canonici ante beneficii possessionem; confessarii, concionatores, officiales curiae et tribunalium Episcopalium, officiales SS. Congreg. et Tribunalium Curiae Romanae; Moderatores ordinum religiosorum ante quam officium ineant; oratores quadragesimales. Et si renuant, deferendi sunt ad S. C. S. Officii.

Art. 2. De Apostasia.

109. Apostasia est totalis defectio hominis baptizati a fide christiana. Ad apostasiae essentiam parum refert utrum apostata transierit ad aliquam infidelium religionem, an atheismo vel indifferentismo (ut qui vulgo *liberi pensatori* vocantur) se dederit. (Apostatae dicuntur alio sensu latiore qui ab Ordine Sacro deficiunt, ut more laicorum vivant, vel recedunt ab Ordine religioso, professione emissa et cum animo non redeundi; qui postremi, si animum redeundi servent, *fugitivi* vocantur.)

Apostatae a fide incurrunt excommunicationem (confer *De Censuris* n. 610, 1°) R. P. speciali modo reservatam. Quoad alias poenas ferendae sententiae cf. CIC. can. 2314.

Art. 3. De Haeresi.

110. Haeresis definitur error voluntarius et pertinax in homine baptizato contra aliquam fidei catholicae veritatem. Quare *a*) qui non aliquam, sed omnes negat fidei veritates, fit non haereticus, sed apostata; *b*) ut haeresis consistat, veritas haec vel illa, quae negatur, debet ut dogma revelatum ab Ecclesia ad credendum proponi; *c*) qui *positive dubitat,* haereticus est, quia iudicat certa non esse quae Deus revelavit; qui *in dubio negativo* iudicium suspendit, nolens neque affirmare neque negare, *si revera non iudicat* (quod impossibile aut vix possibile), haeresis ab eo aberit; qui ex ignorantia errat, etsi affectata, deficiente voluntatis pertinacia, haereticus non est.

Peccant contra fidem, quamvis non sint haeretici, qui tenent vel docent propositiones a S. Sede damnatas nota inferiore quam haeresis, sc. tamquam haeresi proximas, vel falsas, erroneas, scandalosas aut piarum aurium offensivas; item qui tenent aut docent sententias, quas erroneas, haeresi

proximas, impias. temerarias etc.' theologi fere unanimi consensu iudicent.

Haeresis *a*) alia *formalis,* alia *materialis,* prout error contra fidem est voluntarius et pertinax, vel non; *b*) alia *interna,* alia *externa,* alia *mixta,* prout vel in corde latet absque exteriore manifestatione, vel est pure externa absque interno assensu, vel utroque constat elemento, sc. interno assensu et externa manifestatione; *c*) alia *occulta,* alia *notoria* seu *manifesta,* prout nota est paucis vel nemini, aut multis vel cunctis.

Haeretici formales, qui haeresim externe manifestent, dogmatizantes (sc. cum animo haeresim profitendi), licet paucis et occulte, incurrunt excommunic. R. P. speciali modo reservatam (cf. *De Censuris* n. 610, 1°). Quoad alias poenas ferendae sententiae cf. CIC. can. 2314.

Art. 4. De Schismate.

111. Schisma definitur separatio ab unitate Ecclesiae catholicae.

Schisma dicitur *a*) *purum* vel *mixtum,* prout vel ei haeresis nulla sit admixta (quod tamen vix fieri potest), vel etiam haeresim contineat; *b*) *formale* vel *materiale,* prout desit vel adsit bona fides; *c*) *plenum,* si separatio fiat simul et a corpore Ecclesiae et a capite eius visibili Romano Pontifice; *minus plenum,* si quis separatur sciens et volens ab obedientia solius capitis, sc. R. P. pro tempore exsistentis, pollicitus tamen se obtemperaturum successori eius.

Schismatici sunt — cum schisma purum *in facto* consistat — etiam qui Principi schismatico vel haeretico, tamquam supremo Ecclesiae capiti, externam praestant obedientiam, etsi non credentes, et inviti; item *intrusi,* sc. qui absque legitima missione, freti potentia saeculari, invadunt Ecclesiae iura, officia, beneficia.

Schismatici puri, et ii qui a R. P. pro tempore

exsistentis obedientia pertinaciter se subtrahunt vel recedunt, incurrunt excommunic. R. P. speciali modo reservatam (cf. *De Censuris* n. **610**, 1°) ; et si *mixti,* tamquam haeretici, incurrunt etiam eam, de qua superius n. **110.** Quoad alias poenas ferendae sententiae cf. CIC. can. 2314.

112. Nota. Uti etiam CIC. confirmat can. 1258, § 1 et 2, *communicare* cum infidelibus, haereticis, apostatis, schismaticis *a) in divinis, non licet sub gravi,* sed grave *per se* non est templa eorum ingredi, exclusa qualibet in divinis participatione, nisi id, sub gravi, lege particulari vetetur ; *b) in civilibus* (inter quae, convivia nuptialia et associationes cadaverum comprehenduntur) *licet,* remoto scandalo. — *Disputatio* vero *formalis et publica* de religione cum iisdem, quae fere nunquam utilis evadit, iniussu Auctoritatis Ecclesiasticae licite instaurari nequit.

APPENDIX

I. De praevia librorum censura.

(CIC. can. 1385-1394)

113. *Praeviae censurae ecclesiasticae* subiiciuntur : *a)* libri Sacrarum Scripturarum vel eorumdem adnotationes et commentaria ; *b)* libri qui de S. Scripturis, sacra theologia, historia eccl., iure canonico, theologia naturali, ethice aliisve huiusmodi religiosis ac moralibus disciplinis pertractant ; libri ac libelli precum, devotionis vel doctrinae institutionisque religiosae, moralis, asceticae, mysticae aliique huiusmodi, quamvis ad fovendam pietatem conducere videantur, ac generaliter scripta in quibus aliquid sit quod religionis ac morum honestatis peculiariter intersit (ex. gr. vitae Sanctorum, *non,* si quid opinor, diaria vel ii libelli periodici, qui regulariter de argumentis religiosis non agunt) ;

c) imagines sacrae quovis modo imprimendae, habeant, necne, preces adiunctas.

Licentiam edendi libros et imagines, de quibus antea, dare possunt vel loci Ordinarius proprius auctoris, vel Ordinarius loci in quo libri et imagines imprimuntur, vel Ordinarius loci in quo publici iuris fiunt; licentia ab uno denegata et ab altero concessa, auctoris vel editoris conscientiae non suffragatur, nisi *hic* Ordinarius certior antea factus sit de negata *ab illo* venia. *Religiosi,* praeterquam quod Ordinarii, veniam Superioris sui Maioris impetrare debent. — Approbatio alicuius libri non suffragatur nec posterioribus editionibus nec versionibus in aliam linguam, quae proinde nova approbatione indigent: excerpta vero e periodicis non censentur novae editiones.

Auctores vel *editores,* qui sine praevia censura aliquid evulgaverint, gravi non vacant, nisi forte agatur de libello parvi momenti.

114. Requiritur praeterea *licentia: a*) *S. Rituum Congregationis* ad edenda quae quoquo modo pertinent ad causas beatificationis et canonizationis; *b*) *Apostolicae Sedis* (S. Poenitentiariae) ut edantur, quovis idiomate, tum collectio authentica precum piorumque operum quibus Sedes Apostolica indulgentias annexuit, tum elenchus indulgentiarum apostolicarum, tum summarium indulgentiarum vel antea collectum sed nunquam approbatum, vel nunc primum ex diversis concessionibus colligendum; *c*) *Sacrae Romanae Congregationis,* ad quam pertinent, ut edantur Collectiones eius decretorum, servatis insuper conditionibus a Moderatoribus ipsius Congr. praescriptis; *d*) *Ordinarii loci* (cf. n. **113**), ut publicentur indulgentiarum libri omnes, summaria, libelli, folia etc., in quibus earum concessiones continentur; *e*) *Ordinarii loci,* ut supra, *pro clericis,* et *praeterea Superioris Maioris* pro religiosis, tum ad edendos libros, qui de rebus profanis agant, tum ad moderanda vel conscribenda diaria, folia vel libellos periodicos; *pro laicis quo-*

que, si agatur de conscribendis diariis, foliis vel libellis periodicis, qui religionem catholicam aut bonos mores impetere solent.

Versiones Sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam imprimi nequeunt, nisi sint ab Apostolica Sede probatae aut nisi edantur sub vigilantia Ordinariorum et cum adnotationibus praecipue excerptis ex SS. Patribus atque ex doctis catholicisque scriptoribus; *libri liturgici eorumque excerpta, itemque litaniae a S. Sede approbatae,* nisi constet de concordantia cum editionibus a S. Sede approbatis ex testimonio Ordinarii loci in quo imprimuntur vel publici iuris fiunt.

115. *Licentia edendi,* seu *Imprimatur,* in scriptis concedi debet, in principio aut in fine libri, folii vel imaginis imprimenda, expresso nomine concedentis itemque loco et tempore concessionis; quae si sit denegata, roganti auctori, nisi gravis causa aliud postulet, rationes denegationis aperiendae sunt.

II. De Libris Prohibitis.

(CIC. can. 1395-1405)

Art. 1. Quid lex naturalis vetet.

116. Lex naturalis, ut quae iubet praecavere periculum animae, sive nostrae, sive aliorum, vetat per consequens

a) lectionem librorum quorumlibet, ex quibus animae detrimentum oriri potest, sive periculum sit certum, sive sit dubium, in quo tenemur tutiorem partem sequi, sc. abstinere ab iis legendis. Nec refert utrum agatur de libris veri nominis, an de libellis, fasciculis, ephemeridibus quae quotidie eduntur;

b) sive scriptionem sive editionem librorum vel diariorum, ex quibus fidei vel bonis moribus da-

mnum exsurget: servata tamen, quoad editionem, ratione cooperationis formalis et materialis, in culpa dimetienda [cf. n. 117, II, *c*)]. Culpa non vacant qui diaria, fidem vel bonos mores impetentia, per vicos et plateas venditant, nisi gravissima egestate coacti.

In violantes tantum naturalem legem, ut patet, censura non adest, quia de peccato agitur, non de delicto.

Art. 2. Quid lex ecclesiastica vetet in genere.

117. I. Notandum nomine librorum, *quoad prohibitionem*, venire: *a*) publicationes *typis* editas, non manu scriptas; *b*) aliquo volumine constantes, et proinde libri censentur publicationes periodicae in fasciculos colligatae, *non* vero quae exiguo foliorum numero consistunt et independenter prodeunt, ut ex. gr. orationes (*discorsi*), *nec per se* diaria, quae quotidie prodeunt.

II. Lex ecclesiastica, quum libros prohibet, ipso prohibitionis facto *vetat* libros prohibitos

a) *legere* (*non* audire legentem), ob periculi praesumptionem, etsi nullum alicui perversionis periculum reapse immineat. Sed datur in re parvitas materiae, ut si ex parte libri vere in se vel tibi noxia legas citra 3 paginas, ex libro parum noxio citra 30;

b) *retinere* (sed et in hoc parvitas materiae, ex. gr. si retineas citra 30 circiter dies, aut exspectes aliquamdiu opportunitatem tradendi Ordinario librum prohibitum, vel veniam legendi), vel retentos vendere, commodare aliis, nisi quibus est legitima legendi licentia;

c) *edere*, et lex tenet sive auctores, sive dominos officinae editricis, sive eos qui *proximam* operam libris praestant edendis; *hos* tamen, ut cooperatores materiales, grave damnum excusat;

d) *vendere* seu *venales habere*.

Art. 3. Quid lex ecclesiastica vetet in specie.

118. Vetat:

1° *a*) editiones textus originalis et antiquarum versionum catholicarum Sacrae Scripturae, etiam Ecclesiae Orientalis, ab acatholicis quibuslibet publicatas, itemque eiusdem versiones in quamvis linguam, ab iisdem confectas vel editas; libros Sacrarum Scripturarum vel earumdem adnotationes et commentaria a catholicis publicata sine praevia censura; itemque versiones Sacrarum Scripturarum in linguam vernaculam, quae ab iisdem editae sint vel sine venia Apostolicae Sedis vel citra Ordinariorum vigilantiam; *b*) libros quorumvis scriptorum, qui haeresim vel schisma propugnant aut ipsa religionis fundamenta quoquo modo evertere nituntur, aut quodlibet ex catholicis dogmatibus impugnant vel derident, aut errores ab Apostolica Sede proscriptos tuentur, aut cultui divino detrahunt, aut disciplinam ecclesiasticam evertere contendunt, aut, data opera, vel ecclesiasticam hierarchiam vel statum clericalem et religiosum probris afficiunt, aut religionem vel bonos mores, data opera, impetunt; *c*) libros quorumvis acatholicorum, qui ex professo de religione tractant, nisi constet nihil in eis contra catholicam fidem contineri; *d*) libros, qui res lascivas seu obscenas ex professo tractant, narrant aut docent; *e*) libros qui cuiusvis generis superstitionem, sortilegia, divinationem, magiam, evocationem spirituum aliaque id genus docent vel commendant, aut duellum vel suicidium vel divortium ut licita tuentur, aut, de sectis massonicis vel aliis eiusmodi societatibus agentes, eas utiles et non perniciosas Ecclesiae et civili societati esse contendunt; *f*) libros de quibus n. **113**, sine praevia censura editos; *g*) libros ac libellos, qui novas apparitiones, revelationes, visiones, prophetias, miracula enarrant, aut novas inducunt devotiones etiam sub praetextu quod sint privatae, editos sine praevia censura, itemque libros, quibus divulgantur

indulgentiae apocryphae vel a S. Sede proscriptae aut revocatae: *h*) Imagines quoquo modo impressas D. N. I. C., B. M. V., Angelorum atque Sanctorum vel aliorum Servorum Dei ab Ecclesiae sensu vel decretis alienas.

Notandum tamen, usum editionum et versionum S. Scripturae, de quibus sub *a*) in principio et in fine, iis dumtaxat permitti, qui studiis theologicis et biblicis quovis modo operam dant, dummodo iidem libri fideliter atque integre editi sint neque impugnentur in eorum prolegomenis aut adnotationibus catholicae fidei dogmata;

2° eos libros, qui nominatim recensentur in Indice Librorum Prohibitorum, denuo edito, iussu Leonis XIII, ab a. 1900;

3° pro *subditis*, libros prohibitos a Conciliis particularibus, a locorum Ordinariis, ab Abbatibus monasterii sui iuris et a Supremo religionis clericalis exemptae Moderatore cum suo Capitulo vel Consilio, vel, urgente casu, ab aliis Superioribus Maioribus cum suo ipsorum Consilio (modo tamen, re postea delata ad Supremum Moderatorem, hic prohibitionem confirmaverit).

Art. 4. **Unde petatur licentia libros prohibitos legendi.**

119. S. R. E. Cardinales, Episcopi, etiam titulares, aliique Ordinarii, necessariis adhibitis cautelis, ecclesiastica librorum prohibitione non adstringuntur. Quoad reliquos, facultatem concedunt legendi ac retinendi libros prohibitos;

a) *pro toto Orbe* Suprema Congr. S. Officii;

b) *pro regionibus sibi subiectis* S. Congr. de Propaganda Fide;

c) *pro Urbe tantum*, S. Palatii Apost. Magister; generalis facultas data a Quibus supra non valet pro libris vel ephemeridibus ab Ordinariis in sua dioecesi vel a Superioribus Maioribus aut Abbatibus in sua religione vel monasterio, ut supra, proscriptis, nisi in

Rescripto facta fuerit potestas legendi aut retinendi libros *a quibuscumque* damnatos;

d) *in sua dioecesi* Ordinarii quoad libros a se vetitos; quad prohibitos a S. Sede, pro singularibus libris tantum et in casibus urgentibus; si vero facultatem a S. Sede generalem habuerint delegatam, nonnisi cum delectu, et ex iusta et rationabili causa;

e) in sua religione vel monasterio Superiores Maiores vel Abbates, de quibus supra, item quoad libros a se proscriptos.

Art. 5. **De poenis in transgressores latis.**

120. *a*) Ex CIC. can. 2318, § 1. in excommunicationem Sedi Apostolicae speciali modo reservatam ipso facto incurrunt, opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes (cf. n. **610**, 2°).

b) Ex eod. can., § 2, incurrunt in excommunicationem nemini reservatam auctores et editores, qui sine debita licentia Sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes vel commentarios imprimi curant (cf. n. **614**, 1°).

Tit. II. De Spe et Vitiis ei oppositis.

Cap. I. **De Spe.**

Art. 1. **De notione spei eiusque obiecto.**

121. Spes definitur virtus a Deo infusa, qua inclinamur ad exspectandum a Deo et futuram beatitudinem et media ad eam assequendam necessaria vel utilia.

Obiectum materiale spei *primarium* est aeterna beatitudo, *secundarium* sunt gratiae divinae ad eam adipiscendam necessariae vel utiles. **Obiectum formale** theologi tenent esse, alii omnipotentiam Dei, alii eius misericordiam, alii fidelitatem divinam in promissionibus adimplendis; sunt demum qui obiectum formale constituunt in Dei fidelitate, qui potest, utpote omnipotens, et vult, utpote misericors, praestare quod promisit, et haec sententia mihi adridet.

Art. 2. De necessitate actuum spei.

122. *Spes* est *necessaria* **necessitate medii**, sive ut *habitus infusus*, qui est inseparabilis a gratia sanctificante absolute necessaria ad salutem, sive ut *actus*, quo deficiente, est impossibile ponere actus praeparatorios ad iustificationem, et habere propositum servandi mandata, et orare: quae omnia sunt media ad salutem necessaria (Concil. Trid. sess. 6, c. 6).

123. Actus spei est etiam *necessarius* **necessitate praecepti**, tum naturalis (quia qui tenetur ad fidem, obligatur ad media necessaria), tum divini, ut patet e S. Scripturae locis, verum praeceptum adstruentibus (1 Tim. vi, 17; Rom. viii, 24; Col. i, 5), ex oratione Dominica et ex prop. 1ª ab Alex. VII damnata.

Praeceptum spei, qua *negativum, obligat* ad non desperandum neve praesumendum; qua *affirmativum*, obligat ad actum spei eliciendum

A) *per se*, seu ratione ipsius virtutis: *a*) *initio usus rationis; b*) *aliquoties in vita; c*) *quando urget tentatio* contra spem, quae alio modo vinci nequeat; *d*) quum *grave desperationis peccatum* fuit admissum;

B) *per accidens* quando vel refellenda est tentatio contra alias virtutes, quae sine actu spei vinci nequeat, vel adimplendum est aliud praeceptum, quod sine actu spei, virtuali saltem et implicito,

nequeat exsecutioni demandari, ut orationis, poenitentiae etc.

Ceterum heic applicentur, pro modo, ob analogiam, quae de necessitate actus fidei diximus n. **103**, I et II.

Cap. II. De Vitiis Spei oppositis.

124. Spei opponuntur per excessum *praesumptio*, per defectum *desperatio*.

Praesumptio definitur temeraria fiducia beatitudinis aeternae assequendae sine mediis a Deo ordinatis, sc. vel sine gratia vel sine operibus bonis. Multipliciter homo ex praesumptione peccare potest, et praesertim *a*) confidendo propriis tantum viribus in salutis negotio; *b*) si innitatur divina tantum misericordia et neglegat opera bona vel nolit praecepta servare, putans se nihilominus aeque salvum fore; *c*) sperando a Deo auxilium ad illicita patranda; *d*) praesumens sanctitatis extraordinariae culmen attingere, sine subiectione divinae voluntati; *e*) motivum accipiens e divina misericordia ad perseverandum in peccato vel ad addenda peccatis peccata, cum aliquo divinae iustitiae contemptu.

In *praesumptionis peccato*, quod *ex genere suo grave* est, datur parvitas materiae; sed in iis, quae sub vocibus *a*), *b*), *c*), explicavimus, difficile haeresis deerit.

Desperatio definitur diffidentia voluntaria et deliberata obtinendi a Deo beatitudinem et media ad eam ordinata.

Haec, si sit *perfecta* et *proprie talis*, plerumque haeretico innititur iudicio et *gravissimum* est peccatum. Contra, desperatio minus voluntaria et deliberata, quae potius oriatur e debilitate mentis vel ignavia, materiae parvitatem admittit.

Tit. III. De Caritate et Vitiis ei oppositis.

Cap. I. De Caritate.

Art. 1. De caritatis notione, obiecto, ordine, distinctionibus.

125. Caritas definitur virtus theologica, qua *Deum* diligimus super omnia propter seipsum et suas infinitas perfectiones, atque *nosmetipsos* et *proximos* propter Deum.

Quare **obiectum materiale** caritatis **duplex**: *primarium* est Deus, *secundarium* sumus nosmetipsi et proximi. **Obiectum formale**, seu ratio motiva, est bonitas Dei absoluta.

Heic non agimus de caritate, qua tenetur unusquisque erga seipsum. Nam res expedita est; caritas exigit ut nos aeternam salutem attingere studeamus, removendo simul quae ab ea adquirenda nos impediunt, et haec omnia in scientia officiorum et mediorum continentur.

126. Ordinem esse *in caritate* **servandum**, patet, et tum *quoad bona*, tum *quoad personas*.

I. **Quoad bona**, prima lex est, bonum commune praeferendum bono privato. Altera respicit ordinem inter bona. Et *primum locum* obtinent bona spiritualia et supernaturalia; *alterum*, bona naturalia et bona corporis, ut vita, et integritas corporis, sanitas etc. quibus vita naturalis innititur; *tertium*, bona externa, quibus vita civilis constat, sc. fama, honor, bona temporalia seu divitiae.

II. **Quoad personas**, ordo debet considerari in triplici relatione: sc. inter Deum et nos, inter nos et proximos, inter proximos relate ad nos.

1° *Inter Deum et nos*. Et Deum, ut qui est primum principium, finis ultimus, ens infinitum et perfectissimum, debemus diligere plus quam nos ipsos et proximos.

2° *Inter nos et proximos. Triplex* instituenda est *comparatio:* A) *inter animam nostram et animam proximi;* B) *inter vitam nostram et animam proximi;* C) *inter vitam nostram et vitam proximi.*

A) Tenemur magis diligere animam nostram quam animam proximi, tum quia caritas bene ordinata incipit a seipso, tum quia amor nostri, cum sit regula amoris in proximum, est prior ac potior. Hinc non licet peccare nec graviter nec leviter, vel se proximo ac directo peccandi periculo exponere, pro aliorum salute spirituali.

B) Aut *a*) proximus est in necessitate spirituali communi, sc. a qua facile se expedire potest (ex. gr. si peccavit aut peccaturus est letaliter), et tenemur ei succurrere citra incommodum grave. Aut *b*) proximus est in necessitate spirituali gravi, sc. a qua difficile poterit se liberare sine aliorum auxilio (ut si ex. gr. moriturus probabilissime non eliciet actum caritatis et contritionis perfectae — si infans fidelium filius sit moriturus et difficile baptizabitur), et alii affirmant teneri nos, *modo tamen vere* speretur operam nostram esse profuturam, ad ei succurrendum cum periculo vitae; alii verius teneri nos regulariter solum cum incommodo gravi, et, contra, cum periculo vitae in duobus hisce casibus: quum necessitas gravis est communis (ex. gr. saeviente peste vel cholerae morbo), quae extremae comparatur, quia vix fieri potest tunc, ut aliquis in extrema necessitate non versetur; — quum agitur de eo, qui ad succurrendum tenetur ratione officii (ut animarum pastores), vel pietatis (ut filii erga parentes), vel delicti (ut si quis haeresim docuerit, e qua proximus illa gravi necessitate laboret). Aut *c*) proximus est in necessitate spirituali extrema, sc. a qua nullatenus se liberare poterit absque aliorum ope (ex. gr. si infans moriturus sit absque baptismo et nemo adsit qui eum baptizare sciat vel possit — si moriturus nesciat elicere actum contritionis et caritatis perfectae — si scias aliquem in mortali exsistentem interficiendum in somno vel dum nil cogitat), et tunc tenemur illi succurrere etiam cum periculo vitae, ex verbis

I. Ioannis III, exceptis casibus, quod publice expediat vitam nostram conservari, quia bonum publicum privato praeferendum, vel non possimus subvenire sine proximo nostro peccandi periculo, vel nulla, fere nulla sit spes, nos indigenti esse profuturos.

C) Regulariter tenemur praeferre vitam nostram vitae proximi, quia secus, contra praeceptum, diligeremus proximum non sicut sed plus quam nosmetipsos. Attamen potest et debet exponi certo periculo vita propria pro reipublicae salute vel ad servandam vitam personae bono communi necessariae; potest, ex motivo virtutis, exponi vita ad alterius vitam tuendam, quia in casu non vita aliena propriae praefertur, sed bonum virtutis anteponitur vitae propriae.

3° *Inter proximos relate ad nos.*

A) *Quoad affectum vel reverentiam,* magis debemus diligere eos qui Deo propiores religione, gratia, repraesentatione etc. sunt; ideo praeferendi christiani ethnicis, sancti et iusti peccatoribus, parentes filiis.

B) *Quoad subventionis effectum, a*) in pari necessitate praeferendi qui sunt propinquiores *sibi* sanguine, amicitia, patria vel quo alio iure. Ideo ordine veniunt coniux, liberi (quia *bonum familiae* in pari causa attenditur), parentes, fratres et sorores, consanguinei ulterioris gradus, amici, cives, connationales. Insignes benefactores praeferendi sunt consanguineis ulterioris gradus. *b*) In extrema necessitate, etiam extraneus praeferri debet coniunctissimis in minore necessitate constitutis, et in pari necessitate extrema (quia hic *bonum vitae* attenditur) parentes anteponendi sunt uxori et liberis.

127. Caritas *a*) alia *habitualis,* alia *actualis. Habituali* convenit definitio, quam de caritate dedimus n. **125**; *actualis* definitur actus voluntatis, quo diligimus Deum super omnia propter seipsum et suas perfectiones, atque nosmetipsos et proximos

propter Deum. *b*) Alia *perfecta*, alia *imperfecta*, prout Deus diligitur tamquam bonus in se, sc. amore benevolentiae, vel tamquam bonus nobis, sc. amore concupiscentiae. *c*) Alia *affectiva*, alia *effectiva*, prout caritas in corde tantum residet, vel in actus exteriores effunditur. *d*) Alia *appretiativa*, alia *intensiva*, prout Deus praefertur omnibus creaturis, vel insuper diligitur cum maiore vel minore cordis fervore.

Art. 2. De caritate erga Deum.

128. Datur **praeceptum** (*in necessitate medii statuenda cur immoremur?*) caritatis erga Deum, Matth. XXII, 37: « *Diliges Dominum Deum tuum etc.: hoc est maximum et primum mandatum* ».

Actus vero caritatis (non intensive, sed appretiative summae) erga Deum, quando urgeat, velis ex iis determinare quae diximus de necessitate fidei et spei nn. **103**, I et II, **123**, propter analogiam. Addere tantum iuvabit, praeceptum caritatis perfectae erga Deum certo urgere, sub gravi, in articulo mortis, si aliud iustificationis medium non suppetat.

Art. 3. De caritate erga proximum.

§ 1. *De caritate interiore in proximum.*

129. Praeceptum adest diligendi proximum *actu caritatis interno* ex Matth. XXII, 39: « *Diliges proximum tuum sicut teipsum* ». Confirmatur ex prop. 10ª damn. ab Inn. XI, quae ita sonat: « Non tenemur proximum diligere actu interno et formali ».

Hoc praeceptum, qua *negativum*, vetat ne proximo malum velimus, et obligat semper ac pro semper; qua *positivum*, obligat, semper sed non pro semper sc. tempore determinato, ad caritatis affectus: i. e. *a*) ut *complaceamus* nobis de proximi bono et spirituali et temporali; *b*) ut proximo

utrumque *desideremus ; c*) ut *velimus* (sc. parati simus animo) ei succurrere, quoties detur occasio. Satisfit huic praecepto, diligendo *omnes* homines in communi, nemine excepto, dumne maioris erga singulos dilectionis necessitas urgeat ; et implet praeceptum actus interni qui orat pro omnibus, praesertim si *ex corde* orationem dominicam recitet.

Praeceptum actus interioris caritatis obligat aliquando *per se* (cf. quae de necess. actus fidei interni), aliquando vero *per accidens,* sc. *a*) quum tentatio odii vinci nequit nisi positivo caritatis actu ; *b*) si tenemur cum aliquo reconciliari ; *c*) quum proximus est in gravi necessitate spirituali vel temporali, quo in casu obligamur etiam ad internum caritatis motum.

130. Diligendi inimicos (sc. eos, qui nos immeritos laeserunt vel odio prosequuntur) **praeceptum** exsurgit ex Matth. v, 44 ; ex eo, qua *negativo,* vetamur inimicis velle malum aut vindictae animum fovere ; qua *positivo,* tenemur eis velle bonum dilectione *communi,* ideoque ad eos non excludendos a generalitate dilectionis, iuxta ea quae diximus superiore n. **129.**

§ 2. *De actibus caritatis externis erga proximum.*

I. *De proximo in spiritualibus subveniendo.*

131. Iam antea (n. **126,** II, 2°, B) plura enuntiantur de subveniendo proximo in necessitate spirituali extrema et gravi ; diximus insuper teneri nos, *citra incommodum grave,* succurrere proximo constituto in necessitate spirituali communi, ex. gr. si peccavit aut peccaturus est letaliter.

Hoc fit, eum *corripiendo, docendo, impediendo.*

1° **Corripiendo. Correptio fraterna** A) *definitur* admonitio, e fraterna caritate procedens, qua quis proximum a peccato admittendo arcere vel admisso revocare nititur. B) *Distinguitur* a iudiciali, quae ad bonum commune dirigitur. C) *Praecipitur* tum

iure naturae, quod mutuum imponit adiutorium. tum iure positivo divino, ex Matth. XVIII, 15. D) *Obligat* sub gravi, etiam inferiores erga superiores, si hae condiciones, simul omnes, concurrant: *a*) *Materia sufficiens,* sc. peccatum mortale; et etiam peccatum veniale (quo in casu obligatio erit levis) si secum ferat probabile periculum delabendi in mortale, vel det occasionem disciplinae relaxandae in communitatibus ecclesiasticis vel religiosis. — *b*) *Materia certa,* sc. certo constare debet de peccato proximi vel de eius periculo. — *c*) *Necessitas et facilitas correptionis. Necessitas non adest,* quum proximus iam resipuit vel probabile est fore ut per se resipiscat, periculum vitet; item, si alter adsit, aptius vel cum maiore fructus spe admoniturus. *Facilitas non adest,* si corrigens periculum vel incommodum grave ex correptione prudenter timeat: quae tamen exceptio superiores non respicit. — *d*) *Probabilis spes praesentis vel futurae emendationis.* In dubio, adhuc facienda est correptio, si probabilius ea sit profutura vel certo non obfutura; item si corrigendus versetur in mortis periculo; si demum ex omissione timeatur damnum fidei vel moribus aliorum. E) *Facienda est, secreto* (nisi peccatum sit publicum vel nisi agatur de damno gravi a communitate avertendo, ad quod secreta correptio impar esset), *opportuno tempore* (potest enim permitti relapsus, si spes effulgeat delinquentem ferventius deinde esse resipiturum) et *loco.* F) *Praecedere debet* denuntiationem Superiori faciendam. Cessat obligatio praemittendi correptionem privatam denuntiationi, vel exsurgit obligatio denuntiandi, omissa correptione fraterna, *a*) quum peccatum est publicum, et denuntiatio magis censeatur profutura quam correptio; *b*) quum agitur de avertendo damno tertii innocentis vel communi, quod privata correptione arceri nequeat vel non aeque bene arceatur; *c*) quum delatio fit Superiori, ut patri, et is prudenter creditur magis in correptione profuturus.

2° **Docendo,** sc. quum proximus ignorantia vel

errore detinetur citra culpam, saltem gravem. Et vel agitur de licito et illicito, vel de errore unde damnum grave erranti vel aliis incumbat. Et A) *si agitur de licito et illicito, a*) quum quis certo putat peccatum esse vel grave, quod revera non est peccatum, aut est leve tantum, docendus et monendus est, quia agitur de peccato formali praecavendo ; *b*) item docendus est, qui laborat conscientia dubia, ne agens cum dubio practico peccet ; *c*) qui autem certo putat non esse peccatum, quod tale revera est, vel esse leve quod, contra, est grave, docendus est si monitio sit certo profutura vel statim, vel post breve spatium, quia etiam peccatum materiale vitari debet ; secus vero, si monitio sit vel dubie profutura vel obfutura, quia praecavendum est formalis peccati periculum. B) *Si agitur de errore invincibili,* ex quo grave damnum sive ipsi ignoranti sive aliis immineat, tunc, *a*) quum error vergit in damnum commune, errans docendus est (ex. gr. parochus, qui ex invincibili ignorantia erronee populum instrueret de fide aut moribus — ille, qui bona fide putet se esse sacerdotem, et non sit — ille, qui ignoret sui matrimonii nullitatem, de qua tamen publica est fama); *b*) quum error vergit in detrimentum ipsius errantis aut privati alicuius (ex. gr. si quis ignoret nullitatem occultam sui matrimonii vel obligationem restituendi), monitio fieri *potest,* si certo sit profutura ; fieri *debet,* si error ille, ex circumstantiis, publice perniciosus evadat (ex. gr. quum peccatores in malo obfirmentur eo quod videant errantem impune ad Sacramenta admitti), vel versetur circa res necessarias necessitate medii, vel utcumque scandalum pariat.

Haec docendi obligatio neminem tenet cum incommodo gravi, nisi eos qui ex officio vel pacto curam errantis spiritualem gerunt.

3° **Impediendo,** sc. *actionem externam ;* quod fieri potest subtrahendo media ad actionem necessaria, nisi tamen impeditus excitetur ad alia et plura peccata (ex. gr. si prohibitus a voluptuaria

et excessiva potatione erumperet in iniurias, imprecationes, blasphemias quam plurimas). — Disputatur an liceat vim alicui inferre, peccare volenti. Et *a*) si is peccet sine gravi suae vitae vel aliorum damno, tunc solum *probabiliter* vim inferre liceret (ex. gr. retinendo, occludendo), quum ille praesumitur, sedata animi tempestate, rem esse ratihabiturus ; *b*) si e peccato grave damnum peccanti vel aliis impendat (ut si ille velit se e fenestra, ab alto, in flumen proiicere vel alios vulnerare, necare), res, ut patet, expedita est.

II. *De proximo in necessitatibus temporalibus subveniendo, seu de eleemosyna.*

132. Eleemosyna definitur, ex S. Th., « opus, quo datur aliquid indigenti ex compassione, propter Deum ». Praecipitur iure naturali, ratione mutui adiutorii, et positivo divino (Matth., IV, vers. 25 ; II Io., III ; Iacob., II).

Ut recte dignoscatur, quandonam et quousque urgeat eleemosynae praeceptum, videndum tum de diversa dantis condicione, tum de diversa egentis necessitate.

Quoad primam, bona, e quibus proximo erit succurrendum necne, distinguuntur in *a*) *necessaria vitae,* quae sc. requiruntur ad vitam servandam sive nostram sive eorum qui in cura nostri sunt ; *b*) *necessaria statui* sed *vitae superflua,* quae sc. actualem nostram decent condicionem ; *c*) *superflua statui* vel *simpliciter superflua,* quibus sc. erogatis, e statu actuali decenti non deiicimur.

Quoad alteram, triplex distinguitur necessitas : *a*) *extrema,* in qua desunt necessaria vitae ; *b*) *gravis,* in qua grave malum imminet, vel periculum a statu iuste adquisito decidendi, a quo se liberare difficile est valde, sine alieno auxilio ; *c*) *communis,* in qua aegre, tolerabiliter tamen, vita agitur, ut ex. gr. eorum qui victum ostiatim mendicant. Notandum tamen, quod, quum agitur de iis qui necessitate actuali laborant et habent sive *in re* alibi

(ut peregrinus qui domi possideat) sive *in spe* (ut filius viri divitis, vel is qui artem lucrosam callet), non tenemur donare, sed mutuas possumus dare res, pecunias, suo tempore restituendas.

133. Nunc ea statuamus, in quibus omnes dd. conveniunt; deinde ea, de quibus hinc inde controvertitur.

A) Nemo *ex solo caritatis praecepto* tenetur *ex necessariis vitae* subvenire proximo in quacumque necessitate constituto.

Nostri excipiunt casum, in quo ex vita proximi, in extrema necessitate constituti, penderet rei publicae salus, quia tunc bonum publicum privato praevaleret; sed hunc casum puto inter Lunae vel Martis incolas tantum dari posse.

B) *Sub gravi* tenemur *ex superfluis vitae* vel *statui necessariis* succurrere proximo *in extrema* necessitate constituto.

Diximus: *in extrema*, et (quod idem esse tenent plures dd.) *in quasi extrema* vel *in dubio* an revera sit extrema, quam D'Annibale suam sententiam esse dicit. Ni fallor, heic non de sententia agitur, quae ceterum ob extrinsecam summi moralistae auctoritatem gravissima esset, sed de veritate; versamur enim in dubio facti, in quo tutior pars est eligenda. Nam rectissime S. Ambrosius: « *Pasce fame morientem; quisquis enim pascendo hominem servare poteras, si non pavisti, occidisti* ». — Diximus: *ex superfluis vitae* vel *statui necessariis*. Quod vero nonnulli dd. asserunt, *neminem teneri,* ut subveniat extremae alicuius necessitati, *e statu suo decidere,* hoc etiam relegandum, sit venia verbo, in Lunae vel Martis orbem, tum quia non est de contingentibus, tum quia necessitas extrema non eiusmodi levamenta exigit, quae patiantur succurrentem e statu suo delabi.

C) *Saltem sub levi* tenemur *ex statui superfluis* vel *simpliciter superfluis* succurrere proximo *in gravi* necessitate constituto.

D) *Saltem sub levi* tenemur *ex statui superfluis*

vel *simpliciter superfluis* succurrere proximo *in communi* necessitate constituto.

Ex S. Alph. laicos obligatio urget, non totum statui superfluum in pauperum auxilium elargiendi, sed quinquagesimam partem annuorum proventuum qui supersint.

134. Hucusque ea, de quibus omnes conveniunt. Sed tamen:

a) relate ad rerum condicionem, quae sub lit. C), *communior* sententia affirmat tum *gravitatem* obligationis, tum *obligationem* succurrendi *etiam ex statui necessariis, cum non gravi status detrimento.*

b) relate ad rerum statum, qui sub lit. D), *communior* item sententia adstruit obligationis *gravitatem.*

Et sane — licet confessarius nequeat (D'Annibale, V. ed., P. II, n. 85, [8]) inabsolutos dimittere poenitentes mitiori sententiae adhaerentes —, *communiori* sententiae standum esse in utroque casu arbitror, ob rationum momenta, quae e gravibus, explicitis, repetitis Christi verbis, et ex aliis Scripturae locis profluunt; animadvertatur insuper, sententiam mitiorem in utroque casu censeri a Nostris (cfr. Bucceroni) unice *non improbabilem*, et quidem *ab extrinseco.* Quum enim necessitatis extremae casus rariores sint, praeceptum Christi — quod absonum — in irritum caderet, et gravissimae sanctiones ab Eo propositae, etiam nil agendo in pauperum favorem, eluderentur, auspicibus mitioris sententiae doctoribus!

135. Eleemosynam facere *possunt* qui earum rerum, quas elargiuntur, habent dominium simul et administrationem. De alienis *possunt* tutores et curatores, iuxta morem et pro patrimonii entitate; uxores, filii, ex praesumpta viri et patris voluntate, et, hoc iniuste renuente, illae tamquam vitae sociae, hi tamquam condomini; famuli, vix, aut ne vix quidem, ex praesumpto domini consensu.

Cap. II. De Peccatis seu Vitiis Caritati oppositis.

Art. 1. De oppositis caritati erga Deum.

136. Caritati erga Deum duo opponuntur: *odium* et *acedia*. De *hac* iam actum n. 76; de *illo* paucissimis.

Odium in genere definitur actus voluntatis obiectum aliquod aversantis. Aliud est *abominationis*, quum sc. voluntas aversatur directe malas qualitates personae, indirecte personam, quatenus in ea sunt illae qualitates malae; quod peccatum *per se* non est, imo, si causa sit recta, potest esse laudabile (ex. gr. abominari populi seductorem, qua talem, et ei malum desiderare, adprecari, ex quo *impotens fiat* ad damnificandum). Aliud est *inimicitiae*, quum sc. voluntas aversatur directe personam eique malum — quatenus ei malum est — exoptat; et est ex genere suo grave.

Odium Dei est, ut patet, peccatum omnium longe gravissimum; et virtualiter inest cuilibet p. letali.

Art. 2. De oppositis caritati erga proximum.

137. Caritati erga proximum quattuor opponuntur; eum *odisse*, eum *scandalizare*, ad peccatum eum *inducere*, eius peccatis *cooperari*.

§ 1. *De odio et inimicitia erga proximum.*

138. 1° A) **Odisse** (o. inimicitiae) proximum est aversari eius personam et illi malum exoptare, qua malum ei est.

Et *a*) *malum exoptare*, casu vel ab aliis inferendum; nam si quis *non exoptet solum*, sed *velit ipse inferre*, species mutatur, et peccatum est contra iustitiam; *b*) *qua malum ei est;* ideo non odit, qui

exoptat proximo malum, non gravius iusto nec iniuste inferendum, propter bonum eius spirituale, vel eius simul et aliorum, vel propter bonum temporale sive reipublicae, sive eorum, quos magis diligere tenetur.

Res per exempla clarior fiet. Non est odii peccatum, si morbum alicui optes ut peccare desinat vel a scandalo cesset; nec si cupias mortem vel rei iusta poena plectendi, vel alicuius ordinem socialem graviter perturbantis, vel filii, qui et quatenus familiae dedecori est. Sed malum, quod optas, esset gravius iusto, si ex. gr. mortem filiae cuperes, quae ob dotis defectum vel vultus deformitatem nuptiis arcetur; neque optare licet malum iniuste inferendum, ex. gr. mortem non ex morbo vel ex infortunio obventuram, sed per vim ab aliis infligendam.

B) Quae non licet alteri desiderare, de iis alteri quomodolibet obventis gaudere non licet. Sed licitum est *unice* delectari de bono effectu secuto, si qui sit.

C) Item ac malum proximo optare, est odii peccatum tristari de bono alterius temporali, nisi tamen eatenus tristeris quatenus bonum eius in iniustum damnum tui vergit, vel quia eo indignus est (quod indignatio et zelus est, dumne motivis aliis non rectis innitatur). Si vero tristaris de bono alterius spirituali, vel de b. temporali qua hoc minuit tuam excellentiam (quae huc non pertinent), in primo casu adest peccatum contra Sp. Sanctum, in altero invidiae.

139. 2° Diximus n. 130, ex praecepto inimicos diligendi, *qua negativo*, vetari nos velle malum inimicis aut vindictae fovere animum; *qua positivo*, teneri nos bonum iis velle dilectione communi. De utraque re seorsum et paucis. Et A) vetamur velle malum inimicis aut vindictae animum fovere.

Ex hoc capite:

a) *Non licet* malum velle inferre, optare inimicis, vel de eorum bono tristari, iuxta ea et cum exce-

ptionibus, de quibus sup. n. 138. *b*) *Tenemur veniam dare* sc. personalem offensam remittere (non vero iuris laesi reparationem) et communia benevolentiae signa ostendere veniam petenti sive formaliter sive aequivalenter, ex. gr. per donum, per exhibitionem aestimationis, honoris, affectus, quae ceterum eo pluris valent et magis sunt attendenda quo offensor est offenso superior. Qui non negaret positive veniam, sed aliquantulum differret, ob iustum dolorem, positivam veniae concessionem; item qui communia benevolentiae signa non statim ab illata iniuria ostenderet, non esset peccati saltem gravis arguendus, praesertim si id faceret ad ostendendum iustum dolorem, vel tuendam laesam dignitatem. *c*) *Tenemur* veniam *ex corde* dare etiam ei qui veniam nolit petere, et satisfactionem condignam, quum possit haud difficulter exhibere, contra recuset. Utrum in hoc casu debeamus adloqui offensorem eique communia ostendere benevolentiae signa, *per se* ex S. Antonin. aliisque negandum; sed *per accidens* ad id possumus teneri, si facile sit, et secus vel proximi anima in peccato tabesceret vel scandalum e nostro agendi modo oriretur. *d*) *Obligamur salutare* inimicum, si est superior noster, vel antea salutare solebamus, vel quum omissio salutationis ex circumstantiis signum odii videretur; inimicum salutantem *resalutare* semper, a qua tamen obligatione eximi potest superior vel parens, qui resalutationem, non ex odio sed ad correctionem, deneget ad breve tempus. *e*) *Possumus* inimico poenam publicam optare, imo et per denuntiationem et querelam exposcere, si recta intentione movemur, ex. gr. ut inimicus emendetur, ad exemplum aliorum, ad bonum commune, dumne *in praxi* sub hoc lateat odium et vindictae desiderium, vel intentio feratur in malum inimici.

Quando vero in hisce omnibus adsit letale, diiudicandum ex intentione; ex significatione (sive in se, sive in aliorum interpretatione) actus omissi; ex minore vel maiore tempore ab accepta offensione

elapso. Sed res erit plerumque salebrosa ad iudicandum.

B) Tenemur positive velle bonum inimicis.

Ex hoc capite:

a) Iubemur inimicum includere in communi oratione. *b*) Inimico, qui in necessitate est, debemus eodem modo subvenire, quo aliis in eadem necessitate; et si *libere* generositatem nostram exercemus erga multitudinem, de qua inimicus est, non licet nobis eum excludere a beneficio, haec enim a communi caritate exclusio esset evidens vindictae signum.

§ 2. *De Scandalo.*

140. Scandalum definitur dictum vel factum minus rectum, praebens proximo occasionem peccandi seu ruinae spiritualis. — Scandalum, ita definitum, dicitur *activum* seu *datum;* ei, ex altera parte, respondet *passivum* seu *acceptum*, quod est ipsa spiritualis ruina seu peccatum admissum ex occasione alieni dicti vel facti.

141. Scandalum *activum* potest esse *directum*, si intentio agentis feratur in peccatum alterius, et dicitur stricte *diabolicum*, si agens intendit *determinate* ruinam alterius spiritualem; vel *indirectum*, si peccatum alienum non intenditur, sed tamen praevidetur, saltem in confuso.

Scandalum *passivum*, dicitur *pusillorum*, quum actio nostra, licet per se bona vel indifferens, est alteri occasio peccandi, ob eius fragilitatem et ignorantiam; vocatur vero *pharisaicum*, si non a nostra actione bona vel indifferenti, sed a mera alterius malitia oriatur ansa ad peccandum.

I. *De Scandalo activo directo.*

142. Scandalum activum directum intelligitur adesse *etiam a*) quum datur alteri occasio peccandi solum *venialiter;* aut *materialiter* tantum (ex. gr.

si quis, videns tuam actionem, eamdem faciat, licitam putans): aut *externe* solum (ex. gr. si quis meretricem, iam et habitualiter et actu ad peccandum paratam, sollicitet); — *b*) quum aliquid fit, unde alteri exsurgat vel *a*) *aliqua necessitas* (ex. gr. si die festo parentes opus servile agant et filios secum ferant idem acturos, — si mater die esuriali dapes vetitas filiis apponat), vel *b*) *ansa et occasio* peccati (ut si qua mulier inhonestis denudatione et ornatu procedat ad alliciendos proximos).

143. Scandalum activum directum est *letale ex genere suo:* et erit grave vel leve, prout grave vel leve est peccatum (etiam materiale), cuius praebet occasionem. Quare actus in se graviter malus potest esse levis ex parte scandali; et, contra, actus in se levis, potest esse gravis ratione scandali.

Malitia scandali activi directi multiplex est; et scandali *simpliciter talis* alia contra caritatem, alia contra virtutem, ad quam laedendam proximus inducitur, — *diabolici*, praeter istam duplicem, alia contra caritatem, *specifice* a priore magis generali distincta.

II. *De Scandalo activo indirecto.*

144. Scandalum activum indirectum *non adest*, quum *a*) e tua actione alii ad malum non alliciuntur, ut ex. gr., si male agas coram hominibus perfectae virtutis, vel perditissimis, tuo exemplo non egentibus; *b*) tu ita sis moribus perditus, ut putes tuum exemplum nemini scandalo futurum.

Ut scandalum activum indirectum imputabile sit (quoniam recidit in voluntarium in causa), necesse est: *a*) Ut *fuerit praevisum*. Ex hoc capite, scandalum non admittit qui non animadvertit vel non putat se scandalum dare. *b*) Ut *vitari debuerit*. At si actio sit mala vel intrinsece vel ex legis violatione, ex hoc capite scandalum semper aderit. *c*) Ut *vitari potuerit*. Huc pertinet casus actionis, quae non sit mala in se, sed specie tantum: ex. gr. co-

medere publice carnes die esuriali in eo qui dispensatione munitus est. Scandalum non aderit, quum quis ea actione sine incommodo gravi nequit abstinere nec adstantes praemonere.

145. *Malitia* scandali activi indirecti est contra caritatem tantum, quia *verius* non laeduntur virtutes, ad quarum laesionem proximus indirecte allicitur. Ita ex. gr. si meo exemplo Caium ad furandum inducerem, non furti a Caio admissi essem reus ego.

Relate ad *gravitatem*, applicentur quae de scandali activi directi n. 143, respectu tamen habito ad ea quae superiore n°. diximus.

III. *De Scandalo simpliciter passivo et de Scandalo pusillorum et pharisaico.*

146. Ad scandalum simpliciter passivum aptius pertinet, ni fallor, quaestio, quam nonnulli obtrudunt ubi de activo directo, sc. utrum liceat alteri occasionem ex consulto dare vel datam non auferre, quum actio, ex qua alteri occasio oritur, non est per se mala.

Et dicimus licere — exclusa intentione directa alieni peccati — occasionem alteri ex consulto dare, vel datam non auferre, ex gravissima causa, sc. vel ad efficaciorem delinquentis emendationem, vel ad consulendum propriae indemnitati. Sic, ex S. Alph., licebit viro ficte abesse, ut uxoris fidelitatem experiatur, et hero res furandas collocare in loco, ad quem facilior sit accessus, ut famuli fidelitatem tentet vel ut fur in furto deprehendatur.

147. Ad vitandum **scandalum pusillorum** *a) non tenemur* et *non possumus* omittere praecepta legis naturalis, vel opera bona praecepta, quae sunt hic et nunc necessaria necessitate medii; *b) possumus* aliquoties omittere opera bona, praecepta lege positiva: ex. gr. mulier, quae scit se ab aliquo turpiter amari, potest ab Ecclesia abstinere die festo

aliquoties, ne se eius adspectui obiiciat; *c) possumus item* omittere opera bona non praecepta, vel opera indifferentia, semel vel iterum, non nimis frequenter, quia non tenemur libertate et facultate ad bonum nos privare ob alterius fragilitatem. — Ad vitandum **scandalum pharisaicum** nulla ratione tenemur, quia non a nostra actione sed ab aliorum malitia unice pendet.

§ 3. *De Inductione.*

148. Inductio seu sollicitatio ad peccandum est actio externa (verbum, nutus vel gestus), qua proximus explicite et directe ad peccatum provocatur. Differt a scandalo directo, quia *hoc occasio*, *illa* est *causa* peccandi; a scandalo indirecto, quia inductio coniungitur cum intentione directa provocandi ad peccatum.

Inductio fit:

a) Iubendo, ex. gr. imperando famulis, ut vacent servilibus die festo; filiis, ut furentur.

b) Rogando, ex. gr. aliquem ut tecum inhoneste agat.

c) Instigando, ex. gr. aliquem ad blasphemandum, ad furandum etc.; etsi ad materiale tantum peccatum, ut si instigaveris infantem, amentem, ebrium.

d) Petendo ab altero actionem, quam ille sine peccato praestare nequit, ex. gr. rem intrinsece malam. At si agatur de actione, quae sine peccato praestari potest, sed de facto non praestabitur absque peccato, licebit eam petere ex iusta necessitatis vel utilitatis causa, et eo facilius, quo maius inest petenti ius ad illam actionem alienam, vel quo magis ille, a quo petitur, est ex se determinatus ad actionem ponendam. Sic ex. gr. poteris petere absolutionem a sacerdote indigno, ut paschali praecepto satisfacias vel indulgentiam plenariam lucreris, et ab usurario mutuum quo egeas.

e) Consulendo absolute rem malam. Sed licebit,

ex sententia, quae videtur S. Alphonso *probabilior*, ei, qui determinatus est ad malum maius alicui inferendum quod averti nequeat, consulere minus malum, inferendum tum eidem personae [sive in maiore contentum, sive disparatum, ex. gr. volenti Caium occidere, suggerere ut potius vulneret, vel ut in eius damnum adulteret], tum aliis indeterminatis [ex. gr. volenti Caium vel alium quemlibet occidere, insusurrare ut fornicationem vel adulterium committat cum qualibet muliere; volenti a paupere rem furto auferre, inspirare ut potius a divite quolibet auferat].

149. Inductio, quae habet *duplicem malitiam*, sc. contra caritatem et contra virtutem, quam ad laedendam proximus provocatur, est gravis vel levis pro gravitate vel levitate peccati, ad quod alius inducitur; at, quantumvis hoc grave sit, gravi illa facile vacabit, si proximus ad idem peccatum sit assuetus et inclinis.

§ 4. *De Cooperatione.*

150. **Cooperatio** definitur concursus praestitus malae actioni alterius.

Est peccatum contra caritatem, quia haec virtus nos obligat ad aliena peccata impedienda et a fortiori ne eorum participes efficiamur.

Cooperatio: a) Alia *immediata,* alia *mediata,* prout praestatur ipsi actui malo, vel per actiones cum peccantis actu connexas; et mediata erit *proxima* vel *remota,* prout cooperatoris actio est stricte vel late connexa cum actu peccantis. *b*) Alia *formalis,* alia *materialis*, prout aliquis actioni alterius cooperatur, *qua* ea peccatum est (sc. cum cognitione et intentione mali), vel ponit actionem externam, sine cognitione vel saltem sine intentione mali, etsi praevideat agentem principalem actione externa a se posita abusurum esse ad malum finem. *c*) Alia *positiva*, alia *negativa*, prout quis in cooperando actionem non debitam ponit, vel debitam omittit.

Cooperatio formalis, quaecumque ea sit, *nunquam*

est *licita*, ut patet; item *illicitum* est *cooperari materialiter* actione sua *mala* actioni malae alterius.

151. Quaestio est igitur *de liceitate cooperationis materialis per actionem bonam vel indifferentem.* Principia haec sunto.

A) Licet cooperari materialiter actione bona vel indifferenti alterius peccato, quum *a*) quis non teneatur impedire ex officio istud peccatum, et simul *b*) adest causa proportionate gravis, ex qua alienum peccatum possit permitti, vel non impediri. Illud patet: hoc fluit e principio, caritatem non obligare cum gravi incommodo.

B) Necessitas causae relative et proportionate gravis ita intelligenda est: *a*) Ratione praevalentiae boni communis et publici bono privato, nunquam incommodum aut damnum privatum reddit licitam cooperationem materialem actioni malae alterius, ex qua religioni vel cuilibet bono publico — sive supernaturalis sive naturalis ordinis — grave detrimentum oriatur. *b*) *Sola* ratio, quod, te cooperante, alter sit certo certius cooperaturus, non sufficit; alias cooperatio esset licita fere semper. *c*) Quo cooperatio *propior, efficacior, magis immediata, magis necessaria* est ad alterius peccatum, eo *gravior* causa requiritur ad cooperationem materialem praestandam. *d*) Quo cooperatio remotior, et agens principalis promptior et expeditior est ad peccatum, vel peccatum minus probabile praevidetur, eo minor causa sufficit. *e*) Non licet cooperari materialiter, cooperatione propiore, actioni alterius malae, quae vergat in damnum tertii innocentis, nisi malum, quod cooperator sibi timet, sit certum, et superioris ordinis, vel saltem gravius in eodem ordine.

152. Pretium operis est regulas traditas nonnullis casibus particularibus applicare, iuxta ordinem, quem sequitur Lehmkuhl.

I. Ad actiones, quae spectant bonum fidei et religionis.

a) Adesse ritui religioso acatholico ad aliquem

comitandum, erit formalis cooperatio, si ipsi ritui et precibus participes, vel ad id intersis, ut acatholicae sectae honorem et adprobationem conferas; secus cooperatio erit dumtaxat materialis, eiusque malitia et gravitas pro periculi modo diiudicanda. *b*) Ubi acatholici liberum cultum non habent, templa eorum aedificare erit formalis cooperatio pro iis qui libere in aedificationem concurrunt, ex. gr. in architectis, non in operariis manualibus. *c*) De cooperatione in foliis vel libris, in fidei et religionis damnum edendis, cf. n. **117**, II, *c*.

II. Ad actiones, quae honestatem spectant presse sumptam.

a) De cooperatione ad editionem librorum vel foliorum, quae in morum perniciem vergat, v. praef. n. **117**, II, *c*. *b*) Cantu vel repraesentatione concurrere ad res notabiliter vel graviter lascivas (ut ex. gr. in *cafés chantants*), ratione periculi alieni erit grave. Sed, si id ad vivendum necesse sit ei, cui *actu* alia media non suppetant, et lasciviae periculum per agendi vel canendi modum minuatur, letale forsitan aberit. *c*) Res obscenas pingere, de aliorum mandato, cum agatur de cooperatione vel formali vel materiali per actionem nec bonam nec indifferentem, in casu quo affectus pravus eiusve periculum a pingente absit, ei licebit tantum ob gravissimi damni metum. — Conficere et vendere res obscenas, vel ad usum obscenum adhibendas, ex. gr. ad onanismi peccata, nunquam erit licitum, nisi ob mortis periculum. *d*) *Famulo* licebit ostium aperire meretrici dominum adeunti, equum sternere domino ad peccandum profecturo, quia haec, seclusa conniventia, videntur cooperatio remota et quae non praetergreditur rationem famulatus; *nonnisi ex gravi causa*, dona vel litteras amatorias meretrici vel domini amasiae deferre, dominum ad concubinae domum comitari, praesertim si ex comitatu liberior et audentior fieret; *nonnisi ex gravissima c.*, sc. ex metu mortis vel mutilationis, subiicere humeros vel scalam tenere domino, ad fornicandum vel stuprandum adscendenti,

aut, ad eum finem, ianuam vi aperire etc. *e*) Non licet, *per se* et regulariter loquendo, meretricibus famulari: quod ex adiunctis aestimandum. *f*) Licebit ex gravi causa, sc. si alii conductores diu deerunt cum gravi damno, domum meretricibus locare.

III. Ad actiones, quae alia praecepta divina et humana spectant.

a) *Famulus* potest, sola ex ratione famulatus, apponere vinum domino, qui eo abusurus est, vel parare carnes die esuriali. *b*) *Caupo* licite potest apponere carnes iis qui petunt die esuriali (sive nesciat, utrum hi causam iustam vel dispensationem habeant, quia odiosum et hodie fere absurdum de hisce inquirere, sive sciat causam iustam abesse), si cum gravi suo damno multos a se arceret vel numerus cauponam frequentantium minueretur; *ex gravi causa,* ex. gr. ad praecavendum rixas, blasphemias, grave damnum, non propter simplicem lucri rationem, vinum abundantius apponere iis qui velint eo abuti vel certo abutentur, — locum concedere ad *honestas* choreas, etsi periculum peccati ex iis uni vel alteri oriri possit, — exponere legenda folia, quae contra religionem et bonos mores aliquid contineant. Si vero agatur de foliis exponendis, quae ex professo et fere unice religionem et bonos mores impetunt, vel de apponendis die esuriali carnibus, in odium et contemptum fidei petitis, non eum excusabit, ut puto, nisi gravissima causa. *c*) *Venditoribus* et *mercatoribus licet* vendere eas res, quae sunt per se indifferentes nec conditae ad nocendum, etsi periculum abusus adesse queat; secus de commercio actum esset. Si abusus in particulari praevidetur et, venditore negante, peccatum non impediretur et ius tertii aeque laederetur, ex minus gravi causa licebit vendere; secus, ex graviori. *Non licet* vendere res per se perniciosas, ex. gr. venena, *nisi constet de bono usu;* in dubio, vel in certitudine abusus, non licebit unquam eas vendere, vel nonnisi ex gravissima causa. Nec *regulariter* excusat ratio, fore ut res aeque apud alios comparetur.

SECTIO ALTERA

DE PRAECEPTIS DECALOGI

Tit. I. De Primo Decalogi Praecepto.

« Ego sum Dominus Deus tuus... non habebis Deos alienos ». Exod. xx, 2.

Cap. I. De Religione.

153. Primum Decalogi praeceptum id iubet quod est immediatum obiectum virtutis religionis. *Religio* (quae non est virtus theologica, non enim immediatum eius obiectum est Deus, sed cultus Deo debitus) definitur *virtus moralis inclinans hominem ad exhibendum Deo cultum, tamquam rerum omnium principio ac domino.*

Hoc praeceptum qua *affirmativum* praecipit actus internos et externos cultus, qua *negativum* vetat vitia religioni opposita.

Art. 1. De cultu in genere.

154. I. **Cultus** definitur actus, quo quis propriam subiectionem alteri exhibet in testificationem excellentiae ipsius.

II. Omissis cultus distinctionibus in *civilem* et *religiosum*, et *huius* in *naturalem* et *supernaturalem*, quae clarissimae, *cultus supernaturalis* dividitur *a*) in *absolutum* et *relativum*, prouti Deo et Sanctis exhibetur propter excellentiam ipsis insitam, vel eorumdem reliquiis et imaginibus ob repraesentationem et relationem extrinsecam; *b*) in *supremum* et *subordinatum;* ille est, qui soli Deo, et *latriae* dicitur; hic, qui B. Virgini (*hyperduliae*) et Sanctis (*duliae*) exhibetur, ob eorum excellen-

tiam participatam ; *c*) in *internum* et *externum; d*) in *privatum* et *publicum,* prouti exhibetur a privato et privato nomine, vel a communitate et nomine Ecclesiae et forma ab eadem praescripta.

III. Cultus *absolutus — latriae —* debetur Deo, Christo et ipsius Humanitati, SS. Eucharistiae Sacramento ; c. a. *hyperduliae* debetur B. M. Virgini ob specialem excellentiam, quae Ei inest ob immunitatem a culpa tum originali tum actuali, ob praeservationem a fomite concupiscentiae et divinam maternitatem ; c. a. *duliae debetur* Angelis, Sanctis, publice et sollemniter ubique locorum, *exhiberi potest* Beatis, sed non sollemnis et in territoriis et locis tantum, in quibus ab Ecclesia permittitur.

IV. Cultus *relativus publicus* debetur Reliquiis et Imaginibus ob repraesentationem et relationem extrinsecam, et quidem *latreuticus* iis, quae ad Redemptorem pertinent, *hyperduliae* iis, quae ad B. Virginem, *duliae* iis, quae ad Sanctos vel Beatos. C. *relativus privatus* exhiberi *potest* reliquiis vel imaginibus alicuius viri, qui in sanctitatis conceptu habeatur, licet nondum fuerit beatificatus vel canonizatus.

Art. 2. De actibus cultus in specie.

155. *Actus cultus* in specie sunt *adoratio, oratio, sacrificium, votum, iuramentum* et *sanctificatio quorumdam dierum.* Heic de duabus prioribus, cum ceteris sit in reliqua tractatione suus cuique locus.

§ 1. *De adoratione.*

156. Adoratio stricte sumpta, quae est latriae actus et proinde soli Deo et Christo Deo-Homini debita, definitur actus quo agnoscitur suprema divina maiestas et nostra subiectio. Erit *interna,* si mente et corde concipiatur et foveatur ; *externa,* si *genuflexione* vel *prostratione* (quae tamen *non*

sunt *signa exclusiva*) vel *verbis* significetur. Proprius et verus adorationis conceptus inest *sacrificio.*

§ 2. *De oratione.*

157. Oratio *late sumpta* definitur elevatio mentis in Deum: *stricte sumpta,* petitio decentium a Deo. Est actus religionis, nam continet agnitionem et professionem divinae excellentiae et bonitatis, et simul nostrae subiectionis et indigentiae. Inspecta persona, dividitur in *privatam* et *publicam;* inspecto personae actu, in *vocalem,* quae ore fit, et *mentalem,* quae fit mentis consideratione et exercitatione.

158. *Efficacia* orationis est *infallibilis,* non ex iustitia, sed ex liberalitate et fidelitate Dei, ut quae Christi promissis nititur, *quum* fit *a) pro se,* iuxta S. Aug.: « *Exaudiuntur omnes pro seipsis, non pro omnibus: unde non dictum est* dabit, *sed,* dabit vobis » ; *b) de iis,* quae sunt ad salutem *necessaria,* iuxta eumdem: « *Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur* » ; *c) in nomine Christi,* et *pie* sc. cum fide, spe, humilitate et caritate; *d) perseveranter. Magna,* sed *non infallibilis,* erit orationis efficacia, si *utilia* ad salutem petantur, et sive *a) bona spiritualia* (etiam gratiae gratis datae, quum gloria Dei et animarum salus eas expostulare videtur), sive *b) bona temporalia,* cum condicione tamen explicita vel saltem implicita — quatenus ad salutem animae conferant —, sive *c) mala temporalia,* quum animae proderunt eamque a peccato retrahent.

159. 1° *Necessariam* esse orationem *necessitate medii,* non quidem ex natura rei et absolute, sed iuxta ordinariam Dei providentiam, *probabilius* nonnulli dd. censuerunt et in opere morali etiam S. Alph.: *certum* vero docuerunt ceteri, et ipse S. Alph., priore sententia retractata, in suis Opu-

sculis. Et sane auxilium gratiae est pro adultis necessarium necessitate medii ad salutem. Atqui ex notis textibus S. Script. auxilium gratiae nonnisi per orationem obtinetur.

2° *Necessaria* item est *necessitate praecepti,* tum quia media ad salutem necessaria implicite praecipiuntur, tum quia ex verbis Christi et textibus scripturalibus praeceptum etiam explicitum satis evincitur.

Praeceptum vero orationis *urget* aliquando *per se,* aliquando *per accidens.* Urget:

A) *per se a*) vix puero effulget lumen rationis, debet enim tunc exhiberi Deo signum subiectionis; *b*) *in articulo mortis,* ad perseverantiam finalem obtinendam; *c*) *saepius in vita,* ex verbis « *oportet semper orare* etc. » et aliis. Quaenam mora inter alteram orationem et alteram inducat letale peccatum, alii aliud sentiunt; et rigidiores hebdomadam, laxiores annum, alii denique, mediam ineuntes viam, mensem unum vel alterum requirunt. Sed confessarius debet potius esse sollicitus de necessitate orandi inculcanda, quam de gravitate peccati, ob omissam orationem, statuenda;

B) *per accidens a*) in gravi tentatione, quae alio modo nequeat superari; *b*) quoties oratio sit medium necessarium ad aliud praeceptum implendum; *c*) quoties auxilium divinum implorare oporteat, ex. gr. in mortis occurrente periculo, in publicis calamitatibus etc.

160. *Quosnam* debeamus vel possimus *orare,* et *pro quibus,* brevi dicendum.

1° A) *Debemus* orare *publice et privatim* Deum et Christum uti Deum et Hominem. Sententia communis est a veniali *saltem* non excusari qui neglegat intercessionem ponere B. Virginis et Sanctorum apud Deum. B) *Possumus* orare *a*) *publice* B. M. V. et Sanctos, quos utiliter a nobis orari fidei dogma est (Conc. Trid. sess. XXV), et Angelos, ut custodes nostros; *b*) *privatim* infantes baptizatos et mortuos ante rationis usum, item

viros in odore sanctitatis vita functos. Utrum animas Purgatorii privatim orare possimus, alii negant, tum quia Purg. animae in eo sunt statu in quo indigent ut oretur pro eis, potiusquam ut orent pro nobis; tum quia Deum non vident et necessitates et orationes nostras non cognoscunt; tum ex eo quod Ecclesia nunquam usa est eas invocare; et hanc sententiam, quae mihi non probatur, veriorem putat cl. D' Annibale. Alii affirmant, recentioribus consentientibus; et argumentis superius allatis ita respondent: *a*) et nos ab Apostolo docemur vicissim orare, licet indigeamus ut oretur pro nobis; *b*) dato et non concesso, animas Purgat. orationes nostras ignorare (possent enim eas cognoscere per Angelos vel per internam revelationem), sufficit ut illae orent in genere pro necessitatibus nostris, earumque preces Deus praevalenter exaudiet pro iis, qui eas fuerint deprecati; *c*) Ecclesia in liturgia pluries invocat *omnes Sanctos* (num animas Purgat. excludit quae sanctae sunt?) et praxim fidelium tacite adprobat.

2° *Tenemur* orare, ex caritatis lege, pro nobismetipsis; pro omnibus viatoribus fidelibus, infidelibus, amicis, inimicis, pro animabus Purgatorii. *Possumus* orare pro Sanctis, ut augeatur eorum gloria extrinseca.

161. *Distractiones* in oratione *involuntariae* peccato vacant; *voluntariae*, etsi agatur de orationibus non recitandis ex praecepto, levem irreverentiae culpam constituunt.

Cap. II. De Vitiis Religioni oppositis.

162. Religionis virtuti opponuntur *quasi per excessum* superstitio, *per defectum* irreligiositas.

Art. 1. De superstitione.

163. Superstitio definitur cultus religiosus vitiosus; vitium autem cultui inesse potest sive ex parte modi, quo Deus et Sancti coluntur, sive ex parte rei quae colitur. Superstitio ex parte modi vocatur *cultus indebiti;* ex parte rei vocatur *rei cultae indebitae.*

§ 1. *De Superstitione cultus indebiti.*

164. Cultus indebitus potest esse vel *falsus* vel *superfluus.*

a) *Cultus falsus* habetur quum Deus honoratur cultu a se reprobato ex. gr. iudaico, vel ritu alieno a vero, quo Ecclesia catholica utitur ex. gr. haereticis proprio; item quum laicus vice ministri sacri fungitur, vel catholicus ad Dei cultum promovendum, ad veritatem religionis confirmandam utitur falsis vel fictis miraculis, revelationibus etc.

b) *Cultus superfluus* fit quum in cultu vero adhibentur ritus vani et futiles, vel magni fiunt circumstantiae vanae, inutiles, incongruae, ex. gr. si effectus vim et infallibilitatem adesse putes in certo quodam candelarum situ vel numero, in sacerdote certi nominis vel cuiusdam qualitatis physicae, in certa orandi hora etc. Sed cultus superfluus non erit si determinatus numerus adhibeatur dierum vel precum ex. gr. trinum in SS. Trinitatis, quinarium in Quinque Christi Vulnerum honorem etc. dumne numero praecise efficacia tribuatur.

165. *Cultus* tum *falsus* tum *superfluus* sunt *ex genere suo graves* (D'Annibale, II, 27), graviter enim repugnant honori et cultui divino; sed *hic* ratione parvitatis materiae, simplicitatis et ignorantiae facile, *ille* difficilius letali vacabit.

§ 2. *De Superstitione rei cultae indebitae.*

166. Superstitio rei cultae indebitae triplex est: *idololatria, divinatio* et *vana observantia.*

Huius divisionis ratio a S. Th. in Secunda Secundae q. 92. a. 2 redditur, eamque aliis verbis et brevius referimus: — Ad tria divinus cultus ordinatur: 1° ut homo debitam Deo exhibeat reverentiam, 2° et 3° ut a Deo, quem colit, instruatur, et in suis actibus dirigatur. In hisce tribus, Deo creaturam substitue, et tres habebis huius superstitionis species.

I. *De Idololatria.*

167. Idololatria definitur cultus divinus imaginariae divinitati, vel creaturae, vel daemoni (et tunc dicitur *daemonolatria stricte sumpta*) exhibitus.

Et dividitur in *perfectam, imperfectam, simulatam.*

Idololatria dicitur *a*) *perfecta*, quum est coniuncta cum errore intellectus; et erit *materialis*, si error sit invincibilis et inculpabilis (ut ex. gr. in Afro, qui nunquam de vero Deo audiverit); *formalis*, si error sit vincibilis et culpabilis [ut ex. gr. in Afro, cui aliquo modo veritas effulserit, sicut in casu infidelitatis privativae (v. n. **108**)]; *b*) *imperfecta*, quum abest error intellectus, et defertur creaturae honor divinus, non quia ea divina putetur, sed vel in odium veri Dei vel ob commodum quod inde profluat; *c*) *simulata*, quum admittitur nec ex errore intellectus nec ex interno affectu, sed ob metum mortis, uti a christianis quibusdam, persecutionis tempore, novimus factum fuisse.

168. *Idololatria* cuiuslibet speciei, *excepta perfecta materiali*, est *grave* peccatum; et imperfectae malitia gravior est quam simulatae, ut patet.

II. *De Divinatione.*

169. Divinatio definitur inquisitio rei futurae vel occultae ope daemonis expresse vel tacite invocati. Hinc distinctio divinationis in *expressam* vel *tacitam*.

Tria praenotanda sunt:

1° Daemones virtute sua *non* possunt *certo cognoscere* *a*) internas hominum cogitationes, nisi quatenus per signa et externos effectus manifestantur; sed ex his possunt eas, acutius quam homines valeant, coniicere et investigare; *b*) futura contingentia, quae ab hominis libera voluntate procedunt; sed multa coniicere valent, vi angelicae intelligentiae, ex diuturna rerum experientia, e perfecta causarum naturalium scientia, ex hominum naturali temperamento et propensione.

2° *Tacita* censetur adesse daemonis invocatio quum, ad occulta vel futura cognoscenda, media omnino inepta et improportionata adhibentur; quo in casu effectus, quum a causa naturali procedere nequeat et sit necessario causae praeternaturali tribuendus, excluso interventu Dei vel angelorum et sanctorum qui in hisce rebus praesumi nequit, nonnisi daemoni adscribendus erit.

3° Quum ineptitudo et improportio mediorum non est certa, et probabile est effectum vires naturae non excedere, licebit iis uti, praemissa protestatione, velle se quodcumque cum daemone commercium excludere.

170. Plures a Nostris distinguuntur divinationis species: sc. 1ª *oraculum* ex idolis; 2ª *haruspicium* ex animalium visceribus; 3ª *necromantia* e mortui invocatione; 4ª *vaticinium* e consultatione vatum seu divinorum, et chartarum; 5ª *astrologia iudiciaria* ex astris; 6ª *augurium* et *auspicium* respe-

ctive ex garritu vel volatu avium; 7ª *geomantia* e signis in terra; 8ª *aeromantia, pyromantia, hydromantia* e signis respective in aere, in igne, in aqua; 9ª *omen* e fortuito eventu; 10ª *chiromantia, metoposcopia, physionomia* respective e lineis manus, e fronte, e vultu et ex habitu corporis; 11ª *oniromantia* e somniis; 12ª *sortilegium* e sortibus; 13ª *virga divinatoria* etc.

De quibus nonnulla:

a) Speciem 1am, 2am, 3am, 4am, includere *tacitam* daemonis invocationem, minime dubitandum; quoad 4am, excusantur a gravi vel ab omni peccato rudes vel qui, ioci et levitatis causa, ea utuntur.

b) Quoad 5am, ea, quae ex signis in astris vult praedicere futura contingentia libera vel res omnino fortuitas, superstitio, et quidem haereticalis, est; non item *astrologia naturalis*, quae effectus metereologicos coniicit e coeli statu et, si certitudinem ostentet maiorem quam oporteat, mendax erit vel imprudens, non vero superstitiosa.

c) Quoad 6am, 7am, 8am, si ea, quae coniiciuntur, non sunt a viribus naturae aliena, ut ex. gr. pluviae, serenitas, tempestates, terrae motus etc. neve eas praetergrediuntur, superstitio aberit.

d) Quoad 9am, videndum utrum cum fortuito eventu res, quae deducuntur, habeant naturalem connexionem; si non habent, omen erit superstitiosum.

e) Quoad 10am, non erunt superstitiones physionomia, chiromantia, metoposcopia, si ex habitu corporis, e conformatione manuum, oris, frontis, ex colore etc. aliquid velit deduci circa hominis temperamentum, inclinationes et ingenium, vitae brevitatem vel diuturnitatem, quae cum temperamento et constitutione organica relationem et connexionem aliquam habent; secus, illicitam continebunt divinationem.

f) Quod 11am, haec teneri possunt. Somnia, ut plurimum, a causa naturali excitantur, sc. ab affectionibus animi et corporis; ex iis igitur licebit coniicere quae causas eiusmodi respiciunt, ex. gr.

de indole, de studiis et inclinationibus, de valetudine etc. Ultra progredi nefas erit. Possent tamen excitari a causa spirituali, sc. vel a Deo vel a daemone; sperare potes, verum perraro, somnium a Deo fuisse si, praeterquam bona revelaverit, suaserit vel praedixerit eventum postea secutum et te quietum, non dubium, promptiorem ad bonum reliquerit — de quo tamen, non expedite, et nonnisi prudentibus viris consultis, iudicabis — ; secus, vel causae naturali vel daemoni illud tribuito, et sperne, si peccare nolis.

g) Species 12ª divinatio illicita est, si agatur de *sortibus divinatoriis*, quibus rei occultae cognitio exquiritur; *divisoriae* autem, quae ex pacto in rebus dividendis, ad lites cavendas, adhibentur, sunt licitae, ut patet, nisi iure humano prohibeantur; *consultoriae* quibus Deus consulitur ad occulta cognoscenda, sunt illicita Dei tentatio, nisi Eo inspirante fiant (ut in substitutione S. Mathiae Apost. in locum Iudae) vel nisi, in casu urgenti, deficientibus quibuslibet mediis ordinariis, adhibeantur, praemissa tamen humili oratione.

h) Quod 13ᵃᵐ, usus virgae divinatoriae uti superstitiosus erit regulariter habendus. Excipienda *rabdomantia* (sc. usus v. divinatoriae ad aquae venas, sub terra abditas, reperiendas), cuius effectus pure naturales videntur et a qua timorati et culti homines non abhorrent.

171. Divinatio *expressa* est peccatum *ex toto genere suo* grave, quia omne cum daemone commercium valde repugnat caritati Dei. *Tacita* item letalis est *ex toto genere suo*, sed a letali excusant regulariter ignorantia, simplicitas aut defectus fidei adhibitae. Sed *non* excusatur a gravi peccato qui mediis ineptis utitur, *sciens* ea inepta esse, licet animum non habeat daemonem invocandi, imo protestetur se nolle eius ope uti; actio enim eius, ut patet, est protestationi contraria eamque reddit inanem.

Divinatio expressa et tacita *specie non differunt*,

quia utraque in daemonolatriam late sumptam recidit; sed si expressae adiungatur daemonolatria stricte sumpta, tunc species haec nova in confessione aperienda est.

III. *De Vana Observantia.*

172. Vana observantia (quae eiusdem speciei est ac divinatio) definitur superstitio, qua quis utitur mediis improportionatis nec a Deo institutis ad aliquem effectum obtinendum. Haec item fieri potest cum expressa vel tacita daemonis invocatione.

Differt a divinatione, quia haec tendit ad occulta cognoscenda, vana autem observantia ad quoslibet effectus obtinendos. Divinationi propius accedit futurorum eventuum observantia; in eo tamen discrepat, quod *illa* sciendis occultis et futuris vacat, *haec* eatenus ad futura cognoscenda dirigitur, quatenus damno esse possunt, ut caveat.

173. *Vana observantia triplex* est: 1° *magia*, 2° *ars sanitatum et observantia futurorum eventuum*, 3° *ars notoria*. De singulis.

1° **Magia** *stricte sumpta* est ars efficiendi mira et insolita cum invocatione sive expressa sive tacita daemonis. Late sumpta, seu *artificialis, naturalis, alba* (vulgo *magia bianca*), qua mira fiunt virtute propria et per occultas causas naturales, licita est.

Ad magiam superstitiosam pertinet *maleficium*, quo sc. mira et insolita fiunt et diriguntur in alterius nocumentum. Et maleficium dicitur: *a*) *Veneficium* simpliciter, si per illud nocetur hominibus, brutis, rebus: cuius species est *fascinatio* (vulgo *malocchio*), seu virtus laedendi obtutu, sive *naturalis*, quum ex occulta et insita intuenti vi, sive *daemoniaca*, quum e daemonis ope fascinatio pendet. Hanc dari posse, indubium; illam, non una sententia est. *b*) *Philtrum*, seu *veneficium ama-*

torium, quum per illud excitatur odium vel turpis amor.

Si veneficio malum alicui fuerit applicitum, tollendum erit, iuxta adiuncta, medicamentis, precibus, exorcismis. Si haec non prosint, potestne recurri ad malefici operam? Et *a*) si agatur de signis maleficii dirimendis, utputa imaginibus, nexibus, ligaturis etc., patet et maleficum id licite posse, quia, ea removens, magis a daemone recedit, et proinde, in casu, eius operam posse quaeri et adhiberi; *b*) si certum est vel dubitetur maleficium auferri posse sine novo maleficio, maleficum advocare licebit, praemissa protestatione, nolle se novo maleficio antiquius dissolvi, etsi reapse id maleficus sua culpa praestet; *c*) si maleficium *certo* dirimi nequit sine altero maleficio, maleficus vocari non potest, quia id esset concurrere ad rem natura sua malam.

2° A) **Ars sanitatum** est vana observare ad valetudinem servandam, a morbo praecavendam, recuperandam: ex. gr. huius superstitionis rei sunt qui gestant ligaturas, invocant certa nomina ignota, adhibent certum orationum vel crucium numerum ad sananda vulnera, ad se invulnerabiles reddendos; item qui ad morbos arcendos vel curandos herbas quasdam tali die festo, tali diei hora colligunt etc...

B) **Observantia futurorum eventuum** est ex fortuito aliquo casu velle ominari aliquid calamitosi vel prosperi, ex. gr. ex eo quod mane, vix e somno excitatus, sternutaveris; si, domo egrediens, pedem dexterum vel sinistrum praemiseris, vel tibi egresso gibberosus aut gibberosa occurrerint etc.: huc spectant superstitiones, quae vetant ne convivae numero tredecim coenae intersint, ne iter arripiatur, ne ineantur nuptiae die martis aut veneris, neve hae locum habeant mensibus Maio vel Septembri, in quibus S. Crucis festa recoluntur etc. — Superstitio non est observare lunam aut tempora herbis colligendis, arboribus caedendis aptiora.

3° **Ars notoria** est superstitio, qua quis doctrinam velit adipisci certis precibus persolutis vel certo poculo hausto.

174. Habita semper ratione regularum quas praestituimus n. **169**, *regulariter* vana observantia cuiuscumque speciei est *grave* peccatum ; in arte sanitatum, observantia futurorum eventuum, et a. notoria, bona fides vel ignorantia facile a gravi excusabunt, praesertim rudes.

Maleficium *addit* magiae *malitiam* contra iustitiam et caritatem.

APPENDIX. **De Spiritismo et Hypnotismo.**

175. In hac breviore tractatione absurdum et supervacaneum foret cuncta persectari, quae de historia et evolutione tum spiritismi, tum magnetismi vel hypnotismi, deque permultis utriusque phaenomenis, dicenda occurrerent. Studiosus lector consulat opellam « *Lo spiritismo* » et gravissimum opus « *Medicina Pastoralis* » Doct. Sac. Iosephi Antonelli, quae iam pluries prodierunt ex off. libr. Pustet. Utiliter etiam consuli potest Summula Card. D'Ann., in qua nonnulla phaenomena graphice pinguntur. Pro iis, qui utroque Antonelliano opere interim careant, vel utrumque iamdudum perlegerint, pauca referimus.

176. Spiritismus denuo ortum duxit in urbe Hydesville, e Septemtr. Amer., apud familiam Fox, a. 1847, communicatione cum spiritibus habita per tabularum semoventium percussiones, et, incredibili celeritate propagatus, fere omnes regiones pervasit.

Quaedam evolutiones, progressu temporis, in re locum habuerunt. Spiritismus erit *typtologicus* vel *graphologicus*, prout responsiones habentur percussionibus vel scriptura ; *invadens* vel *videns*,

prout spiritus *medium* invadunt et per illud agunt, vel cernuntur a medio et ab adstantibus ; *materializatus seu reincarnationis,* quum spiritus non modo oculis videntur, sed tanguntur, audiuntur loqui, instrumenta sonant praesentia vel absentia, phaenomena physica producunt, eo quod spiritus, iuxta doctrinam spiriticam, denuo corpus sumere et vivere putentur. Eiusmodi phases vel seorsum vel simul contingunt.

Responsiones nunc plerumque a spiritibus dantur triplici modo: *a*) per percussionem ; *b*) per tabulam divinatoriam seu psychographicam, in qua, ad instar barometri aneroidis et horologii, index mobilis sistit in altera littera vel altera earum quae circum impressae sunt ; *c*) per scripturam directam.

Facta *certa*, quae e sessionibus spiriticis eruuntur, plura sunt : heic nonnulla. Et *a*) habentur responsiones, de quibus supra ; in scriptura directa, manus plerumque non videtur, et si scribens est *medium*, ipsum dirigitur vi occulta et exarat etiam ea, quae eius captum longe superant. *b*) *Medium* loquitur (etiam de rebus dissitis) qualibet lingua, sive veteri et demortua, sive recentiore ; interdum eius statura et corporis praestantia apparet maior vel minor ; si sedet, cum scamno ipso in aera levatur vel e fenestris, quae sponte aperiuntur, extra circumfertur. *c*) Calamus scribit in charta, sive extensa et aperta, sive pluries inflexa, sive alibi inclusa et custodita. *d*) In cubiculo, ubi coetus spiritici habentur, flammae multicolores huc illuc circumvolant ; interdum totum cubiculum magna luce vel continuo vel interiecto tempore perfunditur. *e*) Defunctorum, qui evocantur, vox, eadem iisdemque usa flexionibus et dicendi modis, quibus in vita ipsi utebantur, auditur et agnoscitur ab omnibus, quotquot cum iis consuetudine fuerant coniuncti ; et e parietibus, e pavimento, e lacunari reddita videtur. Responsionibus et colloquiis continentur bona et mala, vera et falsa, pura et obscena ; spiritus evocati, si quis interius vel exterius tantisper oret vel ad orandum moveatur, in

blasphema verba persaepe prorumpunt. *f*) Postremis hisce temporibus spiritus in forma humana apparent, vel eam lente coram adstantibus induunt, *ex materializatione*, quam vocant; et, uti homines, cuncta, vel diversissima, agunt, quinimo eorum imagines etiam photographice chartis impressae fuerunt. Quod peius est, e spirituum colloquiis deducta fuit velut doctrina quaedam, eademque in religionem exsurgit novam, omnino ab Ecclesiae doctrinis alienam et quibuslibet scatentem philosophicis erroribus.

Plures prodierunt sententiae ad explicanda spiritismi phaenomena; sed, iamnunc, ea esse spiritibus malis tribuenda, palam defendunt tum doctores catholici omnes, tum complures ex ipsis spiritismi fautoribus.

Haec, ut concludamus, tenenda:

I. Spiritismus divinationi et vanae observantiae accensendus est, et proinde gravi non vacat. Clarissimi D'Ann. et Génicot asserunt non esse grave peccatum, ex quadam animi levitate aut curiositate iocandique causa mensis manus apponere. Sed, ni fallor, isti mitiori sententiae adhaereri potest, si de iis agatur qui privatim, *primum*, gravitatem rei nihil aut vix suspicantes, velut inopinato, rei se immiscent; ab eadem vero sententia firmiter teneo esse recedendum, quum de iis agitur, qui adsunt *scienter* coetibus spiriticis, vel de *catena* agitur frequenter instituta etiam in domibus privatis.

II. Evocatio mortuorum, etiamsi praemittatur protestatio, nolle se diabolicum interventum, illicita est ex S. Script. (ex. gr. Deuter. XVIII, 10-12) et ex Resp. S. Off. adprobata a Leone XIII Kal. Apr. a. 1898. Eadem S. Officii Congr. d. 24 Aprilis 1917 respondit, non licere, per *medium*, uti vocant, vel sine *medio*, locutionibus aut manifestationibus spiritisticis quibuscumque assistere, etiam speciem honestatis vel pietatis praeseferentibus, sive interrogando animas aut spiritus, sive audiendo responsa, sive tantum adspiciendo, etiam

cum protestatione tacita vel expressa nullam cum malignis spiritibus partem se habere velle.

III. Libri, qui spiritismum docent et commendant, vetantur ipso iure ex CIC. can. 1399, 7°; et spiritistae et qui eiusmodi libros defendunt vel scienter legunt ac retinent, incidunt in excommunicationem R. P. speciali modo reservatam, quae haereticos et libros haereticorum defendentes vel scienter legentes ac retinentes tenet (cf. n. **610**, 2°).

177. Hypnotismus definitur a cl. Antonelli: « somnus vel status somno similis, in quo hypnotizati facultates spirituales sub actione et directione sunt hypnotizantis, cui obedit, per suggestionem oralem ».

Somnus hypnoticus pluribus modis inducitur; somno inducto, haberi possunt tres phases: status *letargicus*, status *catalepticus*, status *somnambolicus*. In hisce statibus varia occurrunt phaenomena: inter quae, absoluta relatio hypnotizati cum hypnotizante, cui credit et paret omnino, hallucinationes, illusiones, suggestiones, duplicitas personalitatis seu conscientiae (ex. gr. quum hypnotizato suggeritur, eum esse militem, medicum, artificem, senem, puerum etc., quorum actus, corporis motum, vocem perfecte ille imitatur) etc. et alia nonnulla mirabiliora, de quibus videsis probatos auctores.

Duplex sententia circa hypnotismi phaenomena orta est, pro qua acriter utrinque fuit dimicatum: alia asserens eiusmodi phaenomena naturae vires praetergredi et proinde diabolica esse; alia, contra, tenens ea neque praeter naturam neque diabolica dici posse.

Alii tutius distinguunt, et mediam ineunt viam, haec statuentes, et recte quidem:

I. Quae in hypnotismo (vel magnetismo animali, mesmerismo, braidismo), prouti ex eius evolutione constat, phaenomena locum habuerunt mirabiliora, a causa intelligenti mala oriri profecto tenendum est; plura alia dubitatur adhuc, utrum naturae

vires excedant vel, progressu temporis, possint a scientia magis evoluta naturaliter explicari; sed in iis, quae superius attulimus et de quibus constat ex experientia a medicis habita in nosocomiis, nihil occurrit quod capacitatem activitatum organicarum et spiritualium hominis excedat, eademque illicita esse affirmari nequit, uti sentiunt plures e medicis et scriptoribus catholicis et recentiores rei moralis doctores.

II. Sed quum in hypnotismo hypnotizatus plus minusve usu conscientiae et libertatis privetur, imo omnino subsit hypnotizantis voluntati, etiam perversae; insuper quum grave animae et corpori detrimentum oriri possit ex eo, quoties adhibeatur a viris imperitis et inhonestis; hypnotismus nequit licite in praxim deduci nisi his condicionibus: *a*) ut morbus nequeat *aliter omnino vel non tam bene* curari quam per hypnosim; *b*) ut hypnotizandus libere petat vel acceptet eam curationem, instaurandam coram aliquo recto homine, cui ipse plene confidat, et servata in omnibus morum honestate; *c*) ut non fiant nisi suggestiones honestae et ad morbum curandum necessariae vel utiles, curiositate depulsa, et medicus hypnotizans sit honestus et rei peritissimus.

III. Ut patet, in casu applicatur etiam principium — privationem rationis ad tempus non diuturnum et ex gravi causa non videri intrinsece malam. — Resolutiones S. O. 23 Iun. 1840, 28 Iul. 1847, 4 Aug. 1856; S. Poenit. 1 Iul. 1841; omnibus bene perpensis, nequeunt applicari hypnotismo, qui et quousque finibus iam statutis coerceatur; condemnant enim non usum, sed abusum magnetismi et respiciunt ea mirabiliora, de quibus paulo ante diximus.

Art. 2. De Irreligiositate.

178. Irreligiositas, quae religioni opponitur per defectum, est quaevis irreverentia Deo vel *immediate* irrogata, vel *mediate* sc. personis vel rebus, sanctis ac sacris.

Species irreligiositatis sunt *tentatio Dei, sacrilegium, simonia, blasphemia, periurium.* De hisce duobus postremis, ubi de 2° Decalogi Praecepto.

§ 1. *De Tentatione Dei.*

179. Tentatio Dei definitur dictum vel factum, quo quis vult inordinate experiri aliquam Dei perfectionem. Alia *formalis* seu *explicita,* alia *interpretativa* seu *implicita. Formalis,* seu explicita, habetur quum quis *ex infidelitate* vult experiri utrum Deus aliquam perfectionem possideat (ex. gr. dubitans de aliquo fidei articulo petit revelationem, vel dubitans de Dei omnipotentia petit miraculum), vel *ex praesumptione,* dubio relate ad fidem excluso, experitur utrum Deus aliquid velit necne (ex. gr. si quis e turri se deiiciat, experturus utrum Deus illum servare velit, quod Deum facere posse non dubitat). *Interpretativa,* seu implicita, habetur quum quis aliquid dicit vel agit, non ad explorandas Dei perfectiones, sed in iis et cum iis rerum adiunctis, e quibus, licet reapse non exsistat, ea intentio tamen appareat; ex. gr. si quis, absque iusta causa, media ordinaria neglegat, sibi a solo Deo aliquid extraordinarii pollicitus (ut si aeger remedia omnia proiiciat, a Deo volens mirabiliter sanari), vel in tale periculum se coniiciat, a quo, nisi per miraculum, aegre liberari possit (ut si quis, natandi inscius vel impos, velit in vastum flumen se proiicere, illud traiecturus).

Tentatio Dei *formalis gravis* est *ex toto genere suo* et, si *ex infidelitate,* haeresim continet; quae *ex praesumptione,* levis facile erit ob actus imperfectionem. T. D. *interpretativa* est *gravis ex genere*

suo non toto; ideo parvitatem materiae admittit et regulariter levis est, sed potest ei accedere nova species, gravis necne, ex aliorum praeceptorum laesione.

§ 2. *De Sacrilegio.*

180. Sacrilegium definitur « indigna tractatio rei sacrae, qua sacra est ». In hac definitione nomine *rei* veniunt et persona et locus: sacrum vero est quidquid ex lege divina vel ecclesiastica, non vero privata potestate, ad divinum cultum dicatur.

Sacrilegium dividitur in *personale, reale, locale,* prout indigne tractantur personae sacrae, res sacrae, loca sacra.

181. Sacrilegium personale fit:

a) *Iniiciendo violentas manus in clericum vel religiosam utriusque sexus personam* (etiam e Congregatione votorum simplicium adprobata), vel in novitios: quia favores sunt ampliandi.

b) *Luxuriosa violatione personae sacrae.* Et persona *sacra* est, quae *iuridice* fuerit Deo consecrata, non utcumque, sed in ordine ad castitatem servandam; proinde subdiaconi, et qui vota sive simplicia sive sollemnia emiserunt in religione adprobata, non qui extra religionem votum castitatis nuncupaverint. Ex communi, sacrilegium est peccatum mere internum contra castitatem personae sacrae.

c) *Subiiciendo personas ecclesiasticas foro civili.* Sed, in hoc, videndum quid in singulis locis liceat ex expressa aut tacita concessione R. P. vel quid ignorantia excuset.

Sacrilegium personale non est sacerdoti detrahere, cuius est sacra persona, non fama.

182. Sacrilegium reale fit, indigne tractando:

a) *Bona Ecclesiae.* Ex Nostris fit sacrilegium auferendo sacrum de sacro, non sacrum de sacro (et heic *non sacrum* intelligitur res, quae fuerit

loci sacri custodiae commissa vel ad eum pertineat), sacrum de non sacro. Utrum auferre non sacrum in sacro sit sacrilegium, alii affirmant, quia mala illa actio externa loco sacro repugnat, alii *verius* negant.

b) Bona Ecclesiastica, ea sc. quae ad ornatum Ecclesiae vel ad sacros ministros sustentandos donata sunt, sive immobilia, sive mobilia, ut quae, etsi remote, ad cultum Dei pertinent; non vero ea, quae clericus possidet nomine proprio, sive patrimonii, sive alio iure.

c) Sacrificium Missae, Sacramenta, Sacramentalia, imagines et reliquias Sanctorum, caerimonias sacras, S. Scripturae verba. Sacrificium Missae in mortali obire, gravissimum: Sacramenta in mortali ministrare, regulariter grave (v. suo loco); quoad cetera, letale regulariter deerit.

d) Vasa sacra et vestes sacras.

Circa vasa sacra, haec notanda: 1° ea clericum tantum tangere posse, et regulares laicos sacristas ex privilegio Sixti IV, moniales sacristas ex privilegiorum communicatione, laicos Ecclesiarum sacristas ex consuetudine (1); 2° calices et vasa, sacra unctione consecrata, antequam artifici tradantur reficienda, non esse exsecranda, ex decr. S. R. C. 20 Apr. 1822; et non posse ad profanos usus converti, nisi in massam argenti vel auri fuerint reducta; 3° cetera vero, quibus non benedicitur, ex. gr. tapetes, candelabra, posse ad quemlibet usum adhiberi.

Circa vestes sacras, illae, usquedum non immutentur totaliter, non possunt ad profanos usus converti (cf. can. 1296, 1305, 1306).

183. Sacrilegium locale fit:

A) *Per actiones externas, quae locum sacrum dedecent,* sint per se peccata necne; et hic locus sacer stricto sensu sumitur. Eiusmodi essent stabu-

(1) CIC. statuit, in genere, posse, praeter clericos, eos tantum qui eiusmodi rerum custodiam habent (can. 1306).

lationes equorum, humanae spurcitiae, mercaturae, iudicii strepitus, convivia, choreae, rixae, etc...

B) *Per violationem immunitatis.* Notanda: *a*) immunitatem localem pessumdari tum profana, et in primis iudicia saecularia, exercendo in loco sacro (CIC. can. 1178), tum ius asyli violando, cum sc. rei, qui eo confugerint, extrahuntur, nisi necessitas urgeat, sine assensu Ordinarii vel saltem rectoris Ecclesiae (can. 1179); *b*) heic locum sacrum, cum de favorabilibus agatur, latissimo sensu accipiendum. Et loci sacri nomine veniunt ex. gr. scalae ad templum, porticus, tectum, subterranea, turris campanaria, sacrarium, coemeteria etiam ab Ecclesia disiuncta, domus parochialis Ecclesiae adhaerens, domus canonicalis vel episcopalis, conventus religiosorum cum horto et adnexis, nosocomium ab Episcopo benedictum et sacellum continens.

C) *Per peccata, quae Ecclesiam polluunt* (1) [et heic *Ecclesia* strictissimo sensu sumitur, sed *coemeteria* complectitur, ita tamen, ut violata Ecclesia, non ideo coemeterium, etsi contiguum, violatum censeatur, et viceversa (CIC. can. 1172)], sc.:

a) *delicto homicidii vel suicidii* voluntarii, quamvis sine ulla sanguinis effusione perpetrato, utputa laqueo, veneno; *b*) *iniuriosa et gravi sanguinis effusione,* sc. ex vulnere in Ecclesia inflicto ab eo qui sui compos fuerit et extra casum iustae defensionis, modo effusio sit copiosa, licet sanguis non ultra vestes effluxerit; *c*) *impiis vel sordidis usibus, quibus Ecclesia addicta fuerit* [cf. supra ad A)]: inter quos etiam voluntaria effusio humani seminis; *d*) *sepultura infidelis, vel excommunicati post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam* qui aliqua poenitentiae signa ante mortem non dederit: non igitur catechumeni vel infantis e christianis parentibus nati et sine baptismo defuncti (can. 1172).

(1) Ut Ecclesia polluatur, ea debent esse *certa, notoria* et *in ipsa Ecclesia posita.*

Hic exsurgit quaestio: an omnia peccata luxuriae, in Ecclesia vel coemeterio admissa, sint sacrilegia. Distinguendum inter peccata interna et externa. 1° Peccata *mere interna,* cum non videantur afficere locum sacrum, *non* sunt sacrilegia. Est verum sacrilegium, ex communi, *desiderium internum peccandi externe in loco sacro,* sive desiderium istud intra loci sacri saepta, sive extra, conceptum fuerit. 2° Peccata *externa consummata* sunt certe sacrilegia, et *verius* etiam externa *imperfecta* ex. gr. tactus turpes, dummodo sint *notoria.* Copula coniugalis in loco sacro sacrilega est, excepto casu quod coniuges ibi essent inclusi (et praevideretur inclusionem diu esse duraturam), in incontinentiae periculo.

184. Sacrilegium *grave* est *ex genere suo;* quare datur materiae parvitas. Sacrilegium personale, s. reale, s. locale sunt specie distincta, item ac distinguuntur personae, res, loca; sed non habent species inferiores.

§ 3. *De Simonia.*

185. Simonia in genere et universim sumpta definiri potest contractus circa spiritualia aut spiritualibus adnexa aut temporalia, intuitu religionis a iure vel naturali et divino vel canonico prohibitus.

Simonia alia *iuris divini,* alia *iuris ecclesiastici. Simonia iuris divini* est studiosa voluntas emendi vel vendendi pro pretio temporali rem intrinsece spiritualem (ex. gr. Sacramenta, ecclesiasticam iurisdictionem, consecrationem, indulgentias) vel rem temporalem ita rei spirituali adnexam, ut aut res temporalis sine spirituali nullo modo esse possit (ex. gr. beneficium ecclesiast.) aut res spiritualis sit obiectum, etsi partiale, contractus (ex. gr. consecratio in calicis consecrati emptione, venditione). *Simonia iuris ecclesiastici* ea est quae consistit in dando res temporales spirituali adnexas pro tem-

poralibus spirituali adnexis vel spiritualeS pro spiritualibus vel temporales pro temporalibus, *quum* id ob periculum irreverentiae erga res spirituales ab Ecclesia prohibetur. — Cum de simonia agitur, emptio-venditio, permutatio etc. late accipiendae sunt pro qualibet conventione, licet ad effectum non deducta, etiam tacita, in qua scilicet animus simoniacus expresse non manifestetur, sed ex circumstantiis colligatur (CIC. can. 727, 728).

Simonia dicitur: *a*) *mentalis,* quum datur temporale alteri, intentione, exterius non expressa, illum obligandi ad reddendum spirituale, — vel e converso;

b) *conventionalis,* si pactum de dando temporali pro spirituali intercedit; et si pactum neutra pars fuerit exsecuta, dicitur *pure conventionalis,* si alterutra fuerit exsecuta, dicitur *conventionalis mixta:*

c) *realis,* si pactum intercesserit et fuerit utrinque exsecutioni demandatum.

In simonia iuris ecclesiastici, simonia sive conventionalis sive realis dicitur *confidentialis* quum is, qui beneficium alteri utcumque dat (etiam postulando vel praesentando), sibi aliquid reservat (intentione alteri manifestata vel pacto expresso) circa beneficii fructus vel beneficium ipsum. *Confidentialis* committi dicitur *per accessum,* quum aliquis beneficium confert ea condicione ut beneficium aliquando vel sibi vel alteri redeat; *per ingressum,* quum aliquis beneficium sibi collatum, sed nondum possessum, resignat alteri ea condicione ut illud ipse resignans ingrediatur si alter moriatur vel illud dimittat; *per regressum,* quum aliquis beneficium iam a se possessum alteri resignat, ea lege, ut alter idem beneficium dimittat tempore opportuno in favorem resignantis vel tertii cuiuslibet.

I. *De Simonia iuris divini.*

186. 1° Elementa constitutiva **simoniae iuris divini,** ex iis quae superiore n. diximus, sunt tria: res spirituales vel temporales spiritualibus adnexae ita ut sine his nequeant consistere (veluti merces), res temporales (veluti pretium), et permutatio vel venditio rei spiritualis pro temporali.

A) *Res spirituales* intelligimus res *sanctas,* sive *formaliter,* sc. sanctas in se, quales sunt gratiae gratis datae et, iuxta Suarez, reliquiae; sive *causaliter,* sc. quae ex instituto Christi vel Ecclesiae sanctitatem pariunt, ut gratia gratum faciens, Sacramenta, Sacramentalia, preces; sive *effective,* sc. quae sunt effectus et usus sacrae potestatis, idest omnis actus ordinis et iurisdictionis, ut consecrare Ecclesiam, calicem, exorcizare, absolvere, conferre beneficia, dispensare in votis etc.

B) *Res temporales* intelligimus sive pecunia aestimabiles, sive non, et tripliciter canonistae et Nostri eas distinguunt: sc. in *a*) *munus a manu,* quo nomine venit pecunia (et pecuniae voce comprehenditur quidquid in nostro patrimonio esse potest) et omne commodum vel incommodum pecunia aestimabile; *b*) *munus a lingua,* quo nomine venit favor seu quodvis officium alteri praestitum tum voce tum scriptis, sive directe ex. gr. intercedendo, defendendo, laudando, sive indirecte v. gr. aemulis illius detrahendo; *c*) *munus ab obsequio,* quo nomine venit officium quodcumque temporale alteri praestitum, utputa famulari, fungi munere a secretis etc. Ut patet, munus a lingua recidit in munus ab obsequio, sed, quia nobilius et magnos quoque viros non dedecet, ideo a canonistis separatim recensetur.

C) Ut simonia adsit iuris divini, necessario requiritur *a*) ut spirituale promittatur vel detur pro temporali, ultro citroque; hinc simonia non est dare alicui spirituale, ut ipse sibimet aliquid temporale praestet, vel e converso: ex. gr. dare re-

liquiam Sancti adolescentulo ut studio vacet, vel munusculum puero ut Missam devote audiat; *b*) ut *revera spirituale* detur *pro temporali,* vel e converso, sc. ut unum detur pro altero quasi eius pretium vel etiam tamquam gratuita compensatio. Simonia, contra, aberit, quando deest compensationis vel pretii conceptus et finis, sc. quum non datur spirituale pro temporali, vel e converso, sed ob gratitudinem vel alium legitimum finem. Hinc nec Episcopus vetatur conferre beneficium, grati animi ergo, ei qui munere a secretis functus est, nec presbyter a secretis esse Episcopi, fretus spe beneficii ex sola gratitudine ab eo conferendi. Nec est simonia taxam imponere vel solvere pro dispensatione ab impedimentis, a votis etc., quia taxa non imponitur vel solvitur tamquam dispensationis pretium vel compensatio, sed ad R. P. succurrendum ratione exspensarum, quae pro SS. Congregationibus vel pro aliis piis causis necessariae sunt.

2° Non adest simonia iuris divini, quum A) *datur et accipitur merces propter laborem,* sive *a*) *intrinsecum,* sc. qui ipsi actioni sacrae inest et ab ea inseparabilis est, ut Missam celebrare, triduanam supplicationem peragere (D'Ann., III, 104), sive *b*) *extrinsecum*, sc. qui e peculiaribus adiunctis temporis, loci, sollemnitatis accedat (ex. gr. Missam ante auroram, hora tarda, in Ecclesia remota, cum cantu celebrare), etsi sine ea mercede laborem quis non praestaret, vel mercedem *principaliter* intendat, dumne eam *pluris* quam spirituale *aestimet.* Et si merces dari et accipi potest licebit, remoto scandalo, de ea pacisci, et aestimare mercedem non ex rei spiritualis praestantia (quod simonia esset), sed ex laboris quantitate et interdum ex persona quae praestat laborem; ex. gr. licet tibi plus dare oratori summo quam minus apto, et illi licebit plus mercedis a te exigere. — (v) *redimitur iniusta vexatio circa spiritualia* (quae Bexatio est aliquid temporale), non spiritualibus (quod simonia esset), sed temporalibus. Iustam

vexationem (ex. gr. eius qui, te ad beneficium parochiale concurrente, velit indignitatem tuam manifestare etc., vel competitoris, qui tecum ad beneficium concurrat) redimere non licet, quia temporalibus viam tibi sternis directe ad rem spiritualem obtinendam, ad quam ius firmum non habes; ideo ius firmum, quod aliquid spirituale est, pretio emeres, et hoc simoniacum est aut proximum simoniae periculum continet. *Potest* vero *aliquis iniuste vexari: a) in legitima possessione,* ex. gr. si quis accusetur de falso crimine, ob quod cogeretur beneficium, quod possidet, amittere vel iura spiritualia, quae, possidet, non amplius exercere; *b) in acquisito iure in re* (cf. n. **260,** II), ut si quis in beneficio canonice institutus a bonorum eius possessione capienda iniuste prohibeatur; *c) in acquisito iure ad rem* (cf. n. **260,** II), ut si cui, rite ad beneficium praesentato, institutio canonica impediatur; *d) in iure spirituali acquirendo,* ut si quem impedias quominus ad paroch. beneficium concurrat, vel, eo idoneo cum aliis renuntiato, Episcopo suadere velis ut alium indignum, minus dignum, aeque dignum ei praeferat; vel idem praestes contra alium qui petat praesentari a Patrono vel nominari ad beneficium liberae collationis Episcopalis. Et in casibus *a*), *b*), *c*), poteris iniustam vexationem redimere ab iniuste vexante, non solum *qua obest,* sed et *qua prodesse* potest, sed quia hic simoniam contrahit, tibi non licebit ex caritate eam redimere, nisi aliter facere nequeas sine gravi incommodo. In casu *d*), distinguendum: si iniuste vexans sit idem qui ius illud potest concedere, ut Superior qui eligit, Patronus qui praesentat, non licet redimere vexationem quia « sic per pecuniam parares tibi viam ad rem spiritualem obtinendam »; si alius, qui nequit ius illud dare, poteris vexationem redimere, quia pretium offers pro re temporali.

3° *Malitia* simoniae iuris divini in eo est, quod res sanctas vilipendit, quasi pecunia aestimari possint, et *gravis* est *ex toto genere suo;* parvitas

materiae in ea exsistere nequit, non ex parte rei spiritualis, ut patet, nec ex parte rei temporalis, nam quo minoris spirituale venditur, emitur, eo vilius habetur. Et est sacrilegium pro utroque, dante et accipiente; ex parte vero dantis, alia *species* accedit, sc. *infidelitatis,* quia gratis ex divina lege spirituale dari oportet.

II. *De Simonia iuris ecclesiastici.*

187. Simonia iuris ecclesiastici (a iure canonico vetita, quia aut speciem aut periculum continet simoniae iuris divini) triplici modo committitur: 1° quocumque contractu oneroso de rebus temporalibus spirituali adnexis (1); 2° pactionibus, quae a iure reprobentur, circa beneficia et officia ecclesiastica; 3° exactione vel acceptatione munerum vel mercedis pro administratione rerum sacrarum (Sacramentorum etc.).

I. *Temporalia* spiritualibus *adnexa* dicuntur *antecedenter,* quum temporalibus spiritualia accedunt, ex. gr. calici consecratio, fundis iuspatronatus etc.; *consequenter*, quum spiritualibus temporalia accedunt, ex. gr. beneficio reditus, paroeciae ius decimandi etc.; *concomitanter*, quum temporale est spirituali intrinsecum, uti labor inseparabilis a sacris obeundis: de quo iam diximus superiore n. 186.

Cum praevaleat illud, cui aliud accedit, *a*) *temporalia adnexa spiritualibus antecedenter* possunt emi et vendi, nisi ideo pluris vendantur et emantur quod spirituale accedit, quo in casu haberetur s. iuris divini, et nisi ius vetet; vetat autem lex Ecclesiastica, ne ab Episcopis opobalsamum vendatur adhibitum chrismati conficiendo; sic calix consecratus, statuae, coronae benedictae possunt vendi, absque simonia, pro iusto pretio etc.; *b*) *tem-*

(1) Cf. tamen quae diximus in definienda simonia iuris divini et quae mox dicemus ubi de temporalibus spirituali rei *consequenter* adnexis.

poralia adnexa spiritualibus consequenter nequeunt vendi, emi absque simonia iuris divini (ex. gr. ius percipiendi reditus beneficii), sed possunt inter se permutari, nisi lex expresse vetet, ex. gr. ius sepulturae in certa Ecclesia cum iure sepulturae in alia Ecclesia (1).

II. Est simonia i. e. pactiones inire

A) *Circa beneficia,* et proinde adest:

a) quoties beneficium confertur impure (sc. aliqua condicione adiecta) vel resignatur in manu inferioris collatoris (ex. gr. patroni, loco Ordinarii, in cuius manu beneficia semper resignari debent);

b) permutando sua beneficia, sine Ordinarii licentia;

c) paciscendo de dandis alteri fructibus ex beneficio perceptis;

d) per reservationem accessus, ingressus et regressus.

B) *Circa officia ecclesiastica,* de quibus tamen inire pacta, si officia temporalia sint, ex. gr. aeditui, oeconomi, procuratoris, non erit simoniacum (D'Ann., III, 113), sed turpe et grave, nisi aliud sit consuetudine introductum.

III. Est simonia i. e. exigere, vel accipere munera vel pecuniam titulo *mercedis,* etiamsi sponte offerantur, in rerum sacrarum administratione, *a*) *quum lex prohibet,* ut in sacra ordinatione (exceptis mercede data notariis, si stipendio non gaudent, et cereo oblato), in dispensationibus concedendis (tamquam dispensationis pretium), in concursu ad parochias, in quo simoniam contrahunt examinatores qui accipiunt, et examinandi qui offerunt; *b*) *nisi consuetudo excuset,* qua ab Ordinario sive expresse sive tacite recognita, non erit simonia exigere, accipere, dare, sed turpe esset et grave Sacramenta negare, donec consuetum emolumentum solvatur.

(1) Immo ius sepulturae licite emitur, venditur: non enim e. v. sepultura ecclesiastica aut locus sacer, sed ius sepeliendi alium in eo loco, quod ius est pretio aestimabile.

IV. Simonia i. e. ideo mala est, quia ab Ecclesia vetita, ob simoniae i. d. speciem et periculum: proinde gravis est, sed admittit materiae parvitatem, et cessare potest sive per legem contrariam ab Ecclesia latam, sive per consuetudinem, sive per dispensationem R. Pontificis.

III. *De poenis in simoniam latis vel ferendis et de restitutione facienda.*

(CIC. 185, 729, 1446, 1465, 2371, 2392)

188. I. *Poenae* in simoniam *latae* vel *ferendae* hae sunt: *a*) Invaliditas ipso facto contractus simoniaci. *b*) Invaliditas collationis beneficii, officii, dignitatis ipso facto, licet simonia a tertia persona commissa fuerit, etiam inscio proviso, dummodo id non fiat in fraudem provisi vel eo contradicente. *c*) Invaliditas ipso facto praesentationis labe simoniaca infectae, in beneficiis i. patronatus, et ipsius institutionis forte subsecutae. *d*) Invaliditas ipso facto renuntiationis beneficii simoniace factae. *e*) Praescribi ipso iure nequit beneficium, si aliquo pacto simonia adfuerit, quod secus per pacificam possessionem in bona fide integri triennii praescriberetur. *f*) Omnes, etiam episcopali dignitate aucti, qui per simoniam scienter promoverint vel promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel receperint, sunt suspecti de haeresi: clerici praeterea suspensionem incurrunt Sedi Apostolicae reservatam. *g*) Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis, incurrunt in excomm. l. s. Sedi Apostolicae simpliciter reservatam, et ipso facto privati in perpetuum manent iure eligendi, praesentandi, nominandi, si quod habeant; praeterea, si clerici sint, debent suspendi.

II. *Quoad restitutionem rei spiritualis, ante quamlibet iudicis sententiam a*) beneficia, officia, dignitates, simoniace collata et obtenta, debent dimitti; *b*) aliae res spirituales debent restitui, modo eae

sint restitutionis capaces (non est ex. gr. Ecclesiae consecratio), neque obstet restitutioni reverentia rebus spiritualibus debita. *Restitutio pretii temporalis,* item facienda est *ante iudicis sententiam;* et *aa*) *si res spiritualis nondum tradita sit vel restitui nequeat,* facienda ei qui dedit; *bb*) *re spirituali tradita, in materia beneficiaria* Ecclesiae in qua beneficium situm est; *in aliis rebus*, ante iudicis sententiam ei qui dedit, post iudicis sententiam condemnatoriam ei (danti, Ecclesiae, pauperibus), quem iudex indicaverit.

Fructus beneficii simoniace provisus non facit suos, eosque Ecclesiae vel pauperibus restituere tenetur: at si eos bona fide perceperit, prudentiae iudicis vel Ordinarii permittitur fructus perceptos ex toto vel ex parte eidem condonare.

Tit. II. De Altero Decalogi Praecepto.

« Non assumes nomen Dei tui in vanum. » Exod. xx, 7.

189. Hoc praeceptum vetat quamlibet irreverentiam in Deum, patratam sive vana, indebita, contumeliosa nominis Dei invocatione, sive iuramentis vel votis illicitis, aut violatis.

Cap. I. De vana, indebita, contumeliosa Dei Nominis invocatione.

Art. 1. De vana Dei Nominis usurpatione.

190. Vana usurpatio Nominis Dei est omnis usurpatio Nominis Dei, vel I. Chr., vel B. M. V. et Sanctorum, facta sine iusta causa vel sine debita reverentia; ex. gr. quum ex impatientia, ex consuetudine, ex ira proferuntur verba haec et similia: mi Deus, mi Iesu, per Deum etc.

Haec vana assumptio Nominis Dei, B. V. et Sanctorum est *ex genere suo levis,* quia reverentiam debitam laedit, sed non graviter. *Per accidens* tamen gravis fieri potest, si ei coniungatur *a*) conscientia erronea; *b*) contemptus formalis Dei; *c*) ira gravis *in Deum,* sc. quum ira ad formalem Dei contemptum adsurgit vel in Deum fertur; sed si gravis ira dirigitur non contra Deum vel Sanctos, sed sive in homines, sive in bruta, leve non excedit.

Art. 2. De Adiuratione (*Scongiuro*).

191. A) **Adiuratio** definitur contestatio per Deum, Sanctos, rem sacram, facta ad inducendam naturam intellectualem (Deum, Angelos, Sanctos, homines, daemones), ut aliquid agat vel omittat. — Creaturae irrationales non directe, sed indirecte adiurantur, sc. adiurando Deum vel Sanctos, ut earum usus nobis prosit, ne noceat, vel daemones, ne per eas nobis inferant detrimentum.

Adiuratio *a*) alia *sollemnis*, alia *privata*, prout fit ab Ecclesiae ministris et ritibus determinatis, vel contra a privatis et absque caerimoniis ab Ecclesia inductis; *b*) alia *imperativa*, alia *deprecativa,* prout fit imperio vel precibus.

B) Licet adiurare *a*) si *verum* sit *quod petitur* et *vera causa* ob quam petitur; qua veritate deficiente, perraro grave peccatum aderit, quia Deus heic non invocatur ut testis rei falsae ex. gr. si fictus pauper per Deum petat eleemosynam; *b*) si *res bona petatur;* nam si graviter mala, letale erit; si leviter mala, regulariter leve, dumne Dei et Sanctorum opem ad rem leviter illicitam petas, quia hoc graviter Dei sanctitati repugnat; *c*) si adsit *causa adiurandi sufficiens;* si desit, ex defectu iudicii, leve erit.

Privata adiuratio in daemones, at modo imperativo, hostili, increpatorio, et unice ne noceant, omnibus licita est: sollemnis *exorcistis* tantum, et modo *imperativo*, remotis eis quae levitatem,

vanitatem, curiositatem redolent. Sed *hodie*, sub gravi, ne simplicibus quidem exorcistis licet, sed solum sacerdotibus et nonnisi e speciali et expressa Episcopi venia (cf. CIC. can. 1151 et h. l. ubi de Sacramentalibus).

Art. 3. De Blasphemia.

192. **Blasphemia** definitur locutio contumeliosa in Deum. Et 1° *locutio*, quo nomine veniunt et verba, et cogitationes, et facta (ex. gr. irato in Deum animo, in coelum exspuere; nonnulli vero tenent, factis eiusmodi non blasphemiam, sed potius aliam irreligiositatis speciem inesse); 2° *contumeliosa*, sc. quae contemptum et iniuriam contineat. Quod diiudicandum *a*) *ex verborum significatione,* vel propria, vel quae eis insit ex regionis vel loci consuetudine, ex qua fieri potest, ut a verbis, quae per se essent blasphema, blasphemia exsulet, et contra: ex. gr. mortuis maledicere blasphemia non est, quia fit in viventium contemptum et iniuriam; *b*) *ex modo:* si enim propositionem in se veram (ex. gr. vere Deus est iustus!) ironice protuleris, blasphemia non deerit; *c*) *ex adiunctis:* si enim locutionem blasphemam, fere inadvertenter coeptam, ex proposito dimidiaveris, vel nomen Sancti, in aliud detorquendo, corruperis, vel per reliqua propositionis verba sensum blasphemum elidas (ex. gr. « renego Deum... si hoc non feci » et reapse feceris), aut peccatum omnino deerit, aut grave non erit; 3° *in Deum*, vel in se, vel in Sanctis suis, vel in creaturis, in quibus aliqua Dei perfectio specialiter elucet, vel in creaturis, in relatione cum Deo consideratis, per additionem verbi *Dei*, ex. gr. coelum Dei, ignis Dei etc.

193. Blasphemia *a*) *ratione obiecti,* alia *immediata,* alia *mediata,* prout fertur in Deum vel in Sanctos; *b*) *ratione intentionis*, alia *directa*, alia *indirecta,* prout directe intenditur Dei inhonoratio, necne; alia *formalis,* alia *materialis,* prout pro-

fertur cum advertentia, vel sine advertentia et consensu; *c*) *ratione formae*, alia *simplex,* alia *haereticalis,* prouti verba simplicem dehonorationem, vel haeresim continent. Et utraque duplex: *simplex* dicitur *imprecatoria* vel *exsecratoria* si malum Deo imprecetur [ex. gr. malum habeat (*mannaggia*).....], secus *dehonestativa; haereticalis* vero erit vel *contra fidem*, si qui blasphemat errorem tenet, quem verbis exprimit; vel *contra fidei professionem,* si error mente absit.

194. Blasphemia est peccatum mortale *ex toto genere suo*, sc. parvitatem materiae non admittit. Sed fieri potest *levis*, ex defectu perfectae advertentiae vel voluntatis. Sed qui sciens et volens blasphemias protulerit, non excusatur a gravi eo quod non habuerit intentionem *directe* dehonorandi Deum (ut ex. gr. si quis blasphemaverit in desperationis impetu vel ad terrendos filios, debitorem, rixantem etc. vel *ex ioco*), quia ad blasphemiam perfectam ratione actus non requiritur expressa et explicita intentio Deum dehonorandi, sed tantum implicita; voluntarium enim indirectum ad peccatum sufficit.

Blasphemia *imprecatoria* seu *exsecratoria,* et blasphemia *haereticalis* sunt species a simplici dehonestativa diversae.

Quoad distinctionem numericam, si plura unico actu dicuntur (ex. gr. Deum esse iniustum, crudelem, improvidum), vel plures sancti simul impetuntur (ut si XII Apostolis, omnibus Sanctis maledixeris), probabiliter unicum peccatum admittitur.

Cap. II. **De Iuramento.**

195. Iuramentum definitur: *Invocatio divini Nominis ad fidem faciendam vel ad promissionem firmandam.* Iuramentum multipliciter dividitur. Et 1° *Ex parte materiae,* aliud *assertorium*, quo Deus invocatur ad confirmandam assertionis veritatem

aliud *promissorium*, quo Deus invocatur ad firmandam promissionem, sc. et ut testis intentionis praesentis et ut sponsor exsecutionis futurae: et *hoc* erit *late promissorium*, quum promissio nemini fit vel dirigitur: ex. gr. iuro, me nunquam in posterum ingressurum esse in cauponam; *stricte promissorium*, si *a*) adiungatur voto, quod Deo fiat vel simpliciter vel in favorem tertii, vel *b*) adiungatur promissioni homini factae. 2° *Ex parte formae*, *a*) aliud *sollemne*, aliud *simplex*, prout fit forma et sollemnitatibus a iure requisitis, vel sine iis; *b*) aliud *contestatorium*, aliud *exsecratorium*, prout Deus invocatur simpliciter ut testis, vel ut testis simul et vindex (exsecratorium videtur esse illud: «sic me Deus adiuvet et haec sancta Dei Evangelia», nam qui ita iurat, tum sibi bonum adprecatur verum dicenti, tum malum peieranti); *c*) aliud *verbale*, aliud *reale*, aliud *mixtum*, prouti fit vel solis verbis, vel solo facto ex. gr. tactu Evangeliorum, vel utroque; *d*) aliud *explicitum*, aliud *implicitum*, prouti Deus expresse et immediate invocatur, vel mediate per creaturas, in quibus attributa divina specialiter elucent (ex. gr. per aliquem sanctum, per Sacramenta, Evangelium, Crucem, fidem Dei, fidem Christi, per animam suam, per hanc vel illam *creaturam Dei* etc.) (1).

196. Moralitas in iuramento *ex religione* est, et haec unica iuramento assertorio inest; in promissorio aliae species accedere possunt, ut videbimus inferius.

Art. 1. De requisitis ad essentiam et validitatem iuramenti.

197. Ad essentiam et validitatem iuramenti in genere duo requiruntur: 1° *voluntas seu intentio iurandi*, quia est actus humanus; 2° *formula iuratoria*, sc. intentio exterius expressa, sive per actus (ex. gr. per Evangelii tactum), sive per verba; quando et actus et verba verum iuramentum con-

(1) Iusiurandum quod canones exigunt vel admittunt, per procuratorem praestari valide nequit (CIC. can. 1316, § 2).

tineant, ex lege vel ex consuetudine diiudicandum. Nonnulli putarunt iusiurandum fieri posse per actus mere internos, item ac votum et blasphemia; sed *verius* (D'Ann., II, 24) negandum, praesertim quum aliquis *alteri* iurat.

Quare iuramentum est invalidum, si fit sive cum formula iuratoria sine intentione et voluntate, sive cum voluntate et intentione sine formula iuratoria. Valet, contra, iuramentum factum cum formula iuratoria et animo iurandi et se obligandi, sed sine intentione illud implendi.

198. Iuramentum promissorium sequitur naturam actus, cui adiungitur; si actus sit nullus, invalidum erit etiam iuramentum. Qua de causa iuramentum promissorium *non valet* *a*) *si emittatur alterius dolo, vel ex proprio errore* (quod idem est), et error versetur *circa actus substantiam*, ex. gr. circa substantiam contractus; nam si error versatur circa accidentalia maioris momenti, iuramentum invalidum est *solum* in contractu gratuito et *quando* error contractui gratuito causam dedit, quia in eo, suapte natura, spontanea voluntas requiritur, *non vero* in contractibus onerosis, quia secus firmitati et securitati contractuum satis provisum non esset; *b*) *non valet*, si additum actui directe vergenti in damnum aliorum aut in praeiudicium boni publici vel salutis aeternae; *c*) *non valet*, si de re levi et otiosa, et, multo magis, si de re illicita; *d*) *valet* et servandum est, si excipias casum quo vergat in dispendium salutis aeternae, quum quis, eo libere praestito, renuntiat privato bono aut favori lege ipsi concesso; *e*) *valet*, etsi per vim aut metum gravem extortum, sed a Superiore ecclesiastico relaxari potest (CIC. can. 1317, 1318).

199. Iusiurandum stricte est interpretandum secundum ius et secundum intentionem iurantis, aut, si hic dolo agat, secundum intentionem illius cui iuratur (CIC. can. 1321).

Art. 2. De requisitis ad liceitatem iuramenti.

200. Iurare aliquis potest vel *ficte* (sc. cum formula iuratoria, sed sine animo iurandi), vel *vere* (sc. cum formula iuratoria et cum animo iurandi).

I. Si quis *formulam* iuratoriam *adhibeat, sine animo* tamen *iurandi*, iuramentum, praeterquam invalidum (cf. n. 197), erit et illicitum, et regulariter leviter illicitum; *graviter* vero *illicitum* erit iuramentum assertorium, cum formula iur. et sine animo iur. emissum, quum Superior legitime interrogat, et promissorium, quum e ficta promissione damnum grave, sive commune sive privatum, oriri potest.

II. Si quis *vere*, sc. *cum formula* iur. et *animo* iur. *iuret,* ad liceitatem tria requiruntur, iuxta illud Ierem. IV, 2: « Iurabis: Vivit Dominus, in veritate et in iudicio et in iustitia ». Et

1° *Veritas*, sc. assertionis cum mente conformitas.

In iuramento assertorio, grave est *ex toto genere suo* iurare sine veritate, quia Deus invocatur ut testis rei falsae. Hinc A) *non licet iurare* absolute *in dubio et probabilitate facti*, sed requiritur certitudo saltem subiectiva et moralis. Sed B) *licet iurare dubium et probabilitatem facti* (ex. gr. nequeo iurare tamquam certum quod est tantum dubium vel probabile, sed possum iurare me audivisse aliquid, sed nescire utrum sit certum, necne). C) *Non licet iurare cum restrictione interna* seu *pure mentali*. Restrictio mentalis est actus mentis verba ad aliud detorquentis quam ad id quod suapte natura significant. Dicitur *interna* seu *pure mentalis,* quum sensus a loquente intentus nec ex verbis nec ex modo loquendi nec ex adiunctis percipi potest ab audientibus, eaque est purum et verum mendacium; secus dicitur *externa* seu *late mentalis,* et licita est quum adest iusta causa veritatem occultandi vel nulla intercedit obligatio veritatem fatendi, quia in hoc casu deceptio pro-

ximi tantum permittitur. Igitur D) *licet iurare cum restrictione externa* seu *late mentali ex rationabili causa*, si hos casus excipias: *a*) quum proximus in gravem et noxium errorem incideret; *b*) quum aliquis legitime a Superiore interrogatur; *c*) quum quis ex officio et ex stipendio tenetur aliquam doctrinam docere; *d*) quum fraus incideret in contractum onerosum.

In iuramento promissorio grave est iurare sine veritate, sc. quum aliquis iurat cum animo iurandi sc. se obligandi, sed sine intentione iuramentum adimplendi, quia gravis iniuria Deo irrogatur exsecutionis sponsori.

2° *Iudicium*, sc. ut iuramentum fiat cum debita discretione, seu cum causa proportionata.

Iurare sine iudicio est *per se* veniale, quia est vana Dei nominis usurpatio. Sed qui habitum habet iurandi sine causa proportionata, peccare potest graviter, quia se exponit facile peierandi periculo.

3° *Iustitia*, sc. ut non sit mala et iniusta nec *assertio* (ex. gr. diffamatio, calumnia) in i. *assertorio*, nec *res promissa* in i. *promissorio*.

Iurare *sine iustitia: a*) *In i. assertorio, probabilius est leve*, tum si res asserta sit in se leviter mala tum si sit graviter mala, quia Deus invocatur ut testis rei, non tamquam malae, sed tamquam verae: excipiunt nonnulli casum, quo quis iuramento utatur tamquam medio et instrumento graviter peccandi: ex. gr. ad firmandam gravem detractionem. *b*) *In i. promissorio*, si res quae promittitur est graviter mala, duplex adest grave peccatum, sc. contra religionem et contra eam virtutem, quae, promissione ad exsecutionem deducta, laederetur. Si res promissa est leviter mala, aliis id leve videtur, aliis *probabilius* grave. Card. D'Ann., II^a, 26 (25): « Hoc mihi difficile est, nam si Deus datur ut testis, utrumque est leve; sin ut fideiussor, utrumque est grave ». Minimus ego, ni fallor, dicam — si res promissa sit leviter mala — *grave* peccatum adesse contra religionem, *leve* con-

tra eam virtutem, quae, promissione ad exsecutionem demandata, laederetur; *hoc* quidem *theorice*, *in praxi* enim, ratione inadvertentiae, etiam peccatum contra religionem erit plerumque leve.

Art. 3. De obligatione iuramenti promissorii.

201. 1) *Obligatio* in iuramento promissorio adest iuramentum ad exsecutionem demandandi, et quidem *ex sola religione* in iuramento late promissorio; in iuramento stricte promissorio duplex, *ex religione*, et *ex iustitia;* si vero agatur de voto iurato simpliciter, *duplex ex religione*, sc. alia ex voto, alia ex iuramento, et si de voto iurato in favorem tertii, item duplex ex religione, et tertia ex iustitia.

2) Iuramentum promissorium obligat sub gravi, si materia sit gravis; *probabilius* (ex S. Alph.) sub levi, si materia sit levis, quia natura obligationis ex religione parvitatem materiae admittit.

3) Obligatio iuramenti promissorii cessat *ab intrinseco* et *ab extrinseco*. A) *Ab intrinseco*, adstantibus contrariis condicionibus, quae in omni iuramento subintelliguntur, sc.: *a*) re notabiliter mutata, idest si ea facta sit illicita, vel impeditiva maioris boni, vel ad intentum inutilis aut noxia: *b*) re ita mutata, ut in hoc casu ab initio non iuravisses; *c*) cessante condicione, sub qua emissum est, vel causa finali (non motiva), ut ex. gr. si iuraveris te Titio pauperi eleemosynam facturum, et Titius factus sit dives; *d*) si, iuramento mutuae conventioni adiecto, alter non praestitit quod debuisset; *e*) si grave damnum ex iuramenti implemento tibi oriatur. *B*) *Ab extrinseco*, *a*) irritatione, commutatione, dispensatione, de quibus v. inferius ubi de voto; qui enim possunt irritare etc. vota, possunt item iuramenta, excepto casu iuramenti praestiti in favorem tertii qui illud remittere recusat, quo in casu *sola* Ap. Sedes dispensare potest ob necessitatem vel utilitatem Ecclesiae; *b*) relaxatione illius, in cuius favorem iuramentum emis-

sum fuit, quum in illius solius favorem praestitum fuit; non si et in illius favorem et in bonum commune, ut si ex. gr. iuraveris te oraturum pro clerico indigno, et hic, nondum correctus, ab obligatione velit te relaxare (CIC. can. 1319, 1320).

APPENDIX. De liceitate iuramenti politici vel civilis.

202. Iuramentum politicum seu civile intelligitur iuramentum obedientiae et fidelitatis, quod auctoritas politica a subditis e quibusdam coetibus exigere solet, ex. gr. ab officialibus et proceribus regni, a magistratibus, a militibus, a doctoribus disciplinarum in Universitatibus studiorum tradendarum etc.

I. **Quoad laicos:**

A) Si gubernium sit legitimum et *a*) sit in concordia cum Ecclesia, patet iuramentum licite praestari posse (etiamsi in eo statu vigeant leges nonnullae Dei et Ecclesiae iuribus contrariae) tum addita clausula « salvis Dei et Ecclesiae iuribus » tum ea omissa, si vel ex declaratione Principis (quam in Austria constat interfuisse) vel ex qualitate iurantis intelligitur iuramentum eo sensu emitti; si *b*) gubernium legitimum sit in conflictu cum Ecclesia, semper licebit iuramentum fidelitatis emittere (dummodo iuramenti formula nihil contineat contra Dei et Ecclesiae iura), sive addita consueta clausula, sive omissa, quum ex adiunctis vel ex iurantis qualitate ea subintelligitur adesse.

B) Tempore civilium perturbationum vel quum gubernium illegitimum vel dubie legitimum iam pacifice possidet, recurrendum est iudicio Ordinariorum vel Supremae Auctoritatis Ecclesiasticae (cf. resp. S. Poenitentiariae 10 Dec. 1860).

II. **Quoad Ecclesiasticos:**

Certum est eos non posse cogi ad praestandum iuramentum, quod eorum immunitati personali contradicit. Ii tamen iurabunt licite, si id sit consue-

tudine introductum, vel ex concordatis a Summo Pontifice permissum, vel ab Ecclesia in peculiaribus adiunctis toleratum.

Cap. III. De Voto.

203. Votum definitur promissio deliberata facta Deo de bono meliore.

Dicitur: *promissio*, ut distinguatur a proposito, quod, quamtumvis sit firmum, neque secum fert voluntatem se obligandi, neque culpam si violetur; *deliberata*, quae sc. requirit cognitionem, tum essentiae, tum obiecti promissionis, et verum voluntatis consensum; *facta Deo*, ad testificandam enim ei servitutem et gratitudinem dirigitur, ita ut votum sit actus latriae et, quum nuncupatur B. V. vel Sanctis, affectus colendi afficiat Deum simul et B. V. vel Sanctos, affectus promittendi unice Deum; *de bono meliore*, non prae quolibet *absolute*, sed *relative* ad contradictorium: si enim de bono meliore non fieret, Deo gratum non esset, ut quod impediret bonum praestantius.

204. Votum distinguitur: *a*) aliud *personale*, aliud *reale*, aliud *mixtum*, prout actio voventis vel res voventis vel utraque simul praestanda promittitur; *b*) aliud *temporaneum*, aliud *perpetuum; c*) a. *absolutum*, a. *condicionale* seu *hypotheticum; d*) a. *poenale*, a. *mixtum*, prout voveas poenam dumtaxat post peccatum subeundam, vel simul voveas et vitandum peccatum et poenam, eo admisso, sustinendam; *e*) a. *publicum*, a. *privatum*, si sc. nomine Ecclesiae a legitimo Superiore ecclesiastico acceptetur, vel non; *f*) a. *simplex*, a. *sollemne*, quae per se coram Deo non differunt. Sollemnitatis enim voti causa *efficiens* est Ecclesia, *formalis* (id sc., quod ex dispositione Ecclesiae inducit sollemnitatem) est ipsa Ecclesiae agnitio voti uti talis, cuius effectus iuridici sunt irritatio actuum voto oppositorum (ex. gr. matrimonii in v. sollemni castitatis)

et voventis inhabilitas perpetua ad illos ponendos, de lege ordinaria; nam, R. P. voluntate, simplicia possunt eosdem habere effectus ac sollemnia (ex. gr. simplex v. castitatis in Soc. Iesu irritat matrimonium), et sollemnia eosdem ac simplicia (ex. gr. v. sollemne paupertatis in Belgio quoad dominium religiosorum ex decr. Leonis XIII); *g) reservatum* vel *non reserv.*, prout eius dispensationem Sedes Apostolica sibi reservat vel non.

Art. 1. De requisitis ad voti validitatem et liceitatem.

205. Ad voti validitatem et liceitatem alia requiruntur ex parte voventis, alia ex parte rei votae, aliud ex parte Dei.

I. *Ex parte voventis* requiritur:

1° *Intentio* seu *voluntas* vovendi *a) vera*, quacum sc. coniungatur animus se obligandi. Si vovendi intentio adfuerit, sed non animus obligationem implendi, votum tenet, sed erit graviter vel leviter illicitum pro ratione materiae; si desit intentio vovendi, sc. agatur de verbis, votum erit fictum et invalidum. Quae fictio per se et regulariter levis erit, sed poterit fieri gravis ratione vel contemptus vel scandali vel gravis damni (ex. gr. in professione religiosa); *b) in se*, non in causa; quia voluntarium in causa sufficit ad imputabilitatem actus, non ad obligationem suscipiendam, quae sine vero et completo actu humano non intelligitur. Huiusmodi vero intentio cum animo se obligandi vera et *in se* sufficit ut sit *virtualis*, sc. actu aliquando habita et postea non retractata (ut ex. gr. novitii in professione), et *implicita* (ut ex. gr. in voluntate adscendendi ad subdiaconatum includitur intentio vovendi castitatem).

2° *Deliberatio*. Et alii tenent illam sufficere, quae ad mortale (cf. D'Annibale, III, 194), quia, ut ait Glossa: « qui potest se obligare diabolo, potest Deo »; alii *verius* deliberationem maiorem exigunt, ea ratione freti, quod ad mortale sufficit voluntа-

rium in causa et advertentia confusa, quae certo ad votum non sufficiunt. *In dubio a*) utrum votum an simplex propositum emiseris, voto non teneris, quia lex dubia, lex nulla, et quia gratis promissa, amare exigenda non sunt; *b*) utrum in voto emittendo sufficientem habueris deliberationem, si dubium sit negativum, standum pro valore actus: si dubium sit positivum, praevalet libertas.

Deliberationi ad votum requisitae obstat *error*. Si error fuerit *a*) *substantialis*, vel, *etsi accidentalis* (excepto casu sollemnis professionis), dederit tamen causam voto et sine eo non vovisses, votum erit irritum; *b*) *circa causam finalem motivam*, votum nullum erit (ex. gr. si voveris pro sanitate patris in longinquo positi et postea sciveris nunquam eum aegrotasse); si circa causam *finalem impulsivam*, tunc tantum votum erit irritum si error fuerit efficax, sc. quum sine eo non vovisses.

3° *Libertas*. Ex quo capite, votum erit *a*) *invalidum*, si emissum ex metu gravi, iniusto et directe incusso ad votum extorquendum; *b*) *validum*, si emissum ex metu gravi, non directe incusso ad extorquendum votum, orto a causa interna vel externa necessaria (ex. gr. ex periculo gehennae, vel vitae ob infirmitatem, terrae motum, naufragium), vel a causa externa libera et iusta (ex. gr. ex iusta poena a iudice infligenda), vel a causa externa libera et iniusta (ex. gr. ex periculo vitae in occursu latronum); *c*) *validum* iuxta plures dd., *invalidum* iuxta alios, si emissum ex metu levi directe incusso ad extorquendum votum (ex. gr. votum ingrediendi religionem a puella emissum ex importunitate parentum).

II. *Ex parte rei votae* requiritur ut haec:

1° Sit *moraliter possibilis;* quare ex. gr. si certo valet votum non peccandi mortaliter vel non admittendi venialia deliberata per totam vitam, certo irritum est votum non admittendi per totam vitam venialia semideliberata.

2° Sit *moraliter bona*. Ex quo capite, si res vota sit *a*) *inutilis vel indifferens*, votum erit invalidum,

quia Deus per actus inutiles et indifferentes non colitur; β) *graviter mala*, votum erit nullum et graviter illicitum; *leviter mala*, votum item invalidum et, ex probabili sed *non veriore* sententia, leviter illicitum; γ) *bona*, sed votum fiat *ex pravo fine*, distinguendum: si res ipsa vota dirigitur ut medium ad pravum finem (ex. gr. ieiunare ad litem iniustam vincendam, ad agendas Deo gratias quia inimicum occidisti), votum erit irritum et blasphemum; si vero pravus finis sit secundarius et non attingat rem, sed actionem qua res promittitur, votum erit validum (ut si ex. gr. necessitate publica motus templum aedificandi, illud voveas aedificandum, sed accedat secundario finis, ut vir generosus dicaris); δ) *bona*, sed *cum condicione mala*, votum erit validum, si *a*) illud vere intendas animi affectu quod est bonum in condicione mala (ex. gr. si voveris aliquid praestandum, ea condicione ne capiaris in furto vel ut incolumis e duello redeas, furtum et duellum sunt mala, sed bonum est in furto non deprehendi, in duello non vulnerari neque occidi); *b*) fiat ex malae condicionis detestatione (ex. gr. quum voveris aliquid faciendum, si pecces).

3° Sit *de bono meliore* prae suo opposito, et meliore sive *absolute*, sive *relative* ad condicionem voventis. Sic valet *votum nubendi* nuncupatum sive ab eo qui virginem, spe matrimonii proposita, defloravit, sive a principe hereditario, vel votum — quum aliquis vult matrimonio iungi — nubendi mulieri pauperi vel publicae ex motivo caritatis. Et valet *votum de re iam praecepta*, quia *a*) possumus ad aliquid agendum multiplici titulo obligari; *b*) si res est praecepta, eo ipso est certo bona, imo melior suo opposito; *c*) vinculum voti confert ad tutiorem praecepti exsecutionem.

III. *Ex parte Dei* requiritur acceptatio, quae semper adest, quoties votum sit debitis requisitis munitum (Deut. XXIII, 21).

Art. 2. De voti obligatione.

206. I. Qualis sit. Obligatio voti est ex religione, et pressius ex fidelitate erga Deum. Votum *per se* non inducit speciem (sufficeret *per se* confiteri: peccavi contra votum in re gravi etc.). Si votum sit de re libera, eius violatio secum fert unicum peccatum; duo peccata, si de re praecepta; tria si de re praecepta, quae insuper coniungatur cum consecratione (ex. gr. violatio voti sollemnis castitatis perfectae, vel voti simplicis castitatis perfectae in religione adprobata, quia in hisce casibus additur sacrilegium).

II. Quanta sit. Quantitas obligationis ex duplici *simul* capite desumenda est, sc. 1° *ex maiore vel minore materiae gravitate;* et materia est gravis quum notabiliter confert Dei gloriae, bono voventis spirituali, proximi utilitati, vel ea est, quae, si lege ecclesiastica praecipiatur, sub gravi obligat, ut Missa, ieiunium etc.; 2° *ex voventis intentione seu determinatione*, quae hac in re est praecipue consideranda. Proinde si quantitas obligationis a vovente *a*) *non determinatur*, violatio voti erit grave peccatum, si materia est per se gravis et vovens *putet* se obligasse sub gravi; leve erit, si materia est levis, vel in materia gravi vovens *putet* se obligasse sub levi; *b*) *determinatur*, in materia gravi, grave vel leve peccatum erit violatio voti, prout vovens voluerit se obligare sub gravi vel sub levi (at nunquam obligatio levis erit in voto castitatis sollemni Ordinis vel Religionis, quia vovens tenetur se Ecclesiae conformare); in materia per se levi, utcumque vovens voluit, leve erit votum violare, sed si materia per se levis fiat gravis ex adiunctis, vovens potêrit se obligare sub gravi. — Materiae *leves non coalescunt* in gravem, si voveantur seorsum, quin alia ad aliam ordinetur et referatur (ut si voveas *quotidie* aliquam preculam recitare); *coalescunt*, si voveantur per modum unius (ut si voveas aliquam precem recitare quin-

quagies, centies in mense); *in dubio* de voventis intentione, in voto personali praesumuntur non coalescere, coalescere vero in voto reali.

III. **Quosnam teneat.** *a*) Vota *privata personalia* ligant unice voventem; *realia* (ut quae rem afficiunt) et *mixta,* pro parte qua realia sunt, etiam voventis heredes, verum non vi voti, sed *ex iustitia,* item ac legata etc. — *b*) Vota *communitatis civilis,* sc. a magistratu civili, nomine populi emissa, Ordinario assentiente, praesentes et posteros tenent, non vi voti, sed ex obedientia; item vota a *Superiore religiosorum* emissa nomine communitatis. Sed votum communitatis servandi aliquod festum, ut obliget, assensu R. P. firmandum est, non Episcopi.

IV. **Quomodo adimplenda.** Vota persolvenda sunt:

1° Per satisfactionem *voluntariam,* saltem voluntate *interpretativa,* ut ex. gr. si voveas rosarium certo die recitare eoque die, immemor obligationis, recites. Sed si quis per actum positum nolit expresse voto satisfacere, non satisfacit, secus atque in lege implenda, quia sicut votum voluntate constat, ita *voluntate sustinetur implementum eius.*

2° *Personaliter,* si personalia; *de suo,* si realia. At votis realibus satisfacis, si alter de tuo satisfecerit et tu ratum habuisti, simul ac noveris; item si alter, a te rogatus vel sponte, te sciente tuoque assensu, de suo praestiterit, dumne agatur de praestanda re individua quae in tuo exclusive dominio est.

3° *a*) *Ad instar praecepti ecclesiastici;* ex. gr. si voveris ieiunare unum mensem, non teneris die dominico ieiunare, et si voveris ieiunare in pervigilio alicuius Sancti, cuius festum incidat in lunae diem, poteris sabbato ieiunare; *b*) *ex usu et receptis moribus,* quum lege ecclesiastica casus non continetur; ex. gr. si voveris recitare rosarium, satis erit ut dicas quinque decades, etiam seiunctas, et, si placet, cum socio.

4° *a*) *In quantitate integra et determinata.* Et si

integram et determinatam praestare non potes, aut materia est individua, et tunc votum cessat, aut est dividua, et tunc votum tenet pro ea parte quam praestare vales. Ex. gr. si voveris templum aedificare et nequeas, non teneris aediculam construere ; at si voveris dare 100 libellas pauperibus, et potes praestare 50 tantum, has erogare teneris. *b*) Si quantitas *non fuit determinata,* satisfacis dando quantum velis, dumne Deo illudas.

5° *Tempore determinato.* Aut tempus determinatum fuit, aut non. Si 1um, suo tempore satisfacere debes, et, tempore transacto, obligatio urget adhuc, nisi agatur de voto affixo diei ex. gr. de ieiunio servando in pervigilio alicuius Sancti. Si 2um, teneris satisfacere intra modicum tempus, quo primum poteris sine gravi incommodo. Dilatio gravis adesse censetur *probabiliter* tunc solum, quum ex voti dilatione et oblivio et impotentia exsurgere possunt.

6° *In casu voti disiunctivi* (quum sc. vovisti praestare, servata electionis libertate, unum de duobus vel pluribus), *a*) si, *electione facta* unius rei, haec perierit vel impossibilis evadat *sine tua culpa,* ad nihil teneris ; si *tua culpa,* alteram praestare debes; *b*) *electione nondum facta,* si *unum e duobus* sine tua culpa perierit vel impossibile evaserit, ad nihil teneris, quia deficit electionis libertas, qua reservata votum emisisti ; si tua culpa perierit vel impossibile factum sit, ad alterum teneris. Si vero perierit vel impossibile factum sit *unum e pluribus,* vel casu, vel tua culpa, inter reliqua seligere debebis quod praestes.

7° *In casu voti condicionati* obligatio fit perfecta, condicione impleta ; interea vovens ex religione tenetur non impedire dolo suo quominus condicio impleatur. Hac non impleta, votum cessat. Si implementum condicionis sit in potestate alterius, quem tu *prece* sollicites ut impediat condicionis eventum, nec peccas, nec voto obligaris ; si vero, ad impediendum condicionis eventum, *fraude* utaris, peccas contra religionem, at votum *probabiliter*

aeque cessat. Ex. gr. si voveris in religionem ingredi, ea lege ut pater consentiat, et patrem precibus et rationibus moveas ad dissentiendum, culpa vacas et voto non obligaris; si patrem fraude ad dissentiendum impellas, peccas, sed probabiliter non teneris religionem ingredi.

Art. 3. De voti cessatione.

207. Obligatio voti **cessat** *a) ab intrinseco* cessatione finis, vel condicionis sub qua emissum, vel temporis ad finiendam obligationem appositi; materia substantialiter immutata, vel facta inutili, illicita vel maius bonum impediente; ob impossibilitatem sive physicam sive moralem; de quibus expedita res est; *b) ab extrinseco* irritatione, dispensatione, commutatione.

§ 1. *De voti irritatione.*

208. Irritatio voti est eius annullatio vel suspensio ab eo facta, cuius potestati subest vel voventis voluntas vel voti materia. Irritatio est *directa,* si cadit in ipsam voventis voluntatem (*annullatio*); *indirecta,* si in voti materiam (*suspensio*).

Irritatio voti est *a) valida et licita,* si fiat ex rationabili causa; *b) valida,* sed *graviter illicita,* si fiat ex prava intentione vel cum gravi voventis detrimento; *c) valida,* sed *leviter illicita,* si fiat sine rationabili causa vel cum aliquo voventis detrimento. Subditus vero, qui petat irritationem sine iusta causa, peccat, sed *leviter tantum,* sive quia irritans utitur iure suo, sive quia votum subditi implicitam continet condicionem: *nisi Superior irritet.*

Quaerendum nunc est, utrum et quousque vota irritare possint Praelati regulares, parentes, vir et uxor, Romanus Pontifex, Ordinarius, herus.

I. *Praelati regulares* quoad religiosos sunt: *a)* R. P.; *b)* superiores locales et maiores; *c)* Or-

dinarii quoad moniales sibi subiectas, et eos, qui, in manibus eorum professi, sub eorum immediata dependentia vivunt; *d*) *probabilius* abbatissae et superiorissae quoad moniales vel religiosas votorum simplicium sibi subiectas.

Praelatis regularibus competit *irritatio directa* in vota religiosorum, qui professi sint, exceptis votis substantialibus ipsius religionis et voto ingrediendi religionem strictiorem; *indirecta* in vota novitiorum. *Ipso iure* suspenduntur vota ante religiosam professionem emissa, donec vovens in religione permanserit (CIC. can. 1315).

II. *Parentes* hic intelliguntur pater, et, in huius defectu, avus paternus, tutor, mater.

Parentibus competit, ob infirmum voventium consilium, *irritatio directa a*) in vota filiorum impuberum (pubertas adest iure pro maribus a. 14 exeunte, pro feminis a 12 e.); *b*) in vota filiorum puberum, ab iis ante pubertatem emissa et post pubertatem non confirmata; *c*) in vota, de quibus dubitatur utrum ante an post pubertatem nuncupata fuerint; *indirecta* in vota filiorum puberum quae patriae potestati obsint, exceptis votis realibus de bonis, quorum dominium ad filios puberes pertineat. — Mater potest irritare — directe vel indirecte iuxta superius exposita — vota filiorum praesente et non contradicente patre vel, in huius defectu, avo paterno, tutore; pater et, in huius defectu, avus, tutor, irritare possunt, etiam matre contradicente.

III. De *viri et uxoris* potestate vota irritandi non omnes dd. idem sentiunt. Alii enim concedunt viro potestatem irritandi *directe* omnia uxoris vota, constante matrimonio edita, etiam ea, quae implenda essent post solutum matrimonium, et *indirecte* uxoris vota ante matrimonium nuncupata; uxori, irritandi *directe* ea viri vota quae obsint debito coniugali et cohabitationi. Alii potestatem viri minus patere volunt, quod mihi magis probatur. Si quid opinor, vir neque directe neque indirecte potest ea uxoris vota irritare, quae nul-

lum afferunt detrimentum iuribus coniugalibus, prolis educationi, domesticae gubernationi, sive ante matrimoniun, sive constante matrimonio edita fuerint: et uxoris facultas vota viri irritandi debet extendi etiam ad ea, quae prolis educationi et domesticae gubernationi *verum* afferrent detrimentum, quia in his aequo prorsus iure vir et uxor censeri debent.

IV. *Romano Pontifici,* et *Ordinario* in suae iurisdictionis finibus, irritatio directa in fidelium vota non competit, sed *indirecta,* quoties id Ecclesiae et societati sit profuturum.

V. *Herus* ea famulorum vota, constante famulatu, *indirecte* potest irritare, quae domesticae gubernationi obsint.

§ 2. *De voti dispensatione.*

209. Dispensatio voti est absoluta eius condonatio nomine Dei a legitimo superiore facta.

Ut dispensatio sit valida et licita, requiritur iusta causa, mediocriter gravis (eoque gravior quo votum est excellentius); quia, cum votum Deo fiat, homo dispensat ut delegatus, et delegatus sine iusta causa valide dispensare nequit. Iustae causae sunt: *a*) bonum commune vel privatum; *b*) absentia sufficientis considerationis in voti nuncupatione; *c*) difficultas notabilis in voto servando.

In *dubio* an *causa* adsit, dispensari nequit; et invalida est dispensatio data *bona fide,* quum postea appareat causam defuisse. Sed dispensatio est licita et valida sive data in dubio an adsit causa *sufficiens,* sive data bona fide ab eo qui putet causam sufficientem adesse, quae revera non sufficiat. Ad tutius dispensandum, expedit aliquam commutationem adiungere.

210. Habent facultatem vota dispensandi quotquot in Ecclesia gaudent iurisdictione ordinaria in foro externo, et qui eam facultatem a iure vel ab homine habuerint delegatam.

Proinde in foro tum externo, tum interno :

I. *Romanus Pontifex* dispensat in omnibus votis. Imo sibi reservat, praeter ea quae sunt statui religioso essentialia, sive sollemnia, sive simplicia [quae tamen postrema, si temporaria (CIC. can. 648), per dimissionem religiosi ab Ordine ipso iure cessant], haec duo: castitatis perfectae ac perpetuae, ingrediendi religionem votorum sollemnium (CIC. can. 1309). Sed haec, ut sint reservata, oportet ut fuerint *perfecta,* sive *ex parte actus,* sc. certa, nuncupata sub gravi, absque metu etiam levi, et, ad deliberationem sufficientem quod attinet, emissa post completum duodevicesimum aetatis annum ; sive *ex parte affectus* ad rem promissam, sc. non condicionata, non disiunctiva, quorum altera pars non sit reservata, non poenalia ; sive *ex parte materiae,* ex quo titulo ex. gr. non est reservatum votum castitatis perpetuae ad actus externos tantum.

II. *Ordinarii loci* [cf. n. 48, nota (1)] quod attinet ad suos subditos atque etiam peregrinos, et *Superiores* (etiam *locales*) *religionis clericalis exemptae* quoad professos, novitios aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes, famulatus, educationis, hospitii, infirmae valetudinis gratia, dispensare possunt iusta de causa et modo dispensatio ne laedat ius aliis quaesitum, in omnibus votis *non reservatis.* Insuper *Ordinarii loci a*) dispensare possunt regulariter in duobus votis R. P. reservatis si *non* sint *perfecta,* et, si perfecta, in *circumstantiis* votorum *non reservatis* (ut si quis ex. gr. voverit ingredi religionem votorum sollemnium *statim*) ; — *b*) sed etiam in iisdem votis undequaque perfectis dispensant quoad substantiam, si necessitas sit urgens, periculum in mora et difficilis recursus ad R. P., sed *non amplius* quam necessitas postulet; ideoque, si dilationi sit locus, debent dilationem concedere in voto positivo ingrediendi religionem votorum sollemnium (in quo ceterum videtur difficulter dari posse periculum in mora etc.) ; in voto castitatis perfectae ac perpetuae, quod est negativum, debent

dispensare; — *c*) regulariter dispensare possunt in voto castitatis perfectae ac perpetuae, emisso sive ante sive post matrimonium, ad petendum debitum, quia periculum est in mora.

211. Quid possint ceteri, qui *delegatam* habent *facultatem*, ex concessionis verbis diiudicandum. *Ex privilegio* confessarii regulares ordinum mendicantium (et ex privilegiorum communicatione (1) regulares ceteri) dispensant *cum suis;* cum aliis omnibus eos dispensare posse, plurimorum sententia est. Et, item atque Episcopi, dispensant a voto castitatis perpetuae, sive ante sive post matrimonium emisso, ad petendum debitum.

212. R. P. potest dispensare in votis, quae sunt *in favorem tertii*. In iisdem, etiam Praelati inferiores, quoad suos subditos, si votum factum sit: *a*) principaliter in Dei honorem, secundario in tertii favorem, dispensare possunt, *si* tertius, etsi acceptavit, ad nihilum in voventis commodum se obligavit; *b*) principaliter in favorem tertii indeterminati, vel determinati qui nondum acceptavit, secundario in Dei honorem.

213. Qui facultatem dispensandi habent, ea ut possunt extra confessionem, cum dispensatio sit res fori externi, nisi in concessione adsit clausula, ut dispensatio detur in foro poenitentiae. Qui dispensare possunt a votis, dispensant etiam a iuramentis, quorum nullum est reservatum, et a votis iuratis, nisi agatur de votis Romano Pontifici reservatis quibus iuramentum accesserit.

§ 3. *De votorum commutatione.*

214. Commutatio voti est substitutio alicuius operis operi promisso. Fieri potest in bonum melius, aequale, minus, iuxta sequentes regulas:

(1) Cf. tamen CIC. can. 613.

A) Qui potest dispensare in votis, *a fortiori* potest ea commutare et, ut patet, non modo in melius, sed in aequale et in minus. B) Qui facultatem commutandi habet, valide commutat in melius, in aequale et in paulo minus, non item in notabiliter minus, quia dispensaret potius quam commutaret. C) Quivis propria auctoritate votum valide commutat in bonum melius vel evidenter aequale, remoto erroris periculo. D) Votum castitatis perfectae ac perpetuae, R. P. reservatum, a quolibet confessario, et ab ipso vovente, potest unice commutari in professionem religiosam. E) Commutatio licite fit in melius absque causa; in aequale ex iusta causa, etsi levi; in minus, ex graviori causa, sed non tanta, quanta ad dispensationem requiritur. F) Facta commutatione, *a*) licet redire ad primum opus, etsi minus bonum; *b*) quum alterum fit impossibile, si propria auctoritate commutasti, teneris redire ad primum opus; si alter commutavit, omnis obligatio cessat; *c*) si votum commutatum erat reservatum, materia subrogata non reservatur.

Nota. Eos qui dispensare possunt aliorum iuramenta et vota, vel commutare, posse secum ipsos, certi iuris est.

Tit. III. De Tertio Decalogi Praecepto.

« Memento ut diem sabbati sanctifices: non facies omne opus in eo. » Exod. xx, 8.

215. **Praeceptum dies festos sanctificandi,** qua iubet nos aliquod tempus dedicare divino cultui, *naturale* est; qua sabbatum sanctificare iubet, est *caerimoniale.* Ecclesia sabbato suffecit diem dominicum aliosque dies festos, simulque obligationem eos sanctificandi duplici gravi lege constare voluit: sc. altera, abstinendi ab operibus servilibus; altera, sacrum audiendi.

Cap. I. **Quinam sint dies festi observandi.**

216. Ex codice iuris canonici, can. 1243-1249, *praeter dies dominicos*, servandi sunt de praecepto dies festi *Nativitatis*, *Circumcisionis*, *Epiphaniae*, *Ascensionis* et *SS. Corporis Christi*; *Assumptionis* et *Immaculatae Conceptionis B. M. V.*; *S. Ioseph*, *SS. Petri et Pauli* et *Omnium Sanctorum* (1); eodemque edicitur: *a*) nihil inconsulta Apostolica Sede esse innovandum ubicumque aliquis ex *his* diebus festis fuit legitime abolitus vel translatus; *b*) praeceptum servandi festos dies SS. Patronorum cessare, sed Ordinarios posse sollemnitatem exteriorem transferre ad dominicam proxime sequentem; *c*) Ordinarios posse peculiares dies festos suis dioecesibus seu locis indicere, sed per modum tantum actus (2).

Cap. II. **De abstinentia ab operibus servilibus.**

217. **Opera servilia** dicuntur quae corporis viribus, ad corporis potissime utilitatem et a servis regulariter exercentur, ut ex. gr. arare, fodere, barbam tondere, nere etc. (*leviter servile* opus est texere tibialia); *liberalia* ea, quae animi viribus praecipue perficiuntur, ad animum erudiendum vel recreandum natura sua ordinantur et a liberis fieri solent, ex. gr. scribere, legere, docere, canere etc.: *communia*, quae inter servilia et liberalia medium tenent et viribus animi corporisque, in

(1) Haec dispositio can. 1247 vigere coepit a die 20 Aug. 1917.
(2) Praeter hos dies festos, si qui alii in aliqua natione, dioecesi vel loco ante d. 19 Maii 1918 erant de praecepto ex particulari lege, vel consuetudine etiam centenaria loci, vel speciali concessione S. Sedis, ipso facto ipsaque CIC. lege cessant de praecepto esse (Comm. Pont. CIC. interpretando, d. 17 Febr. 1918).

utriusque commodum, tum a liberis tum a servis exercentur, ex. gr. venari, piscari, pingere, delineare, pingere acu, photographiam exercere, sculpturae ultimam manum apponere, iter facere etc.; *forensia* (a foro sic dicta, quod est mercaturae vel litium exercendarum locus) sunt negotia civilia et iudicialia.

Hac in re principia generalia haec sunto: *a*) maior habenda est ratio consuetudinis et aestimationis hominum quam legis scriptae; *b*) consuetudines coercendae sunt ne eae latius serpant et festorum dierum observantia sensim pereat: quare quod alicubi ex consuetudine licitum est, imo quod a Nostris tolerari posse traditur, ubicumque non fuerit consuetudine introductum non erit facile concedendum, tum ratione scandali, tum ne consuetudo obrepat; *c*) natura operis semper perpendenda est, quaecumque agentis intentio rerumque adiuncta sint, quae operis naturam non immutant. Non ideo curandum est utrum opus servile fiat sine lucro, recreationis causa, ex pia intentione, sine defatigatione, ad breve tempus etc., quia opus semper servile est.

Quibus praemissis, haec statuenda:

I. *Non licet* diebus festis *opera servilia* facere: ex. gr. exercere artes manuales fabri ferrarii vel lignarii, aurifabri, sutoris, sartoris, barbitonsoris, funditoris metallorum etc., agros colere etc.

II. *Licet* diebus festis peragere *a*) *opera liberalia; b*) *opera communia,* quae *magnum laborem* et *apparatum* non requirant; *c*) *servilia,* quae sint *ad vitam et ad corporis domusque munditiem* necessaria, ut ex. gr. domum everrere, vestes extergere, lectum sternere, cibos parare et coquere, panem coquere, atque etiam frumentum molere, saltem ubi humanus labor sit modicus (in mola ex aqua et ventis) et consuetudo vigeat.

III. *Non licet* diebus festis *opera forensia* exercere, sive *iudicialia,* ex. gr. lites proxime praeparare, sententias exsequi pignoratione vel rerum pignoratarum sub hasta venditione (et haec *levia*),

causas litesque agere (et hoc *grave*, nisi grave damnum excuset); sive *civilia*, et vetitum *per se* esset *a*) contractus inire, *b*) nundinas singulares (*mercati*) vel universales (*fieri*) agere, *c*) merces emere et vendere. At primum et alterum nunc ex consuetudine licent; licet etiam tertium, ex more fere ubique recepto, quoad poculenta et esculenta, eaque omnia quae laboriosa pactione non egeant. Ceterum in his, ut diximus, plurimum valet consuetudo hominumque aestimatio.

218. *Quanta temporis diuturnitas* in labore exercendo *gravem* transgressionem constituat, alii aliud sentiunt; at grave esse, opera servilia peragere ultra tres horas, omnes dd. conveniunt. [Si herus, sine necessitate, plures famulos iubeat per horam — sive successive, sive eodem tempore — opus servile agere, ex communiore leviter (nisi forte ratione scandali) peccat, quia opera famulorum non uniuntur et herus nequit peccare gravius quam singuli, qui *ad summum* leviter peccarent (cf. n. 219, 3°, *a*).]

219. **Excusant a peccato** in *operibus servilibus* die festo peragendis:

1° *Consuetudo*. Ex hoc capite licet fere ubique metere segetes, legere uvas, decerpere fructus ut integriores serventur, tondere barbam aut capillos etc.

2° *Necessitas*, gravis vel non admodum gravis, sive privata (propria vel aliena), sive publica. A) Ratione necessitatis *privatae propriae* excusantur *a*) qui non habent unde vivant et alio pacto se suosque alere nequeant; *b*) matresfamilias pauperculae, qui vestes vel indusia sua suorumque (praesertim quae, die festo dimissa, sint postridie resumenda) reficiunt ac lavant etc. B) Ratione necessitatis *privatae alienae* excusantur *a*) fabri ferrarii, qui calceant equos itinerantium vel eorum qui iter acturi sint eodem die festo; qui reficiunt vomeres vel alia postridie necessaria; *b*) sartores,

qui, necessitate instante, opus non differendum complent, etsi illud differendo prius peccaverint etc. C) Ratione *necessitatis publicae* licebit *a*) mactare pecus in magnis urbibus; *b*) reficere pontem, aquaeductum, viam, qua frequens est transitus; *c*) parare quae, antea infecta, necessaria vel utilia sunt publicae laetitiae, ex. gr. instante die festo maioris momenti vel Principis adventu etc.

3° *Damnum*, sive *spirituale* (de quo expedita res est), sive *temporale*. Ex quo altero capite excusantur *a*) uxores et filii a viro vel patre coacti, dumne in religionis contemptum: item famuli ab hero coacti, si alium herum nec facile, nec cito, nec sine magno incommodo invenire possint; *b*) opifices, qui, nimiis operibus pressi, timeant iure ne a clientibus deserantur; *c*) qui foenum colligunt, si serio metuant ne pluat; *d*) qui machinis frumentum terunt sive suum sive alienum, et in genere quotquot opus coeptum prosequuntur quod nequeat interrumpi quin magnum lucrum cesset vel grave damnum emergat etc.

4° *Caritas* erga proximum, ex qua licebit *a*) praestare quod infirmis sit necessarium; *b*) opus peragere pro paupere quodam determinato, cui ex gravi necessitate laborare liceret; *c*) vestes conficere in pauperum usum (non item ad lucrandam pecuniam quae pauperibus distribuatur) etc. *In dubio*, tutius erit dispensationem petere.

5° *Pietas*, ex qua licebit ea obire, quae *proxime* ad Dei cultum sint *necessaria*.

6° *Dispensatio* Ordinarii loci vel etiam parochi, qui, in casibus singularibus iustaque de causa, possunt subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, extra territorium quoque, atque in suo territorio etiam peregrinos, a lege communi de observantia festorum dispensare (CIC can. 1245, 1°).

Cap. III. **De Missae auditione.**

220. Ratione praestandi Deo cultus, cuius praecipuus actus est sacrificium, *ex divino praecepto* tenemur *aliquoties in anno Missam audire;* proinde qui ex gravi causa sacro fere nunquam intersunt, debent vel diebus festis sollemnioribus vel ordinariis vel etiam diebus ferialibus, aliquando in anno, interesse sacro. *Ecclesia* vero praecipit *sub gravi Missae auditionem singulis diebus festis.*

Ad satisfaciendum huic praecepto requiritur *locus debitus*, *integritas*, *praesentia moralis*, *praesentia formalis*. Et

1° *Locus debitus*. Satisfieri potest praecepto in qualibet ecclesia; in oratoriis publicis, quae sc. adeundi, tempore saltem divinorum officiorum, ius sit, legitime comprobatum, omnibus fidelibus; in oratoriis semipublicis, erectis sc. in commodum alicuius communitatis vel coetus fidelium eo convenientium, aditu non omnibus libero (ex. gr. in coenobiis, monasteriis, collegiis, seminariis, domibus exercitiorum, nosocomiis, carceribus); in oratoriis priv. Cardinalium et Episcoporum etiam titularium, quae gaudent iisdem iur. ac privil. quibus semipublica; in privatis coemeteriorum aediculis. Quoad oratoria privata, inspiciendum est concessionis indultum (cf. CIC. can. 1188, 1189, 1249)

2° *Integritas*. Et A) *leve* est omittere libere et scienter partem Missae non notabilem, licet praecepto satisfiat. B) *Grave* censetur (unde obligatio manat denuo sacro adsistendi) omittere: *a*) omnia ab initio sacri usque ad offertorium inclusive; *b*) omnia usque ad evangelium inclusive *simul* cum iis quae sunt a communione ad finem sacri; *c*) consecrationem et communionem *simul*, etsi reliquis auditis; *d*) eam canonis partem, quae media est inter praefationem et consecrationem, vel inter consecrationem et Pater noster; insuper solam utramque consecrationem; quod valet, si quis li-

bere discedat, *non si* necessario abeat. C) Non satisfit praecepto, *audiendo simul* diversas partes diversarum Missarum; satisfit vero, *audiendo* eas *successive*, dummodo consecratio et communio sub utraque specie in una eademque Missa sint. D) Qui templum adierit statim ante consecrationem et nequeat aliam Missam audire, ex communiore sententia, tenetur pergere idem sacrum audire.

3° *Praesentia moralis.* Moraliter praesens censetur non modo qui celebrantem videt et audit, qui videt et intelligit quae celebrans agit (etsi a fenestra domus, via vel parva platea interiecta), sed etiam qui non videt, nec audit celebrantem, at ex adstantibus (qui ex. gr. surgunt, genua flectunt, se signant) intelligere potest quae celebrans agit, sive intra ecclesiam sit, sive extra, non ultra vicesimum passum, et etiam ultra vicesimum passum, quum in magna populi frequentia, cum adstantibus, quasi unum corpus, cohaeret.

4° *Praesentia formalis,* quae constat *intentione* (saltem audiendi Missam, etsi non satisfaciendi praecepto), et *attentione* saltem externa, sc. reverentia et aliqua attentione ad id quod celebrans agit. Ex alterutrius defectu, praecepto non satisfaciunt ebrius, caecus qui non animadvertat se sacro adesse, ille qui per totam Missam dormit vel aliud ita agit ut nihil animadvertat. At contra satisfaciunt qui somno vexati, non eo tamen impediuntur quin aliquid animadvertant; qui confessionem excipiunt vel peragunt intra ecclesiam, aut in continenti sacrario, si aliquo modo percipiant quae ad altare fiunt; qui organa pulsant; qui pium librum legunt etc.

221. **Excusant** *ab obligatione sacrum audiendi: a) impossibilitas physica et moralis,* ex. gr. eius qui gregem custodit et non habet qui eum sufficiat; — *b) damnum mediocriter grave,* sive *corporis* (ex. gr. infirmitas mediocriter gravis, vel levis, quae ne gravescat timetur; status convalescentiae, si metuas ne ea longior evadat); sive *aestimationis,*

ex. gr. si puella ex copula illicita ventrem gerat, si mulier honesto genere orta careat veste decenti; sive *rerum*, ex. gr. si domi maneas ob probabilis furti metum, vel si, ecclesiam adeundo, notabile lucrum amittas; — *incommodum mediocriter grave*, ex. gr. si ab ecclesia distes *regulariter* iter unius horae et amplius, vel etiam minus si abstinendum tibi esse suadeant locorum, personarum, temporis, aeris adiuncta: *non* enim *item* iudicandum est, quum de pueris senibusve agitur, de locis inviis, de diebus pluvialibus, de hiemis frigore deque aestatis caloribus, *ac* de ordinaria rerum hominumve condicione; — *d*) *caritas:* ex quo capite excusantur qui infirmis adsistunt, etsi possunt abesse, quum id infirmi aegre ferunt; matresfamilias, qui domum, filiarum pudicitiam, infantes custodiunt, nisi sibi aliquem sufficere possint etc.; — *e*) *consuetudo,* ex qua excusant causae (cf. n. 219), quae a requie diei festi servanda eximunt; praeterea excusantur, *ubi unica Missa est*, puellae quarum matrimonium proclamatur; mulieres vel proxime pariturae vel paulo ante enixae; quotquot lugent consanguineos primi gradus, — vel ulterioris gradus secum commorantes, — vel consortem; dumne interim domo excedant, neve domi maneant diutius quam consuetudo ferat; — *f*) *dispensatio*, iuxta ea quae diximus n, 219, 6°.

Tit. IV. De Quarto Decalogi Praecepto.

« Honora patrem tuum et matrem tuam. » Exod. xx, 12.

222. Hoc praeceptum *primario et explicite* versatur circa obligationes filiorum erga parentes: *secundario et implicite* circa obligationes parentum erga filios et mutuas inter inferiores et superiores.

Cap. I. De obligationibus filiorum et parentum.

Art. 1. De officiis filiorum erga parentes.

223. In verbis huius praecepti officia filiorum veniunt nomine *honoris*, in quo tamen comprehenditur triplex officium: *amor*, *reverentia*, *obedientia*. Peccata contra hoc praeceptum in genere *caritatem*, in specie *pietatem* laedunt, et una est malitia seu species; sed quum fit contra parentes id, quod, contra extraneos actum, laederet aliam a caritate virtutem, huius laesio tamquam nova species superadditur laesioni pietatis.

Filii igitur debent parentibus:

I. *Amorem*, et perpetuo; qui *positive* exigit affectum internum et, per accidens, externam opem, si quando ea parentes indigeant; *negative*, vetat ne malum eis velimus.

Ex hoc capite peccant filii et graviter *a*) odium internum foventes, mala ex animo imprecantes vel inferentes; *b*) iis graviter indigentibus in re spirituali vel temporali auxilium denegantes: et *inde*, quum iis exitiali morbo laborantibus vel defunctis non curant sacramenta conferri, aliquod sacrificium expiandis offerri; *hinc*, quum eos egentes non alunt.

II. *Reverentiam*, et semper: quae praecipit positivam honoris et subiectionis manifestationem, et vetat sive internum sive externum contemptum.

Ex hoc capite filii peccant graviter *a*) iniusto contemptu gravi, etiam interno; *b*) percutientes etiam leviter, vel percussionem minitantes, manumque attollentes velut ad percutiendum; *c*) contumeliosis verbis eos praesentes appellantes vel irridentes vel iisdem oretenus imprecantes: quae tamen si, parentibus absentibus, faciant, leve erit (ex S. Alph.); *d*) ad longum tempus aspicientes torvis oculis et alloquentes eos aspere, superbe.

III. *Obedientiam*, donec sub paterna potestate maneant, in iis quae respiciunt domesticam gubernationem et bonos sui ipsius mores.

Ex hoc capite peccant filii graviter si obedientiam detrectent parentibus serio et in re gravi praecipientibus, excepta status electione, in qua tamen eorum consilia audire tenentur et, nonnisi iis irrationabiliter invitis, licite statum eligent contra eorum voluntatem.

Art. 2. **De officiis parentum erga filios.**

224. Parentes filiis debent *amorem* et *curam externam* sive spiritualem sive temporalem.

Et 1° *Amorem*, sive internum sive externe manifestatum.

Ex hoc capite parentes possunt peccare graviter *a*) *per defectum,* quum filios odio prosequuntur, gravia iis ex animo imprecantur (qui animus plerumque ab imprecationibus eiusmodi abest, licet scandalum raro desit), vel eos diffamant serio et in re gravi (contumeliae vero erunt plerumque leve peccatum); *b*) *per excessum*, aliquem filium prae ceteris diligentes, quod grave esse potest in se, et ob dissidia et odia quae inde consequuntur.

2° *Curam externam*, et

A) *In spiritualibus*. Vitam spiritualem tenentur parentes filiis procurare per baptismum, provehere per piam educationem et bonum exemplum, servare per vigilantiam et correctionem; curare rectam eorum institutionem per magistros religiosos, probos, idoneos.

Ex quo capite peccant parentes plus minusve graviter si *a*) ex sua incuria filii sine baptismo decedant; *b*) filiis sint scandalo, tum per vitam suam irreligiosam vel a bonis moribus alienam, tum blasphemiis, turpiloquio, imprecationibus; *c*) filios a malorum convictu non prohibeant neve deterreant; *d*) eos non invigilent neve corrigant moderate aut severius pro mala eorum inclinatione vel culpa; *e*) filias facile corrumpi sinant vel oc-

casionibus exponant vel famulatui addicant sine iusta causa et cum honestatis periculo.

B) *In corporalibus*, sc. filiorum necessitatibus temporalibus tenentur consulere, donec ipsi sibi consulere queant. Et si quando filii, etiamsi extra paternam potestatem positi, etiamsi uxorati, indigeant, parentes adhuc tenentur eos pro viribus adiuvare.

Ex hoc capite plus minusve graviter parentes peccant *a*) si filiorum vitae, inde ab eorum conceptione, non apte consulant vel eam periculo exponant, mater excessibus vel saltationibus, pater uxorem indigne tractando, verberando etc.; *b*) si prolem abiiciant, et illegitimam (si fama id exigat) non eo in loco collocent, ubi satis vitae eius et educationi consulatur; *c*) si mater, citra iustam causam, filium suo lacte non enutriat vel saltem nutrici non tradat optimae notae et valetudinis; *d*) si neglegant filios ad aliquam disciplinam vel artem excoli, unde vivere et ali possint; *e*) si bona sua dilapident, cum filiorum iactura; convenientem filiae dotem *iniuste* denegent; hereditatem inter filios *iniuste* distribuant

Cap. II. De obligationibus inferiorum et superiorum.

225. Omnia persequi, quae de hoc argumento apte dicerentur, infinita res esset; ceterum plura passim in tota tractatiuncula, plura latius, ubi de statibus particularibus, traduntur. Hic tantum nonnulla notabimus de *una* ex civium obligationibus.

I. Cum in regimine constitutionali civibus ius competat eligendi sive eos qui communitatem vel provinciam administrent sive populi procuratores et legumlatores (*deputati*), iuri officium respondet, et *in genere* obligatio cuique est eligendi eos qui rem publicam gerere et administrare recte sciant velint et leges arceant Ecclesiae vel bono publico infensas. At possunt dari casus, in quibus vel ex

supremae auctoritatis ecclesiasticae dispositione vel ex rerum adiunctis non liceat neve expediat ad electionem concurrere.

II. Licet eligere administratorem, deputatum minus malum in concursu peioris, mentem suam declarando, quia cooperatio ista necessaria est ad maiora mala vitanda.

III. Deputatus nequit suffragium ferre pro adprobatione legis intrinsece malae; at, pro rerum adiunctis, poterit votum ferre pro lege minus bona, ut peior removeatur.

Tit. V. De Quinto Decalogi Praecepto.

« Non occides. » **Exod. xx, 13.**

226. **Quintum decalogi praeceptum,** qua *negativum*, prohibet *primario* occisionem sive sui sive proximi, *secundario* omnem mutilationem, laesionem etc.; qua *positivum*, praecipit conservationem vitae.

Homicidium definitur violenta et iniusta hominis exanimatio facta ab alio homime.

Homicidium *a*) aliud *casuale*, aliud *voluntarium*. H. *voluntarium* dicitur *directum*, quum mors intenditur *in se* sive per positionem sive per omissionem actus, et directum haberi potest *in intentione* tantum, quum mors intenditur per actionem vel omissionem, quae sua natura non est directe occisiva; *in actione* tantum, seu in opere, quum, sine intentione occidendi directa, ponitur actio occisiva; *in utraque*, quum mors intenditur in se et ponitur actio directe occisiva. H. *voluntarium* dicitur *indirectum*, sc. in causa, quum ponitur vel omittitur actio, ex cuius positione vel omissione mors secutura praevidetur; ut vero homicidium indirectum sit imputabile, eae requiruntur condiciones, quas de imputabilitate voluntarii in causa tradidimus (cf. n. 5, 6°); — *b*) aliud *simplex*, aliud

qualificatum, quod sc. speciem addit, et hoc subdividitur in *parricidium*, quod est occisio Principis vel consanguineorum; *sacrilegium*, quod est caedes personae sacrae, vel non sacrae in loco sacro; *latrocinium*, quod est occisio alicuius ad eum spoliandum; *veneficium magicum*, quod est interemptio alicuius per venenum ex superstitione facta. Reliquae h. qualificati subdivisiones constituunt circumstantiam aggravantem, sed non mutant speciem.

Cap. I. De occisione et mutilatione sui, et de praecepto suae vitae conservandae.

227. I. Occisio sui (**suicidium**) *directa* nunquam licet, nisi Deus ipse, dominus vitae, eam praecipiat. Occisio sui *indirecta* A) erit *licita* his condicionibus, sc. *a*) si actio sit per se indifferens aut bona, ut ex. gr. inservire morbo asiatico correptis; *b*) si non intendatur mors ipsa, et adsit iusta causa actionem ponendi, ex. gr. bonum sui vel proximi; *c*) si e duobus effectibus bonus sit prior vel ambo aeque immediate coniungantur cum causa, ut levamen infirmi et mors propria; B) erit *debita* pro iis, qui ex iustitia commutativa tenentur se mortis periculo exponere, ut ex. gr. pro parochis et medicis tempore pestis, pro ducibus tempore belli; C) est *illicita* in quibuslibet aliis casibus vel sine praedictis condicionibus.

Poena in suicidium directum, morte secuta, est privatio ecclesiasticae sepulturae, quae vero eos tantum tenet quos constet sui plane compotes fuisse. In dubio, consulendus, si tempus sinat, Ordinarius: secus, permanente dubio, concedenda est sepultura eccl., remoto tamen scandalo (cf. CIC. can. 1240, 1241, 2350). Si mors non sit secuta, poenas ferendae sententiae habet can. 2350, et praeterea suicida fit irregularis (cf. n. 629).

II. **Mutilatio** sui ipsius, vel per se vel per alium facienda, non licet nisi necessaria sit ad totius corporis conservationem. Igitur nec licet se mutilare

a) ad vitandas incontinentiae tentationes, quae ita non impediuntur, dum finis potest per alia media opportuniora obtineri, neque *b*) ad bonum temporale consequendum ex. gr. ad militiam fugiendam, ad suavius canendum. Et qui ut probabilem defendunt sententiam, pueros posse mutilari ad suavius canendum, etsi praesupposita condicione ut periculum vitae absit et pueri non sint inviti, non sunt audiendi. Ceterum quanti est, in re tam gravi, *pueri* consensus? Cf. quoad poenas CIC. can. 2354: mutilans se vel alios fit praeterea irregularis (v. n. 629).

III. *Tenemur* **vitam conservare** mediis ordinariis; sc. ad vitam conservandam, nisi bonum publicum id exigat, uti *non* tenemur *a*) remediis extraordinariis et gravissimum dolorem afferentibus, quia non id praecipitur quod communes praetergreditur vires, *neque b*) remediis ordinariis, quae *relative* gravissima evadunt: sic ex. gr. virgo non tenetur, ad vitam servandam, operationem chirurgicam oppetere, quae ob verecundiam ei molestissima fiat, nec cogitur, ad vitandam mortem, sui violationem pati (quod tamen poterit, se passive habens, modo absit periculum consensus); imo poterit, ob virginitatis amorem, etsi proximum absit consensus periculum, se morti exponere, non modo probabiliter sed certo secuturae [cf. superius I, A)].

IV. Licet mortem sibi optare, ex honesto et gravi fine, quia mortem a Deo exspectare non est laesio iuris divini.

Cap. II. De occisione proximi.

Art. 1. De occisione rei.

228. A) Licet *publica auctoritate* reum interficere, servato iuris ordine (saltem nisi crimen sit notorium et periculum sit in mora) et salva caritate erga eius animam. *Non* licet reum occidere *privata auctoritate;* at id licebit privatis, si reus iure

vel ex peculiari auctoritatis publicae dispositione ut *banditus* (vulgato nomine) consideretur (ex. gr. si praemium capientibus vel occidentibus eum constituatur a gubernio), modo fiat remoto odio et non extra dicionem. B) Non licet occidere *tyrannum regiminis* sc. legitimum principem tyrannice regentem, neque *tyrannum usurpationis,* pacifice possidentem, ratione publici boni; hunc tamen, nondum pacifice possidentem sc. in actu usurpationis, licebit interficere hisce condicionibus, sc. legitimi principis iussu, in actu belli, ex iusta defensione.

Art. 2. De occisione iniusti aggressoris.

229. Licet se defendere, etiam mortem inferendo; sed *defensio* debet esse *iusta:*

A) *Quoad causam.* Et haec iusta erit si sit *a)* iactura vitae, membrorum, libertatis, pudicitiae; *b)* laesio honoris, non per verba sed per facta, et in actu laesionis, non post laesionem: non autem licet occidere diffamatorem, sive agatur de diffamatione illata, sive de inferenda; *c)* iactura bonorum in notabili quantitate; sed si fur auferat etiam rem minoris momenti, domino resistente, hic, non ratione iniuriae vel damni, sed vis illatae, poterit vim vi repellere et furem, servatis servandis, etiam occidere.

B) *Quoad aggressorem;* ex quo malum debet *imminere,* et *iniuste* (sc. contra ius tuum) *imminere.* Proinde, hac duplici concurrente condicione, licebit occidere ebrium, fatuum, quemvis demum aggressorem, etsi a te antea provocatum.

C) *Quoad modum;* idest servato moderamine inculpatae tutelae. Ideo reus erit homicidii, qui *a)* poterat certamen vitare, ex. gr. fugiendo, latendo, si excipiatur vir nobilis et miles; *b)* plus nocuit quam oportuit; *c)* licet coactus, tamen ex odio, intentione directa, occidit.

Quum alicui licet iniustum aggressorem occidere, licebit privato cuilibet cum eo defensioni et occisioni cooperari.

Art. 3. De occisione innocentis.

§ 1. *De occisione innocentis in genere.*

230. Nunquam licita est innocentis occisio *directa,* neque auctoritate privata et ad bonum privatum, neque auctoritate publica et ad bonum publicum. *Indirecta* innocentis occisio licebit tantum ex gravissima causa sc. ad magnum bonum privatum (ex. gr. si fugiens inimicum, qui te insequitur et vult interimere, calces puerum viam occupantem) et ad magnum bonum publicum (ex. gr. si tyrannus urbem obsideat velitque eam subvertere nisi innocens occidatur, nefas erit innocentem, etsi consentientem, interficere, sed *probabiliter* poterit is cogi ad se tradendum et, si renuat, tradi tyranno).

§ 2. *De procuratione abortus* (1).

231. *Praemittenda.* 1° Fetus ex communiore, imo fere generali theologorum et peritorum disciplinarum naturalium aetatis nostrae sententia, quae Ecclesiae sensui optime respondet, animatur ab ipsa conceptione. 2° Fetus dicitur *a*) *maturus* post novem a conceptione menses; *b*) *praematurus* post septem, et probabiliter etiam post sex menses, cum casus non defuerint, in quibus fetus sex mensium fuit vitalis; dicitur vero *vitalis* vel *viabilis* fetus praematurus, qui extra uterum vivere potest; *c*) *immaturus*, quum habet minus 6-7 menses et nequit extra uterum vivere. 3° Distinguendus est *partus praematurus artificialis,* qui est eiectio fetus praematuri, ab *abortu obstetrico,* qui est eiectio fetus immaturi. 4° Operationes obstetricae, quae in actuali disciplinae medicae statu ordinarie per-

(1) Cf. hac in re Antonelli, *Medicina Pastoralis*, v. I, quam prae oculis potissime habuimus.

aguntur (de quarum liceitate postea videbimus), sunt triplicis generis. A) Aliae neque matrem neque filium offendunt. B) Aliae fetum occidunt directe et a matre indirecte periculum mortis plerumque arcent. Hae, quae nomine generali *embryotomiae* veniunt, dicuntur in specie *craniotomia, cephalotripsia, cephalotomia, sfenotripsia,* prouti respective caput fetus perforatur, vel comprimitur, vel dividitur, vel longitudinaliter ad basim pluries perforatur, et deinde extrahitur; *embriulcia,* si fit fetus decollatio vel eius pectus aut columna vertebralis obtruncatur; *evisceratio,* si viscera primo auferuntur: quarum omnium operationum alia vel alia obstetrici utuntur pro diverso modo praesentationis fetus. C) Aliae demum laedunt matris organa quin fetus patiatur: his accensentur *symphiseotomia,* qua scinditur fibro-cartilago, quae duo ossa pubis coniungit, ad pelvim dilatandam et partum faciliorem reddendum; *operationes unitae,* quibus et symphiseotomia et simul partus praematurus artificialis efficitur; *partus caesareus,* quo uterus mulieris viventis, fetum vivum vel mortuum gestantis, vel mulieris mortuae, fetum vivum habentis, aperitur ex abdomine; *operatio porrensis,* qua amputantur uterus et ovaria; *laparatomia* seu *gastrotomia,* sc. abdominis scissio; *amputatio uteri gravidi,* recenter invecta. 5° Datur praegnatio extrauterina, sc. in ventre; praeterea accidit quandoque ut ab utero scisso fetus in ventrem decidat ibique evolvi pergat: in utroque casu fetus nequit perfectam evolutionem attingere et, quum cystis ineluctanter abrumpitur, sequitur necessario mors matris et fetus. Fetus extrauterini dicuntur *ectopici.*

232. Hisce praehabitis, primo statuimus nonnulla principia; deinde de aliquibus casibus in specie videbimus.

I. *Abortus obstetricus directus,* sc. directe, primario intentus et volitus, nunquam est licitus, quia vera et directa innocentis occisio; contra, licet *indirecte* procurare abortum, si hae condiciones

simul concurrant: *a*) mater morbo letali laboret; *b*) remedia ad curandum morbum sint *certa*; *c*) non intendatur mors fetus eiusque saluti spirituali, si possibile sit, per baptismum consulatur; *d*) *constet*, matre pereunte, filium vel ante eam vel simul cum ea periturum esse.

II. Quum *certum est* fetum iam interiisse, non solum licet, sed *debet* fieri fetus extractio per quamlibet operationem obstetricam, ad matris salutem.

III. Matre graviter aegrotante, licebit partum praematurum artificialem procurare, quum fetus est in septimo vel octavo mense et, si nullus alius suppetat modus aeque consulendi matri et fetui, etiam in sexto a conceptione mense, quia ad matrem salvandam licet fetum exponere damno non certo.

233. Nunc veniamus ad nonnullos peculiares casus, qui accidere possunt:

I. *In praegnatione uterina.*

A) Si ob pelvis angustiam vel nimiam fetus evolutionem praevideatur partum regulariter fieri non posse, aut fetus est in 7° vel 8° mense, et licebit partum accelerare; aut est immaturus et erit exspectandus 7us saltem mensis et partus deinde accelerandus. In hisce rerum adiunctis licitae erunt symphiseotomia, operationes unitae, partus caesareus et a fortiori omnes illae operationes quae nec matrem nec fetum laedunt. Sed nunquam licebit uti operationibus, quae nomine *embryotomiae* veniunt et quae directe fetum occidunt (S. Congr. S. et U. I. 21 Maii 1884, 14 Augusti 1889, 2 Iulii 1895). Ab operatione partus caesarei (quae *fieri potest* in matre vivente, *debet* in matre mortua ad extrahendum fetum immaturum vel praematurum eumque baptizandum) sacerdos abstinere se tenetur; si vero interrogetur ab aliquo, in bona fide exsistenti, de liceitate embryotomiae, quae nunc passim adhibetur, imo alicubi lege praecipitur, respondeat iuxta rei veritatem: secus, idest si ex admonitione nullus speretur fructus, sileat. B) Quum ex uteri

retroflexione, retroversione, descensu et prolapsu, mater est in periculo mortis et fetus est simul periturus, licebit pungere membranas fetum involventes, ut, per effluxum liquidi amniotici, uterus reponatur et periculum mortis a matre arceatur, quia abortus in casu non est directus et omnes concurrunt condiciones ad liceitatem abortus indirecti requisitae. C) Si mater tumore in utero laboret et nequeat aliter consuli eiusdem saluti, licebit amputare uterum gravidum, ex qua operatione sequitur abortus et mors fetus, quia hic operatio eiusmodi non est directe occisiva fetus, et duplex effectus, bonus et malus, aeque immediate habentur: bonus directe intentus et volitus, malus dumtaxat permissus.

II. *In praegnatione extrauterina, vel in delapsu fetus ab utero scisso in ventrem.*

A) Si in matre adsit tumor internus et *ignoretur* utrum agatur de fetu extrauterino, tunc exspectandum erit donec fetus, si exsistat, factus sit praematurus et vitalis, ut fiat gastrotomia seu laparatomia; si res differri nequeat sine certo matris periculo, tunc ea operatio statim fieri debet; etenim *a*) mors fetus, quum vere in cysti continetur, non est directe intenta; *b*) cum fetus exsistentia sit in casu tantum probabilis, praevalet ius certum matris; *c*) fetus ectopici perfectam maturitatem nunquam attingunt et non sunt vitales cum cystis abrumpitur, et haec abruptio tandem aliquando sequitur cum certa matris et fetus interemptione. — Sed non licebit in casu agere in cystim per fluidum electricum vel per morphinae iniectiones, quia hoc esset idem ac fetum, si exsistit, directe occidere, et hic versamur in probabilitate facti (cf. n. 94). B) Si *certum sit* fetum in cysti exsistere, et haec in eo est ut abrumpatur cum certa matris et fetus morte, utut alii aliud sentiant, dicendum licere item laparatomia uti; nam licere, si fetus *sit* praematurus, planum est; si sit immaturus, item licebit, cum non intendatur directe mors fetus, sed ablatio cystis, ex qua duplex aeque im-

mediate oritur effectus, sc. salus matris directe intenta et volita, mors fetus tantum permissa.

234. *Unice* ad salvandam matrem (non ad alios quoslibet fines), quum nullus alius succurrit modus, sive in casu praegnationis, sive in morbis uteri — praegnatione exclusa —, licebit uti operatione porrensi, idest amputatione utero-ovarica.

235. Ex CIC. can 2350 subiacent excommunicationi l. s. Ordinariis reservatae « *Procurantes abortum, matre non excepta, effectu secuto* ». Quoniam in odiosis versamur, eam incurrunt qui in *vero abortu* procurando (non ex. gr. in embryotomia perficienda) habent directum in intentione et in opere et fiunt participes *ipsius extractionis* et eiectionis fetus; ut mater incurrat, satis est si *velit* finem et *utatur* mediis.

Art. 4. **De duello.**

236. Duellum privatum definitur certamen singulare inter duos vel paucos, susceptum ex privata causa et auctoritate privata, praecedenter condictis loco, tempore, armis letalibus. Hic non est sermo *de duello publico* sc. ex publica auctoritate suscepto, quod licebit si fiat ad bonum commune, ex. gr. ad bellum finiendum, ad servandam penes hostes aestimationem vel ne exercitus animo concidat.

Duellum erit *sollemne* vel *simplex*, prout fit accedentibus testibus vel his exclusis.

237. Duellum constat — ex definitione — *a*) pugna *singulorum;* proinde si bini vel terni hinc inde steterint, duellum adhuc est; si plures, agmine facto, hinc inde concurrerint, duellum non intelligitur; *b*) antea condictis *loco, tempore, armis;* quare duellum non erit si conventum fuerit de una re vel alia, vel quum, conventione facta de omnibus in actu rixae, statim hinc inde concurra-

tur; c) ex *armis letalibus;* non item, si dimicatum sit pugnis, baculis, ferro ab acie retusa, etiamsi mors per accidens sequatur. — Hisce vero condicionibus concurrentibus, nihil refert *a*) qua de causa duellum fuerit initum, ex. gr. spectaculi, ut olim, vel virtutis ostendendae causa, vel ex odio vel ex honoris laesione; *b*) utrum ineatur *ad primam sanguinis effusionem*, quia periculum et scandalum non exsulant; *c*) an a viris illustribus vel militaribus acceptetur, unice ne timiditatis nota incurratur aut ne amittatur fama, vel officium, ex quo ipsi eorumque familiae vivunt (Ben. XIV Const. *Detestabilem* prop. 3[a]); *d*) utrum agatur de *duellis academicis*, in quibus studiosi, omnibus condictis, parvo cultro ad faciem alterius vulnerandam concurrunt, reliquo corpore tecto (S. Congr. C. d. 9 Augusti 1890). — *Ficte* duellantes, qui sc. *ficte provocant* et *acceptant* sine intentione congrediendi, vel *congrediuntur caventes*, ex conventione, ut aliquis duellum ab initio impediat, vel *pugnant ficte* sine ulla intentione et periculo vulneris, peccant plerumque graviter, ratione scandali, sed poenas non incurrunt quia non agitur de vero duello. At incurrunt, si quid opinor, qui *congrediuntur*, *sperantes fore* (*quin* conventionem hac de re ineant et *caveant*) ut duellum impediatur.

238. *Malitia* duelli duplex est, suicidii et homicidii, quia utriusque periculum continet. Provocare ad duellum grave est; acceptare est item graviter illicitum, nisi quum duellum ex altera parte mutatur in iniustam vitae aggressionem et quum provocans minitatur actualem inevitabilem aggressionem in bona fortunae; quo in utroque casu licebit et pugnare et in locum tutiorem etiam secedere.

239. Ex CIC. can. 2351, 1°, incurrunt excommunicationem R. P. simpliciter reservatam *a*) duellum (proprie dictum) perpetrantes; *b*) provocantes ad duellum et illud acceptantes, etiamsi duellum

non sequatur; *c*) complices et qualemcumque operam vel favorem praebentes (mandantes sc., consulentes efficaciter, conscribentes et ferentes provocatorium libellum, patrini, ii qui locum concedunt), effectu tamen secuto; *d*) de industria spectantes, sc. qui ex conventione vel ita accedunt ut quodammodo animum duellantibus addant: exceptis igitur iis, qui, casu transeuntes, ex curiositate adspiciunt, vel clam et a longinquo spectant, vel adsunt ut duellum impediant; *e*) permittentes aut, quantum in se est, non prohibentes, dignitatis etiam regalis et imperialis.

Praeterea duellantes *a*) ex can. 1240, 1°, privantur sepultura ecclesiastica, si moriantur in loco conflictus vel alibi ex vulnere in duello accepto, praeterquam si dederint ante mortem aliqua poenitentiae signa; *b*) ex can. 2351, 2°, incurrunt ipsi et patrini, quos vocant, infamiam iuris.

Art. 5. De bello.

240. Bellum definitur pugna multitudinis contra multitudinem extraneam, suscepta ex legitima Principis auctoritate, ad rem publicam defendendam vel ad illatam iniuriam vindicandam. Et siquidem ad rem publicam defendendam, bellum dicitur *defensivum;* si ad iniuriam vindicandam, *offensivum; illud* licere patet, quia non modo individuo sed et societati licet vim vi repellere et defendere se contra iniustum aggressorem; *hoc,* quia non modo licet iniuriam propulsare dum infertur, sed illatam *publica auctoritate* vindicare, ne deinceps iterum inferatur, eo vel magis quod principes supremi nequeunt iniuriam ab alio principe supremo illatam vindicare nisi per bellum offensivum.

241. A) Ut bellum licite ineatur tria concurrere debent: *a*) *indictio* belli a suprema auctoritate facta; *b*) *causa* gravis, imo quae sit maioris momenti quam damna e bello secutura; innixa iure moraliter certo, ex *probabiliore* sententia, etsi non-

nulli tenent sufficere causam probabilius iustam vel aeque probabiliter iustam; c) *necessitas;* quo ex capite, tum omnia tentari debent ad bellum arcendum, tum requirenda est partis adversae condigna satisfactio, quae, si oblata, ex iustitia acceptari debet. B) Bellum instaurandum et continuandum est *iuxta ius gentium*, et si, bello durante, satisfactio congrua offeratur, bellum intermittendum est, si non ex iustitia, saltem ex caritate, dummodo expensae reficiantur et eius continuatio non sit publico bono necessaria (ex. gr. ad retundendam definitive hostium petulantiam). C) *Victor*, quum propositum suum consecutus est, pacem debet conciliare iustis et aequis condicionibus; excessus enim laederet iustitiam non modo vindicativam, sed etiam commutativam. *Victus* in bello, licet victor iniuste illud iniverit, debet pacem petere vel impositam acceptare, saltem per accidens, ne se et suos gravioribus malis exponat. Et pactis constitutis standum est utrinque; secus perpetuis bellis et caedibus via panderetur. D) Cui licet belligerare, eidem ferre auxilium ceteri licite possunt; sed principibus catholicis, in bello contra alios principes catholicos, non licet in auxilium vocare gentiles vel alios catholici nominis hostes, ob scandalum et religionis damnum. Hoc in praxi absolute tenendum esse profitetur S. Alph., etsi *probabilem speculative* sententiam pro liceitate iudicet.

242. *Conscripti milites* graviter peccant si, ne in exercitum cooptentur, se mutilent vel grave valetudini praeiudicium afferant; item si corrumpant magistratus et medicos ut inhabiles declarentur, nisi forte quum ius habent exemptionis ab obligatione. — *Milites conscripti* non tenentur inquirere de belli iustitia, et in dubio iuris belligerare possunt, acquiescentes supremae auctoritatis iudicio; non item *voluntarii*, qui, ante quam bello gerendo sponte se dedant, tuti esse debent de iustitia causae. *Clerici*, extra necessitatis casum, nequeunt propria manu pugnare.

Tit. VI. De Sexto et Nono Decalogi Praecepto.

« *Te* deprecamur, *omnipotens, adorande, colende, Pater metuende,* ut *carnis spurcitias immaculato calle* transeamus. » E liturgia d. f. S. Agnetis V. et M.

« Non moechaberis. — Non desiderabis uxorem eius (proximi). » Exod. xx, 14.

243. Sextum et nonum praeceptum, qua *negativa*, prohibent *alterum* quoslibet luxuriae actus *externe* sc. opere patratos, *alterum* actus *mere internos* luxuriae, sc. cogitationes, delectationes, desideria; qua *positiva*, praecipiunt castitatem, iuxta cuiusque statum, servandam.

Cap. I. De notione, divisione, malitia luxuriae in genere.

244. Luxuria definitur « inordinatus appetitus vel usus rei venereae » et consistit in delectatione venerea deliberate admissa extra matrimonium, vel quaesita in matrimonio, per usum inordinatum actuum immediate generationi inservientium, contra matrimonii finem.

Delectatio *venerea*, quae oritur ex commotione organorum generationi inservientium, distinguenda est a delectatione sensibili, quam Nostri dividunt in mere sensibilem, spiritualem sensibilem, carnalem sensibilem seu sensibilem veneream. Delectatio *mere sensibilis* ea est quae oritur ex proportione obiecti cum organis sensuum, ex. gr. ex tactu rei lenis (puta vestis sericae), ex olfactu florum, ex auditu cantus vel soni, ex visu honestae et exquisitae rei pictae, etc.; eaque *per se* mala non est, nisi quum non ordinatur ad finem rationalem. Delectatio *spiritualis sensibilis* ea est quae ex honesto affectu oritur, cum quadam cordis com-

motione, ex. gr. erga matrem, consanguineos, amicos; eaque, ut patet, bona est. Delectatio *carnalis sensibilis* seu *sensibilis venerea* ea est, quae oritur ex obiecto, quod ex se aptum aliquo modo est ad inducendam aliquam delectationem veneream, ex. gr. visus mulieris nudae pictae vel sculptae, amplexus et osculum mulieris; ab hac delectationis specie potest malitia, saltem mortalis, abesse, si ea remote fuit intenta ab eaque exsulat periculum delectationis venereae.

245. Luxuria alia *interna*, alia *externa*, prouti in actu interno completur vel ei actus externus adiungitur. *Externa* alia *imperfecta* seu *non consummata*, alia *perfecta* seu *consummata*, prout sistit in usu inordinato actuum qui natura sua conducunt ad motus venereos (ex. gr. in turpibus tactibus, in turpiloquio), vel completur effusione seminis. *Consummata* seu *perfecta* rursus alia *iuxta naturam*, quum effusio seminis fit modo a natura constituto ad prolis generationem et servatis debito sexu et vase; alia *contra naturam*, quum semen humanum contra finem a natura praestitutum effunditur, sc. exclusis fine et possibilitate generationis prolis.

246. Luxuria *directe* volita, expresse intenta et cum plena deliberatione admissa est peccatum mortale *ex toto genere suo*, quia gravis inordinatio est contra naturam et sub gravi a Deo prohibetur, ut patet ex epistolis Paulinis (I Cor. VI, 9-19; Gal. V, 19 et ss.; Eph. V, 5) et ex prop. 40ª damn. ab Alexandro VII circa delectationem carnalem sensibilem proxime intentam. Luxuria *indirecte* volita, seu *voluntaria in causa*, sc. quum delectatio venerea non intenditur directe, sed ex actione quae ponitur secutura praevidetur, admittit, ex communi sententia, parvitatem materiae (modo absit periculum proximum consensus: secus ab ea actione, tamquam ab occasione proxima, erit abstinendum); consensus enim voluntatis fertur in causam, et a

causae influxu in delectationem veneream, qui levis esse potest, malitia desumenda est. Et sane causa *a*) potest esse gravis in se (ex. gr. ebrietas perfecta) et levem luxuriae malitiam continere si leviter influat in delectationem veneream; *b*) potest esse levis in se vel etiam honesta, et tamen gravem inducere luxuriae malitiam si graviter influat in delectationem veneream vel proximum consentiendi periculum contineat (ex. gr. choreae, equitatio, osculum).

Cap. II. De luxuriae actibus externis.

Art. 1. De actibus luxuriae externis perfectis seu consummatis.

§ 1. *Iuxta naturam.*

247. Fornicatio est copula soluti cum soluta in debito vase et debito modo; eaque dicitur *concubinatus*, si est habituale commercium soluti cum una eademque soluta, domi vel alibi retenta; *meretricium*, si est fornicatio mulieris, quae pluribus vel omnibus viris se prostituat, tum lucri, tum libidinis explendae causa.

Circumstantia concubinatus et meretricii (item que prostitutionis sive publicae sive clandestinae), cum specie, ut patet, non differant a fornicatione, non est *per se* in confessione necessario aperienda, at, ratione occasionis, aliquando declaranda erit.

Si quis, copula coepta, se retrahat et semen non effundat, erit fornicatio inchoata et affectiva, non vera; si quis se retrahat et semen extra vas effundat, erit fornicatio inchoata et affectiva, et simul pollutio consummata, de qua inferius. Hae circumstantiae erunt in confessione aperiendae.

§ 2. *Contra naturam.*

248. Mansturbatio est excitatio, praesertim manu, genitalium ad finem explendae perfecte libidinis. In maribus puberibus mansturbationem sequitur pollutio, sc. seminis effusio praeter finem generationis.

Mansturbatio committi potest tum *a*) deliberate et sponte, voluptatis causa, tum *b*) causa excitationis et irritationis quam plures morbi inducunt; in 1° casu, mansturbatio est grave peccatum; in altero casu, erit minus grave vel peccatum aberit omnino, prout morbi ipsi conscientiam et voluntatem aliquatenus perturbant vel omnino inhabilitant ad libere agendum.

A mansturbatione in viris specie non differt satisfactio venerea per varia obiecta quaesita.

249. Pollutio est effusio seminis extra copulam contra naturae finem. Alia *voluntaria*, alia *involuntaria*. Pollutio voluntaria est grave peccatum, ut patet; de voluntaria in causa iudicandum iuxta ea, quae n. 246.

Pollutio involuntaria, alia est physiologica, alia morbosa; *illam* dicunt *activam* seu *nocturnam, hanc* vero *passivam* seu *diurnam*. A) Pollutio *activa* seu *nocturna*, quae praesertim in viris sanis et castis occurrit, nisi frequentior sit, valetudini est utilis. Cum falsum sit semen corrumpi — ut Nostri ante actae aetatis profitebantur et recentiores nonnulli adhuc asserunt —, non ex ea ratione, sed aliunde debet deduci quid hac de re sentiendum. Pollutio activa seu nocturna, coepta somno durante, etsi in vigilia vel semivigilia perficiatur, a viris fortis constitutionis cohiberi non debet (quia est vera exoneratio quam natura ipsa postulat), modo absit consensus periculum, et si qua minus deliberata delectatio incidat, ad summum venialis erit; a viris *a*) debilis constitutionis, vel *b*) fortis constitutionis sed facile peccato consentientibus, con-

sultius cohibenda erit, mediis sive moralibus sive hygienicis, ne *ii* in morbum gravem (spermatorrhaeam) sensim labantur, *hi* voluntatem magis in dies debilitent vel delectationi plene consentiant. B) Pollutio *passiva* seu *diurna*, quae accidit fere semper sine excitatione et voluptate, imo cum incommodo, est gravis morbus, quem facile et brevi mors consequitur. Quum ea plerumque oriatur ex praecedenti usu mansturbationis vel onanismi (cf. n. 587, 3°, C), potest in ea peccatum admitti, tum ratione consensus, tum si ei mansturbatio adiungatur; sed quum haec accidunt in viris debilissimae voluntatis, aliquando etiam piis et bonae conscientiae, et nonnunquam tanto passionis aestu abreptis ut debeant mechanice coerceri, omnia adiuncta erunt consideranda ad discernendum utrum peccatum adfuerit necne.

250. **Necrophilia**, seu coitus cum femina defuncta, si fiat ab homine sanae mentis et ad voluptatem capiendam, habet malitiam fornicationis affectivae, et pollutionis, si haec adsit: si ab idiotis hominibus vel alienatis vel morbo affectis, peccatum aberit omnino, aut pro minore vel maiore voluntatis perturbatione erit plus minusve grave. Idem dicendum de coitu cum statuis.

251. **Distillatio activa** in mare consistit in profluxu humoris incoloris, mucosi et filamentosi, e canali uretrali emissi, sive habitualiter (qui morbus est), sive ex causa genitalia excitante, et coniuncto, necne, cum voluptate. Distillatio, contra ac plures e Nostris sentiunt, nihil seminis humani secum fert. Distillatio, quae oritur ex causis licitis, honestis, utilibus, necessariis, etsi praevisa, dummodo absit consensus in commotionem, nullum est peccatum; sed si quis causam ponit plus minusve directam, tunc ex causae quantitate vel influxu quantitas peccati diiudicanda est.

252. Sodomia est concubitus *a*) duorum eiusdem sexus (maris cum mare, feminae cum femina) vel *b*) cum persona diversi sexus extra vas naturale; *illa* dicitur *perfecta*, *haec imperfecta*. Sodomia inter feminas potest dari sive per copulam attentatam ab ea, quae per deformationem genitalium vel per pseudo-hermaphroditismum vel per frequentem mansturbationem habeat clitoridem valde evolutam, sive per perfricationem genitaliùm contra genitalia. **Irrumatio** (ita Nostri vocant satisfactionem veneream lingua vel labiis captam inter personas eiusdem vel diversi sexus), ob specialem turpitudinem, videtur esse specie diversa a sodomia.

253. Bestialitas est congressus — specie non servata — cum bestiis; et in maribus erit activa vel passiva, in feminis passiva. Adiuncta seu circumstantiae non mutant speciem; addit speciem pollutio, si adfuerit. — Huic peccato accensetur — si evenire potest — congressus cum daemone qui formam humanam vel animalis induat; sed species accederet peccati contra religionem.

§ 3. *De peccatis externis, quae speciem addunt peccatis luxuriae perfectis seu consummatis sive iuxta sive contra naturam.*

254. Addunt **iustitiae** laesionem:

A) **Stuprum,** quod est *violenta et iniusta* violatio *stricto sensu* virginis, *lato sensu* cuiusvis mulieris solutae, honestae et invitae; quare, ut stuprum habeatur, defloratio intercedat necesse est mulieris non consentientis.

B) **Adulterium,** quod est copula cum alterius coniuge. Violat in re gravi ius *inalienabile* coniugis innocentis; et, quia agitur de iure inalienabili, non cessat malitia adulterii si alter coniux consentiat. Et si coniugatus peccet cum coniugata, uterque duo adulteria seu duo peccata contra iustitiam committit, quia duorum coniugum diversa

iura laeduntur; adulterium vero uxoris, quae eo tempore peccat quo prolem concipere potest, novam speciem induit contra iustitiam, saltem indirecte volitam, ob damnum quod viro et filiis legitimis vel reapse contingit vel contingere potest, tum quia vir teneretur alere prolem spuriam, tum quia filii cum spurio hereditatem dividere cogerentur.

C) **Raptus**, qui est violenta personae (cum maris, tum feminae) non consentientis abductio a loco tuto ad non tutum, libidinis exercendae causa. Adest enim peccatum, saltem intentionis, contra castitatem, et aliud contra iustitiam ob vim illatam.

255. Addit **pietatis** laesionem:

Incestus, qui est concubitus cum cognatis et adfinibus intra gradus, quos intra Ecclesia matrimonium prohibet. Et *probabilius* speciem mutat incestus *a*) inter personas cognatione legali adstrictas, *b*) inter consanguineos (*non* vero adfines) in primo gradu lineae rectae.

256. Addunt **religionis** laesionem:

A) **Incestus** inter personas *cognatione spirituali* adstrictas; in quo tamen species infimae non dantur.

B) **Sacrilegium**, de quo cf. n. **181**, *b*.

Art. 2. De actibus externis luxuriae non consummatis.

257. *Actus* luxuriae *externi, non perfecti* seu *non consummati*, possunt tripliciter admitti: *ore*, *adspectu*, *tactu*.

A) Peccata luxuriae externa non consummata, quae *ore* admittuntur.

a) *Loqui* vel *canere leviter turpia* — quod plerumque fit ex animi levitate — grave non est. Loqui vel canere *graviter turpia*, siquidem id fiat ex animi levitate et sine periculo consensus, gravi *per se* vacabit, sed poterit letale fieri ratione scandali; letale semper aderit, si fiat ad excitandam

delectationem veneream vel si praevideatur periculum consentiendi in delect. venereum secuturam.

b) *Audire* loquentes vel canentes *graviter turpia* vel etiam subridere, facile gravi vacabit. Sed poterit fieri grave *aa*) *ratione personae,* si ex. gr. sacerdos, aut qui debet vel potest impedire, vel subridendo adprobare videatur vel silendo non impediat; *bb*) *ratione cooperationis,* si subridendo vel curiosius audiendo etc. animi addantur loquentibus, canentibus ad sermonem vel cantum protrahendum.

B) P. l. e. n. c., quae *adspectu* admittuntur.

Adspectus turpes possunt esse mortaliter illiciti ex triplici capite, sc. ratione *obiecti*, *finis, periculi. a*) *Ratione obiecti.* Hic distinguendae sunt partes personae *inhonestae,* sc. pudendae eisque proximae; *minus honestae,* sc. quae regulariter teguntur, ut ex. gr. brachia, pectus; *honestae,* sc. reliquae. *Illae* proxime, *istae* et *hae* remote ad delectationem venereum excitant. Nisi ex necessitate fiat (ut ex. gr. medicis contingit), adspicere partes inhonestas personae diversi sexus, saltem prope et morose, grave est; facilius a gravi excusabitur qui adspiciat partes inhonestas vel suas vel personae eiusdem sexus. Adspicere partes minus honestas personae alterius sexus, *per se* mortale non est; honestas, *per se* omni culpa caret. Ratione obiecti, culpam gravem *per se* non constituit adspicere picturas obscenas, vel animalium genitalia, vel animalia coeuntia. At *b*) et *c*) ratione *finis* seu intentionis capiendae delectationis venereae, et ratione *periculi* consensus, nedum ista omnia possunt culpam gravem attingere, sed grave fieri potest etiam partes honestas adspicere. — Legere libros turpes per se letale non est, exclusis fine malo et consensus periculo; gravi difficilius vacabit spectare, etiam excluso periculo, comoedias inhonestas, ratione scandali et cooperationis.

C) Peccata lux. e. non consummata, quae *tactu* admittuntur.

Haec speciem induunt, relate ad personas, eamdem ac consummata.

a) *Tactibus* applicentur, pro modo, ea quae supra de adspectibus diximus.

Malitia tactuum turpium inest *mansturbationi*: in impuberibus; in feminis (quae clitoridem contrectent, digitos vel instrumenta in vaginam inducant, iisdem modis uterum titillent); in eunuchis; quam mansturbationem distillatio sequitur. Mansturbatio eiusmodi grave peccatum est. De distillatione feminea, sive diurna sive nocturna, non provocata actu per mansturbationem, idem fere dicendum, quod n. 251 de distillatione virili, et n. 249 de pollutione involuntaria virili, sive diurna, sive nocturna. A mansturbatione feminea specie non differt satisfactio venerea a feminis capta per varia instrumenta seu obiecta.

b) *Amplexus* et *oscula*, si fiant ex patrio more, benevolentiae ostendendae vel captandae causa, officii gratia, pudico modo sc. sine ardore, leviter, fugaciter, licita sunt, etsi, te invito, aliqua delectatio suboriatur carnalis sensibilis vel venerea; secus, letale adesse potest, tum ratione obiecti, tum ratione periculi.

Cap. III. **De actibus luxuriae internis.**

258. *Cogitatio* de rebus obscenis *involuntaria* non est peccatum, licet inde involuntarii motus et delectatio venerea oriantur; *voluntaria* et continuata, quamvis ex levitate, curiositate, neglegentia, plerumque gravis evadit ob periculum incidendi in delectationem veneream eique consentiendi; diximus: *plerumque*, quia si periculum (ex. gr. ex temperamenti frigiditate) abesset, per se gravis culpa exsularet.

De *desiderio* et *delectatione* videsis nn. 58 et 68, ubi de peccatis internis.

Tit. VII. De Septimo et Decimo Decalogi Praecepto.

« Non furtum facies. »
« Non concupisces domum proximi tui... nec omnia quae illius sunt. » **Exod. xx**, 15, 17.

259. *Septimo* ac *decimo* decalogi praecepto, qua formaliter *negativo,* prohibetur laesio *inde* externa, *hinc* interna bonorum fortunae, quae ad proximum pertinent : qua implicite et virtualiter *positivo*, iubemur ius suum cuique tribuere. Quare, ad intelligenda et aestimanda peccata eiusmodi quae ius alterius laedunt, tria persequemur : sc. agemus primo de iure, deinde de iuris laesione seu de iniuria, tertio denique de iuris laesi reparatione seu de restitutione. In hac tractatione Codicem Civilem Italicum (C. C. I.) sequemur in omnibus, in quibus non est recurrendum ad ius canonicum ; at ea curabimus notanda, quae conscientiam ligare non videantur.

Cap. I. De iure.

260. I. **Ius** *stricte* et *obiective* sumptum est idem ac *iustum,* sc. quod alteri debetur, et est obiectum *iustitiae;* quam hic non *legalem* aut *distributivam* intelligimus, quarum altera respondet iuri quo gaudet respublica in cives, altera iuri quo gaudent cives erga rempublicam, sed *commutativam,* quae respicit iura civium inter se ac definitur « constans ac perpetua voluntas ius suum unicuique tribuendi ». Iustitia commutativa obligat *per se* sub gravi, cum onere restitutionis ; legalis ac distributiva obligant item *per se* sub gravi, excluso restitutionis onere nisi commutativa simul laedatur. Ius, sensu obiectivo, sc. qua est iustitiae obiectum, dicitur *ius passivum.*

Ius *stricte* ac *subiective* sumptum (quod *ius activum* audit) definitur « moralis potestas ad aliquid tamquam suum », sc. ad aliquid, tamquam e sua potestate, praestandum, omittendum, exigendum, retinendum.

II. *Ius activum* distinguitur in *ius in re,* seu *reale,* et *ius ad rem,* seu *personale. Ius in re,* seu *reale,* tunc mihi est, quum rem ipsam habeo mihi, tamquam meam, immediate et iuridice obligatam, et per consequens mihi competit *actio in rem* ipsam, apud quemlibet vindicandam. *Ius ad rem,* seu *personale,* mihi est, quum non rem habeo mihi immediate et iuridice devinctam, sed personam, ut rem mihi tradat vel ab ea adquirenda me non impediat, et per consequens mihi competit *actio in personam,* ut rem mihi praestet vel ab eius acquisitione me non deturbet. — Rursus: ius in re, seu reale, respicit rem tamquam iam suam; ius ad rem, seu personale, respicit rem ut fiat sua.

III. *Ius in re* aliud est *plenum* seu *perfectum,* aliud *non plenum* seu *imperfectum. a*) *Ius in re plenum,* seu perfectum, quod *dominium* simpliciter dicitur, est ius ad proprietatem rei et ad omnem utilitatem ex ea hauriendam, et clarius definiri potest « ius disponendi pro arbitrio (iure romano *utendi et abutendi*) de re tamquam propria, salvis legibus et iure alterius ». Diximus: *salvis legibus et iure alterius,* quia ex. gr. *lege* minores prohibentur vendere; *pacto* venditioni addi potest condicio, quae usum rei venditae coerceat et restringat; *testatoris* voluntate potest intra certos fines circumscribi ius utendi vel abutendi. *b*) *Ius in re non plenum,* seu imperfectum, est ius disponendi vel de sola re, exceptis fructibus (*dominium directum*), vel de solis fructibus seu commodis, excepta proprietate rei (*dominium indirectum* seu *utile*).

IV. Iuris *in re non pleni* species sunt *servitutes,* sive personales, sive reales vel praediales.

Art. 1. De iure in re non pleno seu de servitutibus.

261. Servitus definitur « ius in re aliena constitutum, quo dominus in re sua aliquid pati vel non facere tenetur in alterius personae vel rei utilitatem ».

Servitus dicitur *activa* in eo, cui ius est ad servitutem; *passiva* in eo, cui inest onus; *personalis,* quum res alicuius servit personae (et servitus perimitur exstinctione personae); *realis* seu *praedialis,* quum res servit rei, vel praedium praedio (et non perimitur exstinctione personae).

§ 1. *De servitutibus personalibus.*

262. Servitutes personales praecipuae sunt *usus-fructus, usus, habitatio* (quae postrema accensetur servituti usus).

263. Usufructus definitur « ius utendi fruendi rebus alienis, salva earum substantia ac forma ».

Praemittenda. Fructus nomine venit id omne, quod ex re nascitur seu percipitur. Fructus distinguuntur multiplices. A) *Ratione originis* dicuntur *a) naturales,* qui a natura ipsa, sine *speciali* hominis industria, producuntur, ut ex. gr. foenum agri, ligna silvae, ova, lac, lana animalium etc.; *b) civiles,* qui ex contractu vel ex qualibet obligatione vel ex officio proveniunt, ut ex. gr. pretium locationis domus, foenus ex mutuo, pensio etc.; *c) industriales,* qui percipiuntur ex industriis et mercatura etc.; *d) mixti,* qui partim a natura, partim ab hominis opera pendent, ut ex. gr. segetes, vinum, caseus, butyrum. B) *Ratione collectionis* fructus vocantur *a) pendentes,* qui nondum sunt separati a re producente, ex. gr. messes nondum collectae, fructus nondum ex arbore decerpti; *b) percipiendi,* qui percipi potuissent, sed vel ex negligentia vel dolo non fuerunt collecti; *c) per-*

cepti, qui iam separati fuerunt et collecti; et erunt *consumpti* vel *exstantes,* prout eis possessor usus est necne.

Ususfructus **constituitur** *a) non ultra* vitam fructuarii et, si hic est persona moralis, non ultra 30 annos; *b) lege* (ex. gr. patrifamilias in bonis adventitiis filiorum et coniugi viduo in bonis coniugis defuncti); *c) hominis voluntate,* per actus sive inter vivos sive extremae voluntatis; *d) etiam* vel *ex die,* vel *ad diem, sub condicione,* in quibuslibet bonis mobilibus vel immobilibus, quin etiam in rebus fungibilibus, sc. quae usu consumuntur (quo in casu non adest verus ususfructus sed quasi-ususfructus); *e) praescriptione decennali.* **Cessat** morte vel cessione fructuarii; interitu rei; consolidatione, sc. quum fructuarius lege vel hominis voluntate fit rei dominus; cedente die (quum ususfructus ad diem constitutus est); non usu per 30 annos; iudicis sententia.

Iura fructuarii sunt: *a) uti* re, tamquam bonus paterfamilias; *b)* percipere fructus rei (*frui*) sive naturales sive civiles: fructus vero pendentes, cessante usufructu, habenti rei proprietatem cedunt; *c)* locare, commodare, cedere exercitium sive totale sive partiale sui iuris, titulo tum oneroso, tum gratuito. **Onera** fructuarii sunt: *a)* sumptu suo inventarium curare conficiendum, et cautionem, nonnullis exceptis casibus, praebere; *b)* rem conservare in bono statu, ordinarias facere reparationes, praedia curare excolenda, tributa solvere etc.; *c)* rerum fungibilium consumptarum eamdem quantitatem vel pretium, cessante usufructu, restituere etc.

De quibus videsis latius in C. C. I. art. 477-520.

264. Usus definitur « ius rebus alienis ad necessitatem tantum utendi, salva earum substantia ac forma ». Huic accedit **habitatio,** idest *usus aedium.*

Usus *constituitur* ac *cessat* iisdem modis quibus ususfructus.

Ius usuario competit utendi praediorum fructibus

quantum necessitas postulet, sive pro se, sive pro familia, quamvis usuarius, cum coepit usus, familia careret: excluso tamen iure locandi, vel cedendi usum quolibet titulo sive oneroso sive gratuito. **Onera** usuarii sunt: *a*) inventarium curare conficiendum suis sumptibus et, nisi legaliter dispensetur, cautionem dare; *b*) uti, tamquam bonus paterfamilias, et consulere reparationibus ordinariis, culturae agrorum, solvendis tributis ad integrum vel pro rata, prout omnes fructus colligit totamve domum incolit, necne (C. C. I. a. 521-529).

§ 2. *De servitutibus realibus seu praedialibus.*

265. Servitutes reales seu **praediales** sunt: *a*) *rusticae* vel *urbanae*, prout rusticum vel urbanum est praedium *dominans* (quod sc. a servitute alterius praedii *servientis* utilitatem capit); *b*) *continuae* vel *discontinuae*, prout ius exerceri potest sine facto hominis (ut ex. gr. in servitute stillicidii) vel exercitium iuris factum hominis requirit (ut ex. gr. in servitute itineris, aquae haustus); *c*) *apparentes*, vel *non apparentes*, prouti ex aliquo signo apparent exterius (ex. gr. in stillicidio), vel non (ex. gr. in servitute altius non tollendi).

Servitutes praediales seu reales *rusticae* praecipuae sunt: *a*) *itineris*, *actus*, *viae*: *illa* ius confert eundi vel ambulandi per alterius praedium; *ista*, latius patens, ius agendi etiam iumentum, et vehiculum quod manu hominis trahitur; *haec* ius agendi plaustrum, quod a bobus trahitur; *b*) *aquaeductus*, sc. ius aquam ducendi per alterius fundum; *c*) *aquae haustus*, sc. ius hauriendi aquam a puteo vel fonte vicini; *d*) *pecoris ad aquam adpellendi*, vel *pascendi*, *calcis coquendae*, *arenae fodiendae* etc...

Servitutes reales seu praediales *urbanae* praecipuae sunt: *a*) *oneris ferendi*, quum columna vel paries vicini onus aedium nostrarum sustinere cogitur; *b*) *tigni immittendi*, quum mihi ius est tignum vel trabem e meis aedibus in parietem do-

mus vicinae immittendi; *c*) *stillicidii* vel *fluminis recipiendi,* quum vicinus in suum praedium tenetur recipere aquam e nostris aedibus stillatim decidentem, vel in tectum areamve suam aquam e domo nostra in canales collectam; *d*) *altius non tollendi,* quum vicinus in commodum nostrarum aedium suas altius tollere vetatur; *e*) *luminis*, sc. ius cogendi vicinum ut fenestras nostras in suo vel communi pariete excipiat; *f*) *ne luminibus officiatur*, sc. ius vetandi quominus vicinus in re sua aliquid agat ad minuenda vel obscuranda lumina nostra; *g*) *prospectus,* seu ius prospiciendi in vicini praedium; *h*) *ne prospectui officiatur,* sc. ius vetandi ne vicinus prospectum impediat.

Servitutes praediales **constituuntur** *a*) *lege*, ad utilitatem sive publicam sive privatam; *b*) *hominis facto*, sc. pactionibus, stipulationibus, ultimae voluntatis actibus, et constitui possunt etiam sub condicione, ex die vel in diem; *c*) *praescriptione* 30 annorum, sed solae apparentes et continuae. **Cessant** *a*) *consolidatione*, nempe quum idem utriusque praedii, dominantis et servientis, fit dominus; *b*) *remissione* seu *cessione*, etiam tacita; *c*) *interitu praedii alterutrius*, sive dominantis sive servientis, at servitus reviviscit si res in pristinum fuerint restitutae ante quam praescriptionis tempus decurrerit; *d*) *non usu* seu praescriptione contraria 30 annorum (C. C. I. a. 531-672).

Art. 2. **De iure in re pleno seu dominio.**

§ 1. *De obiecto dominii.*

266. Obiectum dominii ea omnia sunt, circa quae ius hominis versari potest. Ea *bona* appellantur, et triplicis sunt generis: *a*) *interna* (seu *intrinseca*), tum ab homine ipso indistincta, ut vita, membra, animi facultates, tum distincta, ut actus, et bona ex actibus manantia; *b*) *externa* (seu *extrinseca*), ut bona fortunae; *c*) *mixta*, ut bona

famae et honoris. *Bona externa*, rursus, esse possunt: *a*) *corporalia* seu sensibilia, vel *incorporalia*, ut iura; *b*) *publica* vel *privata; c*) *in commercio* posita vel *extra commercium*, prout in dominio privatorum esse possunt vel non; *d*) *immobilia* vel *mobilia*, prout e loco in locum non cedere vel cedere possunt, et talia sunt sive natura sive lege sive facto hominum (ex. gr. *lege* statuae, in suis aediculis vel basibus positae, immobilibus accensentur, etsi natura mobiles; *facto hominum*, dolia in cella vinaria censentur immobilia); *e*) *fungibilia* vel *non fungibilia*, prout alterum vice alterius fungi potest, vel non, quum agitur de solutione vel restitutione; ita ex. gr. vinum, oleum, pecunia, quorum genus attenditur, sunt fungibilia; contra, non fungibilia habentur domus, vestis, libri, quorum species attenditur, sc. quae in individuo tradenda vel reddenda sunt. Multi e Nostris *illa* promiscue vocant etiam *consumptibilia*, quia primo eorum usu consumuntur, *haec* vero *non consumptibilia*, quia atteruntur tantum, quin substantia destruatur.

Hisce praemissis, haec tenenda: *a*) In bona *interna indistincta*, sive *sua* sive *aliorum hominum*, homo non habet dominium directum, quod Deus sibi reservavit (Deuter. XXXII, 39), sed utile tantum, nisi et hoc lege limitetur. Quare homo potest *per se* habere dominium utile in alium hominem, sc. in eius opera; si enim homini licet opera sua locare ad tempus, quidni ad vitam? At eiusmodi servitus lege humana prohibetur, et fere undecumque detrusa est. *b*) In bona *interna distincta* homo habet dominium directum, et a nemine prohiberi potest quominus per ea ad finem suum aeternum contendat. *c*) In bona *externa*, quae *in commercio* hominum posita sunt, quilibet legitime dominium directum et utile adquirere potest. *d*) In bona *mixta* homo habet dominium directum et utile; ita ex. gr. potest seipsum, virtutis causa, diffamare, vel diffamatori restitutionem condonare, nisi muneri et dignitati sit consulendum.

§ 2. *De subiecto dominii.*

267. Dominii capax est *persona*, sive *physica* (iure naturae omnis homo vivens, etsi nondum in lucem editus vel perpetuo amens) sive *moralis*. At, cum iure positivo ius naturae circumscribatur, Nostri hic seorsum inquirunt quid possint *filiifamilias, uxores, clerici, auctores*.

I. *De dominio filiorumfamilias.*

268. Filiifamilias hic intelliguntur qui, e legitimo matrimonio orti, vel legitimati tum per subsequens matrimonium tum per Principis decretum, subiacent adhuc patriae potestati. (Cui filii subtrahuntur sive eorum anno 21° exeunte, sive quum fuerint emancipati vel *a*) *iure* per initum matrimonium, vel *b*) patris facto, non ante completum 18um aetatis annum, vel *c*) morte utriusque parentis).

Iure romano, in bona *castrensia* (e militia) et *quasi-castrensia* (ex officio publico sibi obventa) filiusf. habebat dominium plenum et administrationem; in *profectitia* (a patre concessa, vel lucra e patris bonis quaesita) filiusf. administrationem habebat, sed pater dominium plenum (1); in *adventitia* (utcumque filiof. aliunde obventa) filiusf. habebat dominium, pater usumfructum et administrationem.

Iuxta Codicem Civilem Italicum, in bona, quae sibi obveniunt, filiif. habent dominium directum, pater habet usumfructum (cum iuribus et oneribus fructuarii, et onere filios alendi et educandi), et administrationem. Sed pater *α*) non habet usumfructum in bona, quae *filiisf. obvenerint* sive *a*) ea lege ut pater usufructu careat; sive *b*) ad eum fi-

(1) In hoc filii commodum erat, ut si bona paterna ex delicto fisco cessissent vel, in emancipatione filii, pater sibi ea non vindicasset, bona profectitia filiofamilias salva ac integra manerent.

nem ut filii professionem, artem excolendam suscipiant, sive *c*) exercitio militiae, officiorum, artium liberalium; sive *d*) ex labore et industria separata ab industria paterna, sive *e*) ex hereditate, legatis, donatione acceptatis in forma a lege statuta contra patris consensum; — *β*) in cetera bona usumfructum amittit, quum filiif. fiunt maiores vel emancipati, quum pater transit ad alias nuptias, quum eo privatur ex iudicis sententia vel quod male administraverit vel quod sit abusus patria potestate vel quod neglexerit paterna officia erga filiosf. (C. C. I. a. 228-234).

269. Quaerunt hic Nostri an filiifamilias 1° habeant plenum dominium pecuniae vel rerum non consumptibilium (ex. gr. librorum, vestium etc.), quas dono habuerint a consanguineis vel amicis vel benefactoribus etc.; 2° habeant plenum dominium lucri, quod percipiunt ex labore in paterna domo; 3° domini sint lucri, quod negotiantes, inscio patre, e bonis paternis, percipiunt. — Ad 1um: filiif. rerum eiusmodi adquirunt plenum dominium, si *pro necessitatibus occurrentibus* vel *absolute* eis dentur; dominium non plenum, si dentur *ad usus determinatos*, et iustitiam laedunt si eas ad alios usus detorqueant. Ad 2um: habent *a*) plenum dominium lucri, si laborare non tenentur ex sua condicione; *b*) dominium *pro rata* (ex vero vel praesumpto societatis contractu) si laborent ut socii, et si excessu extraordinario vel sat notabili laborent prae ceteris filiis; at contra, nullum dominium, si labor eorum sit sustentandae parentum vitae necessarius vel lucrum sit adeo exiguum ut vix alimenta et expensas compenset. Ad 3um: si filiif., *nomine patris*, at eo inscio, negotiantur e *bonis paternis*, lucrum est patris; si *e pecunia* patris, *facta propria*, *nomine proprio* negotiantur, domini fiunt lucri, sed peccant et damni tenentur; si *e pecunia, manente in patris potestate, nomine proprio* negotiantur, dimidium lucri adquirunt, tamquam ex praesumpto societatis contractu.

II. *De dominio uxorum.*

270. Bona uxoris sunt 1° alia *dotalia*, quae sc. dotem constituunt; — 2° alia *paraphernalia*, seu *extradotalia*, sc. ea *a*) quae in dotem non fuerunt constituta; *b*) quae, stante matrimonio, uxori obveniunt titulo hereditatis, legati, donationis etc.; *c*) quae uxor, tum adquirit per laborem extraordinarium et peculiarem industriam, tum seponit, parcius vivendo, ex iis quae vir ei debet; — 3° alia *communia*, sc. ea quae a viro et uxore, in ipso matrimonii contractu, conferuntur in communem societatem; — 4° alia *bona familiae*, ea sc. quae uxor, exercens eamdem artem et industriam ac vir, adquirit cum viro.

Bonorum dotalium, si dos constituta fuit in pecunia numerata vel rebus mobilibus pretio aestimatis, dominium pertinet ad virum, qui fit debitor pretii: secus ad uxorem; administratio et ususfructus viro competunt. — *Bonorum paraphernalium* seu *extradotalium* dominium plenum et administratio pertinet ad uxorem; si tamen vir *a*) de mandato uxoris absoluto, vel *b*) de mandato uxoris sub condicione reddendi rationem de fructibus, vel *c*) sine mandato at sine oppositione uxoris, vel *d*) sine mandato et non obstante oppositione uxoris, bonis paraphernalibus usus fruitus sit, in primo casu tenebitur ad omnia ad quae ordinarius procurator; in altero et tertio, debebit fructus exstantes, quum ab uxore repetuntur vel solvitur matrimonium; in quarto casu, tenebitur ad fructus exstantes et consumptos. — *Bonorum communium* dominium pertinet ad singulos, uti ante contractum matrimonialem, quia communio ista fieri nequit, ex lege, nisi pro fructibus; administratio competit viro; lucra sunt divisibilia pro rata, saltem post mortem alterutrius coniugis, nisi pacta specialia apposita fuerint. — *Bonorum familiae* plenum dominium et administratio ad virum pertinet (C. C. I. a. 1399-1408, 1425-1446).

At, quum id exigit *necessitas*, *status decentia*,

bonum familiae, malum a familia avertendum, posse uxores, caute et prudenter, de fructibus bonorum dotalium et communium disponere, viro inscio, quin etiam invito, Nostri concedunt.

III. *De dominio clericorum.*

271. **Bona clericorum** esse possunt: *a*) alia *patrimonialia*, ea sc. quae iis contingunt quovis titulo profano ex. gr. hereditatis, donationis, librorum editorum, magisterii rerum non sacrarum etc.; *b*) alia *quasi-patrimonialia* seu *quasi-ecclesiastica* seu *casualia*, ea sc. quae lucrantur ex functionibus et officiis ecclesiasticis, ut ex. gr. stipendia Missarum, praedicationis, magisterii rei theologicae, distributiones chorales, reditus stolae etc.; *c*) alia *ecclesiastica*, nempe reditus beneficii, pensiones quae a gubernio loco beneficii suppressi persolvuntur, supplementa congruae a gubernio addita; *d*) alia demum *parcimonialia*, quae sc. clerici, parcius vivendo, seponunt.

In bona *patrimonialia, quasi-patrimonialia* et *parcimonialia* clerici habent plenum perfectumque dominium. — Quoad bona *ecclesiastica*, clerici libere disponere possunt de fructibus *necessariis* ad honestam sustentationem, quae aestimanda erit inspectis locis, tempore, dignitate et extendi potest ad congruam consanguineorum egentium sustentationem. Si quis vero de suo patrimonio vivat, tantumdem e reditibus beneficii facit suum. *Reditus superflui*, ex lege ecclesiastica (cf. CIC. can. 1473), erogari debent in pios usus: cui legi satisfacit, qui solvit pensionem ab Ecclesia suo beneficio impositam, quia applicatio ad pios usus iam ab auctoritate ecclesiastica facta est per pensionis impositionem. Qui contra fecerit (et ad letale requiritur materia multo maior quam in furtis communibus), peccat contra obedientiam, at *verius* non contra iustitiam, ideoque a restitutione excusatur. Et recte: nam *a*) secus, quid dicendum de conces-

sione S. R. E. Card. facta can. 239, § 1, 19? *b*) iure canonico statuitur beneficiarios *non recitantes* horas et *non residentes* non facere fructus suos; ergo — ex contrariorum lege — qui recitat et residet, evadit perfecte dominus redituum beneficii, etiam superfluorum.

IV. *De dominio auctorum.*

272. Auctores hic intelliguntur scriptores sive librorum sive operum artis musicae, pictores, sculptores etc. inventores novae artis, industriae, medicinae etc.

Principium in re esto: « res fructificat domino ».

Iure naturae certum est, auctores 1° habere perfectum dominium in rem inventam et in opus conscriptum seu confectum, antequam publici iuris fiat, tamquam in fructum sui ingenii; quare ius laedit et damni tenetur *a*) qui, invito auctore, manuscripta evulgat vel imprimit, secretum inventori rapit et publici iuris facit; *b*) qui lectiones aliorum scholasticas, conciones sacras, orationes politicas, manu sua transcribit, in volumen colligit et curat imprimendas; — 2° ius habere manuscripta imprimendi et vulgandi, utilitate inde capta, tum prima vice tum successivis, nam non alio modo opus posset domino fructificare; emptor ius habet *unice* ad usum exemplaris quod emit; quare ius laedit et damni tenetur qui opus, prima vice ab auctore vulgatum, sumptibus suis et ad propriam utilitatem denuo imprimendum curat, sive in eadem regione, sive in dissitis regionibus. *At, iure naturae inspecto, non satis constat* 1° liceatne *versionem* operis conficere, inscio vel invito auctore, eamque sumptu suo et ad lucrum sibi habendum imprimendam curare, quia non constat an verum damnum auctori inde oriatur, et an lucrum, ex versione captum, superet laborem in versionem insumptum; 2° *quamdiu*, etiam post auctoris mortem, ius auctoris protrahatur.

Leges positivae nationales et internationales hac

de re exstant, quarum ratio habenda est et quae conscientiam onerant, cum iure naturae nitantur illudque, in nonnullis obscurum, interpretentur.

§ 3. *De modis dominium adquirendi.*

273. Modus dominium adquirendi idem est ac *titulus,* seu causa apta ex se ad dominium conferendum.

Modi dominium adquirendi *a*) alii sunt *originarii,* quorum vi dominium adquiritur in res, quae nunquam habuerunt vel saltem hic et nunc non habent dominum — *occupatio* sc. et *accessio; b*) alii dicuntur *derivati* seu *translatitii,* quibus dominium ab altero in alterum transfertur, sive ipso iure, ut *in praescriptione,* sive partim ex lege, partim ex voluntate hominis libera, ut *in successione hereditaria ex testamento* vel *ab intestato,* sive demum ex libera hominis voluntate, ut *in contractibus.*

I. *De modis adquirendi dominium originariis.*

1° *De occupatione.*

(C. C. I. a. 711-719)

274. Occupatio est apprehensio realis proportionato modo, cum animo faciendi suam, rei quae nullius est et cuius dominium nulla lex civilis alteri tribuit (ex. gr. res ab intestato relictae, heredibus legitimis deficientibus, non sunt occupationis obiectum, quia eas lex Statui adiudicat).

Occupatio versatur circa res animatas (*venatione, piscatione*), vel circa res inanimatas: *illa* proprie *occupatio* dicitur, *haec* vero *inventio.*

275. *Occupationis* obiectum sunt animalia, quae triplicis generis recensentur: *a*) *mansueta* seu *domestica,* quae natura sua in hominum consortio sunt et naturali libertate non gaudent, ut equi, oves, boves, sues, gallinae, canes etc.; — *b*) *mansuefacta* seu *cicurata*, quae natura sua essent fera,

sed hominis industria mansuetis seu domesticis accedunt et sub eius dominio constituuntur, ut aves in cavea (*gabbia*, *uccelliera*), apes in alveariis, columbae in columbariis vel domi etc.; — c) *fera* seu *silvestria* (non ferociora), quae naturali fruuntur libertate et ab hominum consortio abhorrent, ut lepores, pisces, volucres. Hisce, ad iuris tramitem, accensentur *efferata* sc. tum fera quae, post capturam, recuperaverunt pristinam libertatem et feritatem, tum mansueta, quae fera deinceps, post fugam, fiunt, ut sues, equi et boves in nonnullis orbis regionibus.

Quid iuris de singulis videamus.

Animalia mansueta seu *domestica* nunquam fiunt nullius, sed, etsi discesserint, obierint, ab interitu vindicata fuerint (ex. gr. incendio, lupis subtracta), sunt restituenda domino, salvo iure ad compensationem.

Animalia mansuefacta, tum titulo occupationis, tum titulo industriae et educationis, ad eum, qui primus ea occupavit et mansuefecit, pertinent. Et si, *remoto dolo*, discesserint, avolaverint: *a*) columbae, pisces, cuniculi (*conigli*), qui transierint in aliud columbarium, in aliam piscinam, custodiam (*conigliera*), statim in dominium transeunt alterius heri; *b*) apes, si prior dominus biduo eas insecutus fuerit frustra, vel intra biduum ab iis insequendis sponte destiterit, domino fundi, ubi constiterunt, manent propriae; *c*) cetera animalia mansuefacta vindicari poterunt a priore domino intra 20 dies. — Si animalia mansuefacta agrum cultum vastent et nequeant facile abigi, possunt a domino fundi occidi et retineri in refectionem damnorum.

Animalia fera seu *silvestria* nullius sunt et fiunt per se primi occupantis, habita tamen ratione *temporis* vel *loci* quo occupantur. Et si venatio fiat *eo tempore, quo lege interdicitur,* animalia fiunt primi occupantis, cum lex de venatione sit, ex communissima sententia, mere poenalis, quod ceterum suadent consuetudo et gravissima poena in

inobedientes lata. Quoad *locum*, haec tenenda. Aut locus est clausus, aut pervius et apertus. Si agatur *de loco clauso parvae extensionis,* illae ferae ad dominum fundi pertinent quae e loco clauso exire nequeunt, easque venator suas facere non potest; ceterae, ut aves, quae naturali adhuc fruuntur libertate, ad dominum fundi non pertinent, easque venator suas facit et retinere potest, licet ius domini penetrando laedat et damni teneatur. Si agatur *de loco clauso magnae extensionis,* cum animalium captura ex parte domini incerta evadat, animalia non censentur amisisse pristinam libertatem; quare ea venator sua facit, at damni tenetur, non absolute, sed pro spe probabili quam dominus habebat ea capiendi. Si denique agatur *de loco pervio et aperto,* aut *a*) dominus sibi *non reservavit* venandi ius, et animalia per occisionem fiunt venatoris, laqueo capta fiunt eius qui laqueum posuit (nisi dominus fundi animalis extractionem impediat vel illud, adhuc vivum, dimittat vel suum *ex probabili iure* faciat), vel, in casu quo animal secus evasisset, fiunt eius qui primus e laqueo liberavit; aut *b*) dominus sibi *ius* venandi *reservavit*, et curavit lege recognoscendum, — *item* si tale ius aliis locavit — et in hoc casu ea applicentur quae de loco clauso parvae vel magnae extensionis diximus. Piscationi aptanda sunt, pro modo, ea quae de venatione.

276. **Inventio** potest respicere *thesauros*, *res deperditas, res derelictas, bona vacantia.*

Thesaurus dicitur quodlibet obiectum mobile, pretio aestimabile, absconditum vel suffossum, cuius nemo probare possit se esse dominum. Duo praenotanda sunt: *a*) *inventorem thesauri* non eum esse, qui primus manu thesaurum apprehendit, sed qui primus illum detegit et visibilem facit: si quis vero operarios conduxerit thesauri detegendi causa, non hos, sed illum iuribus inventoris gaudere; *b*) *dominum fundi* intelligi non fructuarium, sed proprietarium (thesaurus ex. gr. vel

pars thesauri in fundo beneficiario reperti non ad beneficiarium sed ad Ecclesiam pertineret); in fundis vero emphiteuticis dominum utilem; in fundo dotali uxorem.

Si quis reperit thesaurum *in fundo suo*, sive casu, sive data opera, totum adquirit. Si *in fundo alterius privato*, aut *a*) *casu reperit* et dimidium cedit inventori, dimidium domino; aut *b*) *data opera invenit* et, ante iudicis sententiam, thesaurus dividitur aequis partibus inter inventorem et dominum; post iudicis sententiam, totum cedit domino. Si *in fundo publico,* sive casu sive data opera, dimidium cedit inventori, dimidium domino (ex. gr. fisco, civitati, ecclesiae). — Qui moraliter certus in aliquo fundo thesaurum reperiri (non ex eo quod iam ibi eum reperit et denuo abscondit, in quo casu thesauri ratio habenda esset), fundum adquirit pretio communi, sine thesauri aestimatione, recte adquirit, cum thesaurus non sit pars fundi, sed res nullius.

Res deperditae eae sunt, quas dominus casu aliquo vel ex oblivione dereliquit, sed sine animo dominium abdicandi. Inventor *debet* dominum quaerere; eo invento, restituere; eo non invento, rem deperditam tamdiu servare quamdiu probabile erit eum reperiri posse et, si res servari nequeat, eam iusto pretio distrahere et pretium seponere. Quum domini inveniendi spes omnis evanuit, e Nostris alii tenent pretium rei in pios usus impendendum ex praesumpta domini voluntate; alii rem seu pretium cedere inventori, et *verius;* nam cur dominium maneat apud eum, qui de re amplius disponere nequit? C. C. I. favet inventori; praescribit enim (a. 715-718) rem tradendam esse auctoritati civili locali, quae publicum edictum affigit et curat ut affixum maneat a die dominico ad solidum diem dominicum insequentem. Si intra biennium dominus compareat, ei res restituenda est, qui tamen tenetur sumptus, si qui necessario facti sint, refundere, et solvere inventori, si hic petat, decimam vel (si res pluris sit quam 2000 libellis) vicesimam partem

pretii; si dominus non compareat, res cedit inventori, qui sumptus auctoritati civili refundere debet.

Res derelictae eae sunt quas dominus, suae mentis compos, relinquit, abiicit, animo dominium abdicandi. In dubio utrum res amissae sint an derelictae, pro priore hypothesi standum.

Rebus derelictis accensentur spicae, uvae, olivae etc. post messem, vindemiam, collectionem exstantes, nisi dominus expresse vetet ne colligantur. — Ut derelictae non habentur res, quae e navi, tempestatis tempore, vel sponte ex metu naufragii vel vi undarum ventorumve in mare proiiciuntur, vel, post naufragium et procellam, ad littus feruntur; item quae a domo, incendii causa, deiiciuntur, subtrahuntur. — Medium locum tenent res, quae ob inundationem ab alio in alium locum, secundo flumine, advehuntur; regulariter ut derelictae habentur, praesertim si tam longe distrahantur, ut nullam dominus spem eas recuperandi habeat, vel recuperare non posset sine sumptibus et incommodo rei pretium excedentibus. — *Res derelictae mobiles* fiunt primi occupantis tum lege naturae tum lege positiva; *immobiles* ex lege positiva cedunt fisco.

Bona vacantia, sc. res a defuncto relictae, cui heredes non sint nec ex testamento nec legitimi ab intestato, cum consanguinei desint, essent lege naturae res nullius et proinde primi occupantis, at lege positiva tum mobilia tum immobilia cedunt fisco.

2° *De accessione.*

(C. C. I. a. 447-475)

277. Accessio est modus adquirendi dominium rei, quae nostrae accedit, sive natura, ut in *nativitate* et *alluvione*, sive ex facto vel industria hominis, ut in *adiunctione*, *specificatione*, *commixtione* vel *confusione*, *aedificatione* vel *plantatione*.

Nativitas intelligitur hic quaecumque rei a re productio, tum *realis*, ut partus animalium, fructus terrae et opera ingenii, tum *civilis* seu ex fictione

iuris, ut reditus, canones, census, pretium locationis etc. De ceteris vel diximus vel postea dicemus; hic de solo animalium partu. Partus pertinet ad matrem, non ad patrem, ex principio « partus sequitur ventrem »; quare animalium partus cedunt domino vel fructuario matris.

Alluvio dicitur in genere omne incrementum praediis iunctum vi aquarum; in specie vero dicendum de *alluvione, avulsione, alvei mutatione, nova insula. Alluvio* duplici modo accidit: *a*) quum incrementum ita, paullatim, adiicitur, ut nequeat intelligi quantum quoque temporis momento adiiciatur; hoc incrementum pertinet ad praedium cui adiungitur; *b*) quum flumen, ab una ripa recedens, contrariam sensim occupat: hoc incrementum pertinet ad praedia, quibus ripa deserta adhaeret, nullo damno dominis contrariae ripae refuso. *Avulsio* habetur quum vis fluminis uni praedio partem notabilem et cognoscibilem detrahit eamque affert alteri praedio sive prope eamdem sive prope oppositam fluminis ripam sito; tunc dominus partis avulsae eam repetere potest intra annum, et etiam post annum si dominus alterius praedii nondum eam occupaverit. *Alvei mutatio* si in universum accidat, prior alveus fit eorum, qui prope utramque veterem ripam praedia possident, pro longitudine frontis cuiusque praedii, iuxta lineas perpendiculares a limitibus ductas, et usque ad medium alveum. *Nova insula* potest triplici modo efformari: *a*) sensim sine sensu; *b*) ex parte notabil. alicuius praedii, quam instantanea vis fluminis avulserit; *c*) ex bipartitione fluminis quod alicuius agrum vel agri partem circumdet. In primo casu, si flumen *non sit navigabile*, insula fit eorum qui hinc inde praedia possident, iuxta normam superius traditam ubi de alvei mutatione; si flumen sit *navigabile*, insula cedit fisco. In altero et tertio casu, insula manet domino partis avulsae vel agri circumdati, salvo iure Statui, si flumen sit navigabile, proprietatem vindicandi, domino indemni.

Adiunctio habetur quum duae res mobiles, ad duos diversos dominos pertinentes, ita uniuntur ut ex utraque aliquid unum efficiatur, discreta manente utriusque substantia, ex. gr. unius gemma anulo alterius addita, pictura in alterius tabula expressa etc. Haec tenenda. Si res separari possint sine notabili utriusque vel alterutrius detrimento, uterque dominus ius habet ad exigendam separationem; si sine damno separari nequeant, tunc discernendum utra res sit principalis. Principalis *per se* ea est, cui altera est usui, ornatui, additamento. Et *per se*, quia accessorium sequitur principale, dominus rei principalis potest totum vindicare, altero indemni. At *a*) si accessoria sit longe pretiosior et adiuncta fuerit dolo domini rei principalis (ut si quis anulo suo aureo gemmam alterius pretiosissimam adiunxerit), tunc dominus rei accessoriae poterit vindicare totum, domino rei principalis indemni, vel exigere separationem etiam cum detrimento rei principalis; *b*) si neutra res dici possit accessoria alterius, habebitur ut principalis ea quae praestet pretio, et, pretio pari, quae volumine praestet.

Specificatio habetur quum alter rei alterius dat aliam formam specifice diversam (ex. gr. si quis ex lana mea tibialia, e meo numismate aureo anulum conficiat). Si *a*) ex una re nova species fuerit confecta, dominus rei, sive haec possit ad pristinam formam restitui sive nequeat, ius habet vindicandi novam speciem, altero indemni. Si *b*) quis materia partim propria, partim alterius, usus fuerit ad novam speciem conficiendam, si materiae sine detrimento nequeunt separari, nova species in commune dominium transit, sc. alterius pro re, alterius pro re et opere. At si opus artis longe rei pretium excedat, artifex ius habebit ad proprietatem novae speciei, domino alterius rei indemni.

Commixtio habetur quum duo arida vel solida, ad plures dominos pertinentia, permiscentur; *confusio*, quum duo liquida (ex. gr. si triticum meum cum alterius tritico permisceatur, erit *commixtio*;

si vinum meum cum alterius vino, *confusio*). Si materiae separari possint, ille, qui commixtioni, confusioni non consensit, ius habet ad exigendam separationem ; si nequeant, commixtae vel confusae res transeunt in condominium pro rata, et uterque dominus potest exigere ut sub hasta vendantur, communibus sumptibus et ad communem utilitatem. Sed si unius materiae qualitas et pretium longe excedat qualitatem et pretium alterius, vel si una ex materiis haberi possit ut principalis, dominus rei pretiosioris vel principalis poterit commixtionem, confusionem vindicare, altero indemni.

Aedificatio vel *plantatio* dare potest locum triplici casui. *a*) Titius aedificat vel plantat *in fundo suo* cum *materia aliena;* si bona fide egit, tenetur pretium materiae refundere eius domino ; si mala fide egit, dominus materiae ius habet ad materiam auferendam, si id fieri potest salva aedificatione vel plantatione, secus ad pretii restitutionem et *damna*. *b*) Titius aedificat vel plantat *in fundo alieno* cum *materia sua;* si bona fide egit, non poterit obligari ad tollendam constructionem vel plantationem, quae cedit domino fundi, qui Titio reddet pretium materiae et operis, vel quanti pluris fundus valet ; si mala fide egit, poterit cogi, *sine ulla indemnitate,* ad tollenda opera et ad damna sarcienda, nisi dominus malit ea servare et pretium refundere, ut supra. *c*) Titius aedificat vel plantat *in fundo alieno* cum *materia aliena;* totum cedit domino fundi, Titio indemni, ut supra ; at dominus materiae ius habet conveniendi Titium, ut materiae pretium refundat, et etiam dominum fundi si nondum Titium fecerit indemnem vel intra limites pretii nondum integre soluti.

II. *De modis dominium adquirendi derivatis seu translatitiis.*

1° *De praescriptione.*

278. Praescriptio est modus a lege civili inductus, sive adquirendi dominium rei vel aliquod ius (*p. acquisitiva*), sive se liberandi ab aliqua obligatione (*p. liberativa*), per possessionem continuatam tempore ac modo a lege definitis (C. C. I. a. 2105).

Praescriptio est modus adquirendi vel se liberandi ab obligatione legitimus *a*) *in foro externo*, quia supremae civili auctoritati est altum dominium in bona civium, quod exerceri debet ad bonum commune; interest vero societatis, rerum dominia esse certa, lites non esse immortales, dominos fieri sollicitos de rerum suarum conservatione; hisce omnibus rebus consulit praescriptio, quae ceterum, ideo quia posita est ante omnem eventum, omnibus aeque civibus potest nocere et prodesse; — *b*) sed etiam *in foro interno*, quia agitur de lege civili lata circa suum obiectum, aequa, praevidenti, quam et ipsa Ecclesia canonizavit, correctione inducta quoad necessitatem continuae bonae fidei.

279. *Condiciones ad praescriptionem necessariae* tribus hisce versiculis continentur:

Non usucapies, nisi sint tibi talia quinque:
sit res apta, fides bona, sit titulus quoque iustus,
possideas iuste, completo tempore legis.

α) *Res apta* debet esse, quae sc. sit in commercio, et non sit iure impraescriptibilis. Iure canonico, praescriptioni obnoxia non sunt: *a*) quae sunt iuris divini tum naturalis tum positivi; *b*) quae obtineri possunt ex solo privilegio apostolico; *c*) iura spiritualia, quorum laici non sunt capaces, si agatur de praescriptione in commodum laicorum; *d*) fines certi et indubii provinciarum ecclesiasticarum, dioecesium, paroeciarum, vicariatuum apostolicorum, praefecturarum apostolicarum, abbatiarum, vel praelaturarum *nullius; e*) eleemosynae

et onera Missarum; *f*) beneficium ecclesiasticum, sine titulo; *g*) ius visitationis et obedientiae, ita ut subditi a nullo Praelato visitari possint et nulli Praelato iam subsint; *h*) solutio cathedratici (CIC. can. 1509). *Res sacrae,* quae in *dominio privatorum* sunt, a privatis personis praescriptione acquiri possunt, sed, semel acquisita, non adhiberi ad profanos usus; possunt ad usus profanos, non tamen sordidos, si amiserint consecrationem vel benedictionem. *Res* vero *sacrae,* quae in *dominio privatorum non* sunt, *solum* a persona morali ecclesiastica contra aliam personam moralem ecclesiasticam praescribi possunt (CIC. can. 1510).

β) *Bona fides* est iudicium invincibiliter erroneum, quo quis putat rem a se possessam esse suam. — Quum vero agitur de *praescriptione liberativa,* sicut obligatio est positiva (ex. gr. solvere debitum) vel negativa (ex. gr. pati transitum alterius per fundum proprium), ita *bona fides,* potest esse *positiva* (ex. gr. se nullum debitum habere) vel *negativa* (se nihil agere contra ius alterius, qui tamen, si eo non utatur, non admonetur).

Ius romanum et C. C. I. requirunt bonam fidem in inchoatione tantum praescriptionis; quod tamen, si vim habet in foro externo civili, ita ut actio civilis submoveatur exceptione praescribentis, non habet vim in foro interno, nec in externo ecclesiastico, *in quo* bona fides requiritur tum ad inchoandam tum ad continuandam praescriptionem (cf. CIC. can. 1512). Et si dubium medio tempore superveniat, possessor inquirere tenetur; at si dubium remaneat post adhibitam diligentem inquisitionem, praescriptio currit. — In foro externo ecclesiastico, vix lite contestata, possessor rei alienae desinit esse bonae fidei (cf. can. 1731, 3°). — Ad praescriptionem liberativam *sufficit* bona fides negativa (1).

(1) I. romano *a*) possessio successoris universalis immediati coniungitur cum p. antecessoris, ad praescribendum, modo

γ) *Titulus iustus,* sc. aptus per se ad dominii translationem (ex. gr. venditio, donatio etc., non locatio, commodatum), est *ratio* ob quam possessor putat rem, quam possidet, esse suam. Titulus potest esse *a*) *verus,* ex. gr. emptio a vero domino; *b*) *coloratus,* qui sc. adest et verus videtur, sed laborat intrinseco vitio, ex. gr. emptio a fure; *c*) *putativus* seu *existimatus,* qui habetur quum quis putat titulum adfuisse, qui revera non adfuit; *d*) *praesumptus,* quum nullus determinari potest possessionis titulus, sed ex diuturna possessione praesumitur aliquem titulum intercessisse.

Ad praescribendum *requiritur non* titulus verus (ad quid tunc praescriptio?), sed *sufficit a*) in praescriptionibus decennalibus vel minoris temporis titulus coloratus vel putativus, *b*) in tricennalibus praesumptus, sine quo bona fides exsularet.

δ) *Possessio* — et pro iuribus *quasi-possessio,* sc. exercitium iurium — est elementum praescriptionis fundamentale. Possessio ad praescribendum requiritur *a*) *dominativa,* sc. aliquis possidere debet animo domini seu proprietarii (quem animum ex. gr. habere nequit locatarius); *b*) *publica,* sc. non clandestina, ut persona, contra quam currit praescriptio, possit eam animadvertere et suum ius tueri; *c*) *certa,* sc. non aequivoca, ut certo constet aliquem possidere rem tamquam suam; *d*) *non interrupta* et *pacifica,* sc. continuata per totum tempus, usque ad extremum diem, sine ulla litis contestatione; ceterum actualis possessor computare potest pro se

hic in bona fide fuerit, etiamsi *ille* in mala sit; *b*) mala fides antecessoris non nocet successori particulari, sc. ex legato, emptione, donatione, si hic in bona fide sit, quia hic incipit novam possessionem. — I. canonico, valet quod sub *a*), modo successor u. i. sit in bona fide; successor univ. imm., bonæ fidei, complens 30 annos possessionis, legitime praescribit, in quantum 30 annis perimitur actio in possessorem; successor univ. mediatus b. f. coniungit possess. suam cum poss. successoris univ. immediati b. f., etiamsi testator seu auctor, *de cuius* uterque possedit, in m. f. fuerit; valet item quod sub *b*). I. civili italico valet quod sub *a*) et *b*), sed ad praescriptionem 30 ann. bona fides non requiritur.

tempus possessionis sui antecessoris (cf. β, comma tertium).

Praescriptio dicitur *interrupta* quum tempus praecedens nequit amplius computari; *suspensa* quum praescriptio ob aliquod impedimentum « *dormit* », sed, eo remoto, tempus praecedens computari potest cum sequenti. Praescriptio *interrumpitur naturaliter*, si possessor privatur ultra annum possessione, *civiliter* lite intentata et a iudice admissa (C. C. I. a. 2125-2132); *suspenditur*, quum curreret in detrimentum eorum, qui *agere* non valent, ut sunt: *a*) uxores, constante matrimonio, quoad bona dotalia et quoad bona immobilia pro dote hypothecae subiecta; *b*) minores non emancipati, et maiores civiliter interdicti; *c*) milites tempore belli. Sed suspensio non prodest coheredibus, sociis, condominis, qui *agere* possunt, et contra quos, per consequens, currit praescriptio.

ε) *Tempus legitimum* requiritur ad praescribendum, et ita computatur ut compleatur postremo die finito, et in praescriptionibus, quae mensibus complentur, mensis constet 30 diebus.

Iure canonico:

Ecclesia recipit quae statuuntur in legibus civilibus cuiusque nationis, salvis iis quae sequuntur (CIC. can. 1508).

Quod spectat *ad praescriptionem acquisitivam bonorum ecclesiasticorum*, bona *immobilia* et *mobilia pretiosa* praescribuntur 30 annis, exceptis bonis eiusdem generis pertinentibus ad Sedem Apostolicam, Ecclesiam Lateranensem, ad Cistercienses et Mendicantes, quae 100 annis, vel pertinentibus ad Benedictinos, quae 60 annis usucapiuntur. Ad oneranda *servitutibus* bona ecclesiastica idem tempus requiritur ac pro immobilium praescriptione; quod vero spectat *ad praescriptionem liberativam*, si agitur de praescribendo contra Ecclesiam, requiritur idem tempus ac pro immobilium praescriptione, ut supra; si agitur de Ecclesia contra laicos vel bona profana praescribente, standum legi civili cuiusque regionis (cf. CIC. can. 1511).

Iure civili italico:
in praescriptione acquisitiva, a) Immobilia et *iura realia in res immobiles* praescribuntur *sine titulo* 30 annis; *cum titulo determinato et transcripto in officio hypothecarum* (et a die transcriptionis currit praescriptio), 10 annis. *b) Res mobiles* natura sua et *syngraphae debiti publici nemini inscriptae* (*titoli al portatore*), pro quibus possessus civilis et bona fides eumdem effectum gignunt ac titulus, praescribuntur statim et ipso facto, modo non sint furtivae ac deperditae. *c) Res furtivae ac deperditae* praescribuntur biennio. Et, medio tempore, qui rem amisit aut is, cui furto sublata est, rem a possessore repetere potest, salvo possessori iure regressus erga eum a quo accepit. Sed si possessor rei furtivae ac deperditae eam emit in publicis nundinis ac mercatibus, vel sub hasta, vel apud mercatorem qui publice res eius generis vendit, dominus rei furtivae vel deperditae non potest eam a possessore repetere nisi soluto emptionis pretio, salvo sibi regressu erga eum qui rem vendidit (C. C. I. a. 2135-2137);
in praescriptione liberativa, a) 30 annis exstinguitur quaelibet obligatio sive realis sive personalis; *b)* 5 annis praescribuntur annualitates redituum, qui ad vitam vel in perpetuum constituti sint, pensionum ob alimenta solvendarum, locationum et foenorum. *c)* Quoad praescriptiones 3 annorum, unius anni et sex mensium, videsis C. C. I. a. 2138-2140.

280. Disputant recentiores e Nostris an valeant in conscientia praescriptiones 1° quinquennales; 2° triennales, annuae, sex mensium; 3° biennales pro rebus furtivis ac deperditis; 4° immediatae pro rebus natura sua mobilibus et pro syngraphis debiti publici nemini inscriptis. Et plures hinc inde sententiae. Haec nobis videntur tenenda esse. Ad 1um: praescriptiones quinquennales non valent *pro primo debitore,* cui deest bona fides, nec pro successore eius universali immediato (cf. β, comma tertium), sed valent pro eius successore titulo par-

ticulari, qui in bona fide sit. Ad 2um: praescriptiones triennales, annuae, sex mensium non valent in conscientia, ut evidens est ex C. C. I. a. 2142, ex quo coniicitur, legislatorem id sibi proposuisse, *non* ut transferret dominium, *sed* ut e medio auferret lites, et liberaret debitores a duplici pretii solutione; quare eae, potius quam praescriptiones, dici possunt praesumptiones *iuris* solutionis iam factae. At, *contra, valent in conscientia* et *opponi possunt* quum agitur de obligatione a defuncto contracta et a successore ignorata, et in casu quo debitor, conventus, oblitus fuerit utrum satisfecerit an non. Ad 3um et 4um, quidquid rationum hinc inde congeratur, eas in conscientia valere dicendum est, quia omnia locum habent quae de legitimitate praescriptionis in foro tum externo tum interno praefati sumus (cf. 278).

2° *De successione ex testamento.*

281. Testamentum definitur actus revocabilis, quo aliquis, modis a lege constitutis, disponit de suis rebus pro tempore mortem suam subsecuturo in favorem unius vel plurium.

Ad testamenti validitatem necesse est ut testator non fuerit metu coactus nec errore permotus. Testamenta vero plura fieri possunt, et omnia valent si posterius antecedentia non revocet expresse et ex integro, et, si non ex integro, quatenus antecedentium dispositiones sunt conciliabiles cum dispositionibus posterioris testamenti.

282. *Possunt testamentum facere* qui lege non prohibentur; igitur invalidum est testamentum, ex legis dispositione, eorum *a*) qui nondum decimum octavum aetatis annum expleverint; *b*) qui fuerint, ut non sanae mentis, ad iuris formam *interdicti; c*) quos constet vel probetur non fuisse sui compotes quum testamentum condiderunt.

Possunt capere ex testamento omnes, qui lege non prohibentur, etiam nascituri ex determinata

persona quae tempore mortis testatoris vivat, licet nondum concepti. At lege vetantur: *a*) *indigni,* a iudice removendi (C. C. I. a. 725, 764), nisi eos testator per actum authenticum vel in testamento ipso *expresse* habiles reddiderit seu in ius successionis redintegraverit: sed, extra hunc casum, indignorum descendentes ius habent ad legitimam quae indignis, nisi exclusi essent, obtigisset, veluti quodam repraesentationis iure; *b*) *damnati ad ergastulum;* c) *tutores* testatoris, si eo tempore, quo instituti sunt heredes vel legatarii, nondum rationum tutelae redditarum iuridicam adprobationem obtinuissent, at, hoc non obstante, capere possunt si sint testatoris adscendentes, descendentes, fratres, sorores, uxor; *d*) quum exstant legitimi descendentes vel adscendentes, *filii illegitimi,* quos testator agnovit vel quos ex iudicis sententia tales esse constet; at *naturales* capere possunt legitimam tantum, *spurii* (1) alimenta, et si plus iis relictum a testatore fuerit, vel directe, vel indirecte per interpositam personam, vel simulate per contractum onerosum, iis non debetur; *e*) *testatoris binubi coniux,* cui nihil competit ultra legitimam vel ultra id, quod minimum cuilibet e liberis ex priore matrimonio ortis relictum fuit; *f*) *notarius* vel *officialis publicus,* qui testamentum recepit, *testes* in eodem testamento; item *scriptor testamenti secreti,* nisi testator manu sua dispositiones in eius favorem addiderit, vel saltem eas adprobaverit in actu tradendi testamentum notario.

283. Testamenta, alia sunt *ordinaria,* alia *specialia* seu *privilegiata.* Testamenta *specialia* seu *privilegiata* sunt quae fiunt tempore pestis; in navibus, constante itinere maritimo; a militibus vel addictis exercitui tempore belli; de quibus

(1) Ex filiis *illegitimis naturales* dicuntur ii qui nati sunt extra matrimonium a viro et muliere, inter quos matrimonium valide consistere potuisset: *spurii,* ii qui nati ex viro et muliere, inter quos matrimonium iure iniri nequit (ex. gr. ex adulterio).

v. C. C. I. art. 789-803. Testamenta *ordinaria* alia sunt *olographa;* alia *per instrumentum notarii confecta aut recepta,* et haec rursus vel *publica* vel *secreta.*

α) Testamentum *olographum* testator debet ex integro manu sua scribere, appositis die, mense, anno, itemque in calce manu sua subscribere.

β) Qui velit testamentum *publicum* facere, coram notario et quatuor testibus iure aptis (C. C. I. a. 788), vel coram duobus notariis et duobus eiusmodi testibus, patefacit voluntatem suam, quam notarius, et, si duo sint, alteruter e duobus, scripto redigit, coram omnibus perlegit, curat ut constet ex ipso instrumento omnia, quae lex requirit, servata ad unguem fuisse; deinde subscribunt testator (qui, si nequeat, causam manifestat, de qua in Acto mentio facienda est), quatuor testes et notarius, vel duo testes et uterque notarius. Si testator sit omnino surdus, testamentum a notario redactum legere ipse debet, de qua re constare debet in Acto; si legere nesciat vel nequeat, tunc debent interesse vel notarius et quinque testes, vel duo notarii et tres testes.

γ) Testamentum *secretum* scribi potest ex integro a testatore, qui illud in calce subscribere debet; vel a quolibet alio sive partim sive ex integro, quo in casu testator tenetur subscribere testamentum in unoquoque dimidio folio. Charta, qua testamentum continetur vel involvitur, claudenda est et obsignanda sigillo, quod signum aliquod referat, ita ut aperiri nequeat quin dilaceretur. Testator tradit notario coram quator testibus chartam ita a se obsignatam vel ita a notario coram iisdem obsignandam, declarans testamentum suum ea contineri; deinde in parte exteriore chartae ita obsignatae notarius conficit Actum, in quo constare debet de traditione et declaratione a testatore facta, de numero et signo sigillorum, de testium praesentia; denique Actum subscribunt testator, testes et notarius, et, si testator nequeat subscribere, causam patefaciet, de qua in Acto

mentio facienda est. Haec omnia, sub nullitatis poena, sine interruptione fieri debent. Si vero testator sciat legere, sed scribere nesciat, vel non potuit interius subscribere testamentum, tenetur causam aperire et affirmare se testamentum legisse; de quibus adiunctis constare debet in Acto.

δ) Surdi et muti, muti, qui scribere sciant, possunt, omnibus servatis, testamentum olographum facere, vel secretum: *hoc* autem notario, prout supra, tradentes, in parte exteriore chartae scribere tenentur, ea testamentum suum contineri et, si hoc a tertio quolibet fuerit conscriptum, se illud legisse, et testatorem haec omnia scripsisse coram se et quatuor testibus, notarius declarabit in Acto. Cetera omnia, quae superius de testamenti secreti forma, servanda sunt.

284. Quid et quantum testamento relinqui possit, ex C. C. I. desumamus. Si testator nullos habeat heredes *necessarios*, quibus lege, iuri naturae innixa, pars hereditatis est relinquenda, disponere potest de integro asse hereditario in favorem cuiusvis malit. Si necessarios habet, eis *saltem* dimidiam bonorum partem, quae *legitima* vocatur, relinquere debet; de reliqua, quae dicitur *disponibilis*, quid malit statuere potest, nisi adsint coniux superstes et filii naturales, quorum portio ex *disponibili* detrahenda est. Ut singula attingamus, debetur pro *legitima* α) filiis (etiam adoptivis), sive maribus sive feminis, dimidium assis hereditarii, in singulos aequis partibus dividendum; — nepotes vel neptes testatoris ex filio vel filia praemortuis, velut iure repraesentationis, in locum parentis defuncti succedunt, eius quotam partem, tamquam unus, adipiscendo; — β) filiis deficientibus, tertia pars assis hereditarii adscendentibus, sc. patri et matri, inter utrumque pro rata aequali dividenda, vel tota alterutri, alterutro defuncto; utroque parente praemortuo testatori, ea tertia pars debetur adscendentibus in linea inde paterna, hinc materna, pro rata aequali si adscendentes sint in gradu

aequali, secus tota proximis alterutrius lineae; — γ) filiis illegitimis, qui fuerint a testatore iure recogniti, *a*) in concursu cum filiis legitimis, vel, his deficientibus, cum adscendentibus, dimidia pars quotae, quae sibi obtigisset, si legitimi essent, simul computatis ad quotam determinandam filiis legitimis; *b*) si non adsint nec filii legitimi nec adscendentes, duae tertiae partes illius quotae, quae sibi deberetur si legitimi essent. Descendentes legitimi a filio illegitimo praemortuo orti, velut iure repraesentationis, in quotam partem praemortui parentis, quasi unus, succedunt; — δ) coniugi superstiti (contra quem - vel quam - non exstet sententia separationis personalis quae in rem iudicatam transierit), *a*) si simul adsint filii legitimi eorumque descendentes, ususfructus in portionem aequalem legitimae quae singulis filiis obtingeret, computato in filiorum numero coniuge superstite; *b*) si concurrat cum solis adscendentibus, ususfructus in quartam assis hereditarii partem; *c*) si etiam adscendentes desint, ususfructus in tertiam assis hereditarii partem. At legitima debita coniugi superstiti et illegitimis iure recognitis, ut superius diximus, ex *disponibili* detrahenda est.

285. In testamento institui possunt heres (unus vel plures) et legatarii — *ille* vel *illi* titulo *universali*, *hi* titulo *particulari* — et sive pure, sive adiecta condicione. Condiciones pro non scriptis habentur, si impossibiles vel contrariae legi et bonis moribus; et legi contraria est condicio, qua vel primae vel secundae nuptiae interdicuntur (ex. gr. *dummodo* in coelibatu vel viduitate permaneat; non si testator dicat: *donec* in coel. vel vid. permaneat, quia haec est non condicio, sed dispositio *ad diem*): ea tamen condicio sustinetur, si fuerit a coniuge coniugi imposita. Invalide apponitur institutioni heredis *terminus a quo*, vel *ad quem*, incipiat, desinat heres esse (sc. *dies*, *ad diem*); at valide apponitur legatis.

Tum heredi tum legatario fieri potest *substitutio*

alterius heredis vel legatarii, modo substitutio non sit fideicommissaria, quae iure nulla est (ex. gr. si primus heres vel primus legatarius gravetur onere servandi et restituendi assem hereditarium vel legatum tertio cuilibet). *Ius adcrescendi* etiam novis legibus viget inter coheredes et collegatarios, quum in eodem testamento eadem res indivisa iis coniunctim fuit relicta, etiamsi heredes hac forma instituti sint — *in partes aequales*, *in aequales portiones* — et collegatariis eadem res indivisa fuerit relicta separatis dispositionibus. Et si quis ex coheredibus vel collegatariis praemoriatur testatori aut sit vel fiat inhabilis ad capiendum ex testamento, non fit locus iuri adcrescendi (nisi tamen testator aliter disposuerit) in casu, quo descendentibus praemortui vel inhabilis competat lege ius repraesentationis.

286. *Legata acceptari* queunt vel *repudiari*. *Hereditas a*) *potest acceptari* vel pure et simpliciter, vel cum beneficio inventarii, ex quo ius exsurgit heredi non solvendi legata et aes alienum nisi citra quantitatem assis hereditarii; *b*) *potest recusari*, at recusatio non praesumitur, sed fieri debet modo a lege definito. Pars heredis, qui repudiet, cedit coheredibus, si locus est iuri adcrescendi; secus, cedit heredibus legitimis seu ab intestato.

287. Testator potest eligere unum vel plures uti *exsecutores testamentarios*, quibus sc. committat suae ultimae voluntatis exsecutionem.

288. *In foro conscientiae a*) testamentum *revocabile* est, licet promissio illud non revocandi intercesserit; et si promissio fuit iurata, *valide* semper revocatur, *licite* tunc, quum id graves causae suadeant; *b*) testamenta *ad pias causas informia*, nempe nulla ob defectum formae legalis, adimplenda sunt (CIC. can. 1513, § 2); quoad *fiduciam* clerico vel religioso commissam, cf. CIC. can. 1516.

3° *De successione legitima seu ab intestato.*

289. In testamenti defectu, vel quum testamentum est *informe*, aut nullum ex iudicis sententia, successio devolvitur lege. Lex reddit ad succedendum inhabiles : *a*) eos, qui tempore mortis testatoris nondum concepti sint, item qui sunt nati at non vitales; praesumuntur vero vitales ii, quos constet vivos natos esse; *b*) indignos (cf. n. 282, comma alterum): et hi ne habent quidem ius usufructus et administrationis, quod parentibus competit, in bona descendentium, qui sive iure proprio sive iure repraesentationis succedant.

290. In successione legitima locum habet *ius repraesentationis*, ex quo remotiores heredes subeunt in gradum et ius proximorum qui fuerint praemortui. Repraesentatio locum habet solum in linea recta et collaterali: in linea recta, in infinitum (ex. gr. si defuncto intestato fuerint praemortui tum filii tum nepotes, succedunt pronepotes); in linea collaterali, usque ad 10 gradum iuxta civilem numerationem (cf. n. 552, 1°), repraesentationis ius competit filiis (et horum descendentibus in linea recta) natis e fratribus vel sororibus defuncti praemortuis. Adscendentes iure repraesentationis carent.

Qui proprio iure succedunt, ut filii, succedunt per capita; qui iure repraesentationis, succedunt per stirpes (ex. gr. si defunctus reliquerit filium, et ex filio praemortuo nepotes, *ille* dimidium assis hereditarii capiet, *hi coniunctim alterum dimidium*).

291. Successio legitima, quae initium capit a filiis legitimis, legitimatis, adoptivis, illegitimis iure recognitis (*spurii* habent unice ius ad alimenta), et sequitur primo per coniugem, patrem et matrem, fratres et sorores, tum germanos (ex iisdem patre et matre genitos), tum consanguineos (ex eodem patre et diversa matre) et uterinos (ex eadem matre

et patre diverso), deinde per adscendentes in linea paterna vel materna et collaterales propioris ordinis, deducitur usque ad 10 gradum inclusive iuxta civilem enumerationem: quo deficiente, hereditas cedit fisco. Infinita res esset in breviore tractatione singula persequi; consulantur potius C. C. I. a. 721-758, et D'Annibale, p. II, n. 376-381.

4° *De Contractibus* (1).

A) *De contractibus in genere.*

292. Contractus definitur conventio inter duos vel plures de iure transferendo.

Contractus dicitur: *a*) *in fieri* vel *in facto esse*, prouti consideratur mutuus actualis consensus, vel effectus ex contractu inito ortus; *b*) *bilateralis* (seu *synallagmaticus*), vel *unilateralis*, prout obligatio se tenet ex parte utriusque contrahentis, vel alterutrius tantum; *c*) *nudus* vel *vestitus*, prout nititur solo contrahentium consensu et parit obligationem naturalem dumtaxat, vel initur legalibus sollemnitatibus, parit actionem civilem et obligat in utroque foro; *d*) *onerosus* vel *gratuitus*, prout utrique e contrahentibus stat onus et commodum (ut in venditione), vel uni onus et alteri commodum (ut in donatione); *e*) *consensualis* vel *realis*, prout essentia contractus est in consensu (ex. gr. in venditione, locatione), vel in traditione reali (ut in mutuo, commodato, deposito); *f*) *expressus* (seu *formaliter initus*), vel *tacitus* (seu *virtualiter initus*), prout consensus manifestatur explicite, vel implicite tantum: contractus tacitus appellatur etiam *quasi-contractus; g*) *nominatus*, vel *innominatus*, prout habet in iure nomen proprium, necne: contractus innominati praecipui sunt — *do ut des,*

(1) Quae ius civile in territorio statuit de contractibus in genere et in specie, nominatis et innominatis, et de solutionibus, eadem recipit ius canonicum in materia ecclesiastica, nisi iuri divino adversentur vel aliud in certis quibusdam rebus ipsum ius canonicum statuat (CIC. can. 1529).

do ut facias, *facio ut des*, *facio ut facias* — ubi verbo *facere* significatur etiam *non facere* (ex. gr. *do ne facias*, *non facio ut des*, *non facio ut facias*, *facio* vel *non facio ne facias*); *h*) *validus*, *invalidus*, *rescindibilis*, prout iure contractus talis est.

Contractus elementa constitutiva alia sunt *essentialia*, sine quibus contractus esse nequit; alia *accessoria* seu *accidentalia*, sine quibus contractus esse potest, et quae exclusa censentur a contractu nisi expressa contrahentium voluntate adiiciantur; alia *naturalia*, quae censentur in contractu inesse sive lege sive consuetudine (ut in venditione securitas emptoris in casu evictionis). De *his* satis; de *illis* et *istis* videamus.

293. De elementis contractuum essentialibus. Loquimur de elementis quorumlibet contractuum communibus; quae singulis propria, notabimus ubi de singulis. Sunt igitur *materia apta*, *subiectum capax*, *consensus legitimus*. Et

α) *Materia apta*, quae, ut talis sit, debet esse: *a*) *Possibilis* tum physice tum moraliter, quia ad physice impossibile nemo tenetur, ad moraliter impossibile nemo censetur velle se obligare (hic *impossibilitatis* nomine venit *maxima difficultas*). Si res, praestanda vel facienda, fiat post initum contractum impossibilis, vel ex se, vel dolo eius qui se obligavit, in 1° casu, si materia est divisibilis, praestanda est qua praestari potest, nisi contrahens voluerit se obligare ad totum vel ad nihil; in 2° casu, contractus cessat, at qui dolo egit damni tenetur. — *b*) *Exsistens*, sive in re, sive saltem in spe. — *c*) *Contrahentis propria*, cum nemo possit ius transferre quo caret; at potest de re a tertio quolibet praestanda contrahi eo sensu, quod contrahens se obligat ad curandum pro viribus ut tertius ille rem praestet. — *d*) *Certa et determinata*, ne contractus sit illusorius. — *e*) *Honesta et licita* quoad substantiam; quare contractus de re mala nullam inducunt obligationem. Qui actionem malam nondum praestitit, ab ea abstinere tenetur et

pretium, si antea accepit, restituere; « post eam perpetratam, nonnulli putant, datum quoque restituendum esse; non enim debetur ex pacto, quod ab initio nullum fuit, nec ex re, cum actio turpis non sit pretio digna: contra alii, longe plures, putant posse vel peti non datum — non ex conventione, sed ex post facto, *quasi* laboris vel periculi pretium; sententia utraque gravis, et utraque S. Alphonso probabilis, sed haec probabilior; ideo consultius est possessori favere: sive ei qui promisit, si nondum dedit; sive ei, qui turpe opus fecit, si iam accepit (D'Ann. II, 301) ». Nec huic solutioni obstat C. C. I., ex quo certo non constat utrum nullitas obligationum, quae sint legi et bonis moribus contrariae, sit declaranda per iudicis sententiam, necne. — Sed mulier dona sibi data, ut ad turpia alliciatur, consensu nondum praestito retinere potest, saltem nisi donans condicionem explicite vel implicite manifestaverit; suadenda tamen erit ut restituat, ne per donorum retentionem turpis donantis amor foveatur et crescat. — *f*) *Non alteri contrahenti iam debita ex iustitia*, quia ius transferri nequit ad alterum, quod hic iam possideat: ex. gr. iudex nequit contrahere de aliqua re sibi donanda pro iusta sententia ferenda. Sed possum *valide* et *licite* tecum contrahere de re iam a me debita alicui tertio, sed tibi utili et non debita (ex. gr. possum a te accipere, ideoque etiam per contractum exigere, ad negotium tuum gerendum, pretium itineris, quod suscepturus sum in commodum tertii cuiuslibet, qui pretium eiusdem itineris mihi persolvit); *valide*, sed *illicite* contraho de re tibi iam debita ex caritate vel alia virtute (ut si ex. gr. medicus non conductus, qui pauperem ex caritate gratuito curare teneretur, contrahat de mercede ab eo tribuenda, quia pauperis interest curationem exigere posse ex iustitia); *valide* et *licite* contraho tecum de re tibi non debita, sed a me praestanda alio titulo (ex. gr. si tecum contraham, ut mihi aliquid des, ne ego peragam die festo opera servilia: sed *peccarem*, si ita essem

animo dispositus ut laborarem die festo nisi tu donum conferres).

β) *Subiectum capax.* Et omnes contrahere possunt qui nec natura nec lege sint inhabiles. *Natura* sunt *incapaces* ii, qui non sunt suae mentis (infantes, idiotae, amentes, ebrii), vel, etsi rationis usum habeant, perfectum et completum non habent (semifatui). *Lege* sunt *incapaces: a) minores* (sc. qui nondum 21 aetatis annum expleverint); *b) inhabilitati* (C. C. I. a. 339), qui sc. sine adsistentia specialis curatoris nequeunt Actum perficere, qui excedat simplicem administrationem: et lege possunt inhabilitari prodigi et semifatui; c) *interdicti* (C. C. I. 324), qui nihil iure agere possunt et sub tutela sunt, ut minores; *d) uxores in nonnullis casibus; e) in genere* ii, quibus lex vetat contractus in particulari. Quare, si duo contractum ineant, quorum alteruter *natura* est incapax, obligatio ex neutra parte constat; si alteruter sit *lege* incapax, incapaci datur restitutio in integrum, sed pars habilis, ut se liberet ab obligatione, nequit excipere incapacitatem alterius, nisi eius tantum qui *in poenam* fuerit interdictus.

γ) *Consensus legitimus:* qui iure naturali et civili debet esse: *a) Verus* et *internus.* Quare valide contrahit qui animum habet se obligandi, etsi careat animo obligationem implendi; invalide contrahit qui caret animo se obligandi, at damni tenetur. Fictio in contrahendo non praesumitur, sed probari debet. — *b) Liber* et *deliberatus.* — *c) Mutuus:* in contractu bilaterali mutuum consensum esse necessarium evidens est; in c. *unilaterali* (ex. gr. in donatione) requiritur *hinc* oblatio iuris, *inde* acceptatio, et *haec* oportet non fuerit retractata donec tempus acceptationi praefixum decurrerit. — *d) Signo sensibili manifestatus;* et in contractu unilaterali acceptatio, si non iure naturae, certo ex iure civili debet esse exterius manifestata ad contractus validitatem.

Consensui requisito ad contractus validitatem obstant *error* et *metus.* Errori accedit *dolus,* seu

actio (dictum vel factum) ad contrahentem inducendum in errorem, in ordine ad contractum ineundum, admissa vel ab altero contrahente vel a tertio quolibet. Metui accedit *vis non absoluta* (nam absoluta tollit omnino voluntarium). *Error* potest esse: *a*) *Substantialis* vel *accidentalis; substantialis* est si versatur aut circa substantiam rei, de qua contrahitur, aut circa rei qualitatem quae intenditur primario vel ut condicio sine qua non, aut circa ipsius contractus substantiam (ut si ex. gr. contrahens putet agi de emphyteusi, dum contra agitur de venditione); *accidentalis*, si versatur circa qualitatem accidentalem, sive rei de qua contrahitur, sive contractus ipsius. Error circa personam vel qualitatem personae poterit esse sive substantialis, si persona vel qualitas personae per se et primario intenditur (ex. gr. si quis donet aliquid pretiosi Petro, quia eum putat esse Paulum, vel donet Caio quia eum putat esse suum consanguineum, dum contra consanguineus non est), sive accidentalis (eius ex. gr. qui, volens tritici modium vendere, vendit Titio, quem putat esse Caium). — *b*) *Antecedens*, si dat causam contractui et, eo ablato, non contraheretur; *concomitans*, si non dat causam contractui et, eo ablato, item contraheretur.

Iure naturae error substantialis, etsi simpliciter concomitans, reddit contractum invalidum, ex defectu consensus; error accidentalis non invalidat contractum, sed, si fuerit antecedens et inductus dolo tum alterius contrahentis tum tertii cum consensu alterius contrahentis, reddit contractum rescindibilem, non ratione damni, sed iniuriae. Metus *gravis iuste incussus*, sive ad extorquendum consensum sive non (ex. gr. in pecuniae promissione ab eo facta, qui alium diffamavit, ad condemnationem in iudicio vitandam, vel in contractu inito cum navis duce ab eo qui vult emigrare ob delictum in patria admissum), non invalidat contractum; metus sive *gravis*, sive *levis*, *iniuste* incussus *ad extorquendum consensum* non invalidat

(quia non tollit omnino voluntarium), sed facit rescindibilem contractum ad libitum eius, cui metus fuerit incussus; metus sive *gravis,* sive *levis, iniuste* incussus, sed *non* ad extorquendum consensum, tunc solum, ratione iniuriae, facit contractum rescindibilem, quum ab altero contrahente incutitur.

Iure canonico, matrimonium et professio religiosa sunt invalida, si ex metu gravi et iniusto fiant (cf. 555).

Iure civili italico, error, sive iuris, quum dedit causam contractui, sive facti, quum incidit in substantiam contractus, sive personae, quum quis contractui consensit principaliter intuitu personae, invalidat contractum. *Vis*, quae talis sit, inspectis aetate, sexu, condicione personarum, ut incutiat metum rationabilem exponendi damno notabili se, vel sua, vel personas et bona coniugis, descendentium, adscendentium, invalidat contractum, etiamsi inferatur a persona, quae alia sit ab ea in cuius favorem contractus cedat. *Solus metus reverentialis,* quin vis illata fuerit, non sufficit ad contractum irritandum. *Dolus* tunc solum irritat contractum, quum ei causam dedit.

294. De elementis contractui accessoriis, seu accidentalibus. Praecipua sunt *poena conventionalis, iuramentum, condiciones, modi.*

α) *Poena conventionalis* est certa pecuniae quantitas ex conventione contrahentium solvenda ab eo qui sine iusta causa a contractu recedat. Et si serio et intra aequos limites contractui accessit, in utroque foro obligatio eam solvendi tenet iniuste recedentem.

β) *Iuramentum promissorium* contractui adiectum addit obligationem ex religione obligationi ex iustitia. Iuramentum sequitur naturam actus; quare *a*) si contractus est nullus iure naturae, nec contractus nec iuramentum tenet; *b*) si contractus est invalidus vel rescindibilis iure positivo, contractus obligat, non ex iustitia, sed ex religione,

quum licite servari potest, nisi iustis de causis iuramentum relaxetur; *c*) actus posterior, contrarius antecedenti iuramento, validus est, etsi illicitus si iusta de causa non ponatur (cf. 288, *a*).

γ) *Condiciones. Condicio*, quae definitur circumstantia externa contractui adiecta, a cuius exsistentia contrahentes volunt contractus validitatem pendere, potest esse *expressa* vel *tacita; de praesenti, de praeterito, de futuro*, et haec rursus sive *de futuro necessario*, sive *de futuro contingenti*, sive *suspensiva* (quum *obligatio* incipit ex quo condicio impleta fuerit), sive *resolutiva* (quum *obligatio* cessat seu resolvitur tunc, quum condicio impletur vel non impletur — ex. gr. domus meae usum tibi concedo quousque hanc rem non feceris, vel feceris, et in primo casu obligatio mea cessat quum tu eam rem facis, in secundo quum tu facere desinis); *possibilis* vel *impossibilis; honesta* vel *turpis; contraria*, vel *non, substantiae contractus; potestativa* vel *casualis* vel *mixta*, prout condicio est in potestate contrahentis, vel pendet a fortuito eventu, vel partim a potestate contrahentis et partim a fortuito eventu pendet (ex. 1ae: si sacrum, saltem semel intra annum, audieris; ex. 2ae: si, durante hieme, ningat; ex. 3ae: si quo die ningit sacrum audieris).

Condicio *de praesenti* vel *de praeterito* reddit *statim* contractum validum vel invalidum (licet eius exsistentia hic et nunc ignoretur), prout condicio exsistit necne. Quoad *condicionem de futuro*, haec tenenda. *a*) Condicio *de re turpi* vel *impossibili* in testamento et matrimonio habetur pro non adiecta, contractum contra reddit nullum; at non invalidat contractum condicio *de non facienda re turpi* vel *impossibili physice* aut *moraliter*. *b*) Condicio *de re substantiae actus contraria* sive matrimonium sive contractum invalidat. *c*) Condicio *pure potestativa* invalidat *iure civili* contractum (ut si quis alicui legatum relinquat in quantitate ab herede determinanda, vel donet sub condicione cuius implementum a sola donantis voluntate pen-

deat), quia stante condicione pure potestativa vinculum iuridicum non intelligitur. *d*) Condicio *de futuro necessario* reddit contractum *statim* validum (ex. gr. dono tibi hanc rem, si cras sol oriatur), nisi contrahens *expresse* contrarium statuat. *e*) In contractibus bilateralibus semper subintelligitur *condicio resolutiva* adesse pro casu, quo alteruter obligationi non satisfaciat; eo sensu, quod contrahens potest vel alium contrahentem iudicialiter cogere ad contractum servandum, vel pro lubitu petere rescissionem contractus et damna.

δ) *Modi* sunt circumstantiae, quae non suspendunt validitatem contractus, sed addunt aliquid in favorem vel onus alterutrius ex contrahentibus. Contractus, cui modus adiiciatur, dicitur *modalis*. Et contractui adiici potest: *a*) *finis*, seu modus stricte sumptus, quo sc. finis et usus rei determinatur (do tibi dotem, ut monasterium ingrediaris); *b*) *causa*, qua sc. indicatur motivus contrahendi (do tibi centum, quia es meus consanguineus); et non exsistentia causae *principalis* seu *motivae* (non item secundariae seu impulsivae) invalidat contractum; *c*) *dies*, sc. quum designatur dies exsecutionis contractus (do tibi centum pro tempore, quo pater morietur): et si dies designatus certo futurus est, obligatio statim contrahitur sed eius exsecutio differtur in diem; secus (do tibi centum pro tempore, quo filia mea matrimonium ineat), obligatio ipsa ad diem suspenditur.

295. De obligatione contractuum. Contractus *onerosi* in re gravi obligant sub gravi, in re levi sub levi. Quoad contractus *gratuitos*: *a*) *promissio*, quae prodigalitate laboret, nulla est ab initio, quia de re illicita, nisi forte materia divisionem recipiat: quo in casu obligatio erit implenda pro parte; — *b*) obligationem esse levem et ex fidelitate, tenent nonnulli e Nostris; gravem et ex iustitia, alii; intentioni dantis standum esse et, si res clare non pateat, levem esse obligationem concludunt non pauci, et haec sententia mihi adridet.

Nota. Deveniamus ad tractationem de contractibus in specie, agentes primo de contractibus gratuitis, deinde de onerosis, tertio de subsidiariis, qui sc. adduntur aliis contractibus ad securiorem reddendam obligationem ex iis ortam.

B) *De contractibus in specie.*

— *De singulis contractibus gratuitis.* —

296. *Contractus gratuiti* adnumerantur quatuor: *donatio, commodatum, mutuum, depositum.*

Donationi accenseri potest *promissio,* deposito *sequestrum conventionale, mandatum:* et gratuitis in genere accenseri potest quasi-contractus qui dicitur *negotiorum gestio.*

297. **Donatio,** alia *inter vivos*, alia *mortis causa;* haec, post mortem donantis, nisi hic mutaverit voluntatem, effectum habitura, iure civili italico locum iam non habet.

Donatio inter vivos, seu simpliciter donatio, definitur actus spontaneae liberalitatis, quo donans cedit actualiter et irrevocabiliter rem in praesenti suam donatario acceptanti. *a*) *Donare nequeunt* (et si donent, nulla est donatio, quamvis lateat sub contractu oneroso) qui testamentum facere non possunt; inhabilitati, a die quo fuerint in ius vocati ut eorum inhabilitatio decernatur; minores, etsi fuerint emancipati, nisi in casibus iure determinatis (cf. C. C. I. a. 1386); coniuges ad invicem, matrimonio constante. *Acceptare nequeunt*, nec per interpositas personas, qui nequeunt testamento capere (cf. n. 282). — *b*) *Donatio fieri debet*, ne invalida sit, per actum publicum et vim habet, quin traditio sit necessaria, quum fuerit acceptata a donatario vel in eodem acto publico vel per actum publicum posterius, quod mortem donantis praecesserit et fuerit huic notificatum. Donans pacisci potest de reversibilitate rei donatae ad donantem tum in casu quo donatarius solus praemo-

riatur donanti, tum in casu quo tum donatarius tum eius descendentes praemoriantur. Item donans potest sibi et, post se, tertio cuilibet (uni, vel pluribus simul, non successive) usumfructum rei donatae reservare. — *c*) *Donatio revocari potest* per condicionem resolutivam donationi appositam; causa ingratitudinis donatarii, qui vel vitae vel famae et honori donantis graviter attentaverit vel debita ex donationis acto alimenta ei denegaverit; si filii donanti agnascantur. — *d*) *Donatio reducitur* ipso iure, si, quum donans moritur, res donatae excedere aestimentur partem disponibilem (C. C. I. a. 1050-1096).

Donationi accensetur **promissio**, quae definitur contractus, quo quis gratuito se obligat ad aliquid faciendum vel dandum in favorem tertii acceptantis. De obligatione promissionis cf. quae n. 295: ceterum in praxi promissio plerumque nec obligationem inducit, quia solo *proposito* constat.

Iure canonico statuitur (CIC. can. 1535-1536): *a*) Praelatos et rectores de bonis mobilibus ecclesiarum suarum non posse donationes facere nisi modicas et consuetas, ex iusta remunerationis, pietatis aut caritatis caussa: secus, eas revocare successor poterit; *b*) donationes rectoribus ecclesiarum, etiam religiosorum, praesumi, nisi contrarium probetur, Ecclesiae factas; et donationes Ecclesiae factas non posse ab eius rectore seu Superiore repudiari, nisi de consensu Ordinarii, nec, semel acceptatas, propter ingratum Praelati seu rectoris animum, revocari; *c*) repudiata illegitime donatione, ob damna quae inde obvenerint dari actionem restitutionis in integrum vel indemnitatis.

298. **Commodatum** est contractus, quo res non fungibilis in gratuitum usum conceditur, ea condicione, ut post definitum tempus eadem in individuo restituatur. Si tempus non definiatur, sed res sit restituenda ad nutum commodantis, contractus vocatur **precarium** (a *precariis* distinguendum, quibus iure canonico vetere dabatur ad certum tempus

ususfructus praedii ecclesiastici tertio cuilibet, adprecanti vel remunerando, ea condicione ut petitio quinto quoque anno renovaretur).

Commodatarius tenetur a) uti re tamquam bonus paterfamilias, iuxta conventionem, ad tempus praefixum; si aliter utatur vel restitutionem differat, tenetur damni, et res ei perit, non commodanti; res item perit commodatario, si aestimata fuit in conventione ineunda, et si perit eius culpa vel dolo; *b*) alteri in usum rem non concedere; *c*) expensas ordinarias ad rei conservationem sustinere. — *Commodans tenetur a*) rem non repetere ante tempus praefixum, nisi, ex necessitate absoluta quae supervenerit, iudex decernat rem esse restituendam; *b*) refundere expensas extraordinarias et urgentes ad rem servandam necessarias, si quas commodatarius sustinere debuit, quin posset eum facile praemonere; *c*) damna refundere, quae commodatario obvenerunt ob rei defectus, quos commodans, sciens volens, non patefecit (C. C. I. a. 1805-1807).

Ius canonicum vetat (CIC. can. 1537) ne res sacrae commodentur ad usum qui earumdem naturae repugnet.

299. Mutuum definitur contractus, quo res primo usu consumptibilis traditur alteri, ea condicione, ut restituatur tempore praefixo in eodem genere, in eadem qualitate et quantitate. Conscientiae obligatio non adest mutuum dandi divitibus, qui id petant ad suas opes augendas, vel pauperibus qui non sunt certo reddituri; at obligatio adest, citra grave incommodum, mutuum dandi sive divitibus, qui hic et nunc, ex peculiaribus adiunctis, eo egeant, sive pauperibus, quos fundata spes est esse redditurus.

Tempore traditionis mutui, aut *a*) est aequale utrinque dubium utrum *res* tempore restitutionis futura sit pluris an minoris, et licebit pacisci de re reddenda in eadem qualitate et quantitate, quia periculum est aequale pro utroque contrahente; aut *b*) certum vel longe probabilius est rei pretium

tempore restitutionis auctum iri, et non licebit pacisci de re reddenda in eadem qualitate et quantitate, nisi quo casu mutuans rem volebat servare in tempus, quo pretium auctum foret, adest enim ratio lucri cessantis ; aut *c*) rationabiliter praevidetur rei pretium tempore restitutionis imminutum iri, et licebit pacisci de re restituenda in quantitate quae respondeat pretio, quo res venibat quum mutuo data est.

Mutuans tenetur a) de vitiis rei traditae mutuatarium monere, quod si sciens volens non fecerit, damni tenebitur ; *b*) rem non repetere ante tempus praefixum : quo non praestituto, iudicis erit illud determinare ; *c*) rem recipere, ante tempus praestitutum, a mutuatario, in cuius unice gratiam tempus fuerit determinatum. — *Mutuatarius tenetur* rem restituere, quamvis sibi perierit, stato tempore, in eodem genere et in eadem qualitate et quantitate ; at si res in eodem genere restitui nequeat, rei aestimatio attendenda est, et pro aureis vel argenteis syngraphae mensariae reddi possunt. —

De usuris. — *Usura* dicebatur omne lucrum perceptum ex mutuo vel mutui occasione, sive definite vi mutui, sive ex iusto titulo extrinseco. Nunc lucrum ex mutuo perceptum dicitur italice « *interesse* », latine « *foenus* », et *usurae nomen* reservatur foenori excessivo et oppressivo. Si foenus iustos limites excedat, laeditur *iustitia ;* si intra iustos limites a pauperibus impotentibus exigatur, laeditur *caritas ;* in primo casu, mutuans ad restitutionem obligatur. Diu multumque inter theologos disputatum est — et disputatur adhuc — de foenoris liceitate ; haec, ut brevi rem absolvamus, videntur tenenda.

α) Cum mutuum sit contractus natura sua gratuitus, ex mutuo *vi mutui* lucrum percipere non licet, ex iure ecclesiastico (ex Conciliis Viennensi et Lateran. V, ex prop. damn. ab Alex. VII, 42ª ; ab Innoc. XI, 41ª, 42ª ; ex Enc. Ben. XIV « *Vix pervenit* ») ; *certo non constat* (D'Annib., p. II, n. 533) id iure naturali vel divino vetitum esse.

β) Licet ex mutuo lucrum percipere seu foenus exigere ex titulo aliquo extrinseco: sc. *a) ex damno emergente,* sive vero, sive probabiliter futuro; *b) ex lucro cessante*, quum sc. mutuans intendat, re sua in aliis licitis negotiis adhibita, ex ea lucrum capere; *c) ex periculo sortis*, quum sc. prudenter timetur ne sors recuperari nequeat, — excepto casu, quo pignus in securitatem constituatur —; *d) ex poena conventionali*, quum sc. mutuatarius se obligat ad aliquid ultra sortem solvendum si tempore praefixo non restituat, modo poena non sit immoderata et mora non determinetur brevior.

γ) Licet (ex Resp. S. Poenit.) ex mutuo lucrum percipere seu foenus exigere *ex titulo legis civilis*, etiamsi alii tituli extrinseci deficiant; at hic titulus videtur esse *intrinsecus,* quia dici potest non haberi in casu contractum gratuitum mutui, sed novam speciem contractus onerosi, vulgo *prestito a interesse:* unde sequitur, posse exigi aliquid amplius ultra foenus legale, si accedant alii tituli extrinseci (cf. CIC. can. 1543).

δ) Foenus legale est quinque pro centum (5 %) in materia civili, sex pro centum (6 %) in materia commerciali. Foenus autem conventionale, sc. pacto constitutum, non erit immodicum, iuxta D'Ann. (II, 535), si septem pro centum (7%); erit immodicum ultra decem pro centum, sed ratio habenda est peculiarium personae, rerum, loci adiunctorum (C. C. I. a. 1819-1834).

Iure canonico statuitur (CIC. can. 1538) si quando ob necessitatem Ecclesiae aes alienum seu mutuum contrahendum sit, legitimum Superiorem (cf. can. 1532) debere exigere ut omnes audiantur quorum interest, et curare ut, cum primum fieri possit, aes alienum solvatur, praefinitis ad hoc annuis ratis solvendis.

300. **Depositum** est contractus, quo res alteri custodienda gratuito committitur, ea lege, ut eadem, ad nutum deponentis, restituatur. Aliud est *voluntarium*, quod sc. consensu utriusque perfici-

tur; aliud *necessarium*, quod fit incendii, tumultus, naufragii etc. causa: huic a iure civili italico accensetur depositum quod Nostri *tacitum* vocant, quo nomine venit traditio rei iis qui implicite et ratione officii eam custodiendam suscipiunt, ut ex. gr. nautae, caupones, stabularii etc. — Si depositario usus rei conceditur, *verius* contractus induit speciem commodati vel mutui; si deponens paciscitur de foenore a depositario solvendo, vel depositarius de mercede sibi retribuenda, habebimus non *contractum onerosum* depositi (ceu nonnulli putant), quia depositum est natura gratuitum, sed *inde* mutuum cum foenore, *hinc* locationem operae.

Depositarius tenetur a) eamdem in rei alienae custodia adhibere diligentiam, quam solet in suae; *b*) si res, sua culpa, deterior fiat vel pereat, damni tenetur; *itemque* si, quo tempore in mora est ad restituendum, res sine culpa sua pereat; *c*) re deposita non uti, nisi ex expresso vel ex rationabiliter praesumpto deponentis consensu; praesumitur rationabiliter, si res deposita usu deterior non fiat, vel sit fungibilis (ut oleum, triticum), aut pecunia non clausa, et si ex parte depositarii nullum immineat deponenti rei amittendae periculum; et quod depositarius lucratur, suum facit, quia e sua industria oritur; *d*) restituere, quum deponenti placuerit, rem depositam, cum suis accessionibus, si quae sint; si vero depositarius constituatur in mora ad restituendum, et agatur de pecunia deposita, solvere ab eo die foenus legale. — *Deponens tenetur* indemnem facere depositarium sive de impensis in rem servandam collatis, sive de damnis, quae, depositi occasione, passus fuerit; et, donec indemnis fiat, depositarius potest rem detinere (C. C. I. a. 1835-1868).

301. Species depositi est **sequestrum conventionale** (a *iudiciali* distinctum), quod definitur depositum rei controversae ab uno vel pluribus factum apud tertium, qui se obligat ad rem, controversia dirempta, restituendam ei, ad quem eam pertinere

fuerit rite declaratum. Sequestro, quod complecti potest etiam res immobiles, applicentur eadem, quae de deposito diximus (C. C. I. a. 1870-1874).

302. Mandatum est contractus, quo honestum negotium certo acceptanti gratuito gerendum committitur. Mandatum erit *speciale*, si certum aliquod negotium, *universale*, si universitas negotiorum committatur; si tacite committatur et tacite acceptetur (quod ex facto exsecutionis seu gestionis ex parte mandatarii eruitur), habebitur *quasi-contractus*. Si conventio de mercede intercedat, putant alii mandatum e contractu gratuito fieri onerosum; alii, quia mandatum est contractus natura gratuitus, illud asserunt in novam speciem transire locationis operae. Sed *illi his* obiiciunt, inter mandatum et operae locationem essentiale discrimen ideo interesse, quod mandatarius agat nomine mandantis, operarius suo. Sapientiores viderint.

Mandatarius tenetur a) mandato defungi diligenter, et lucrum ex eo non capere cum mandantis detrimento; *b*) non renuntiare mandatum, nisi ex gravi et iusta causa, et mandante quamprimum certiorato; *c*) intra fines mandati negotia gerere; et si fines praetergrediatur *quoad modum* (ut si pluris rem emit, quam mandans edixerit), valide agit, at damni tenetur: si *quoad substantiam*, invalide agit et damni tenetur erga tertios, nisi eos sufficienter praemonuerit; *d*) sarcire mandanti damna, si qua ei intulerit, quia mandatum non implevit vel in mandati defunctione culpam dolumve admisit; *e*) mandato finito, rationes reddere. — *Mandans tenetur a*) obligationibus subesse ac satisfacere, contractis a mandatario intra fines mandati, iisque etiam, quas, licet ultra mandati fines a mandatario contractas, ipse postea vel expresse vel tacite ratas habuerit; *b*) sumptus a mandatario factos, damna quae hic sine culpa vel dolo passus fuerit, pecuniae ab eo e suo erogatae foenus (a die erogationis) refundere vel solvere.

Mandatum *cessat* revocatione mandantis; abdi-

catione mandatarii; morte, interdictione, inhabilitatione alterutrius (C. C. I. a. 1737-1763).

303. **Negotiorum gestio** est quasi-contractus, quo quis absentis vel ignorantis, ex praesumpto eius consensu, negotium utiliter gerendum suscipit. Qui ita negotium suscepit gerendum *tenetur: a*) gestionem continuare donec absens vel ignorans (aut, hoc defuncto re non integra, heres) possit ad se ipse negotium revocare; *b*) obligationibus, quae a suscepto negotio profluunt, subesse tamquam si expressum haberet mandatum; *c*) negotium gerere quasi bonus paterfamilias, et damna sarcire (quae tamen iudex pro aequitate moderari poterit), si qua absenti vel ignoranti, culpa vel neglegentia sua, intulerit. — Ille, in cuius favorem negotium fuit susceptum, tenetur, re bene gesta, obligationes ab eo qui negotium gessit contractas recognoscere atque implere, eumque facere indemnem de sumptibus necessariis vel utilibus, addito foenore legali, a die erogationis computando (C. C. I. a. 1140-1150).

— *De singulis contractibus onerosis.* —

304. *Praecipui contractus onerosi* sunt: *Emptio-venditio, Permutatio, Emphyteusis, Locatio et Conductio, Societas, Transactio, Census, Contractus aleatorii.*

305. **Emptio venditio** est contractus, quo duo se obligant, alter ad rem tradendam, alter ad pretium rei solvendum. Emptio-venditio solo consensu perficitur: quare, re et pretio nondum traditis, item erit perfecta, nisi tamen agatur *a*) de re vendita in pondere, numero et mensura, in qua ad perfectionem contractus requiritur ponderatio, numeratio, mensuratio, vel *b*) de consumptibilibus, quorum qualitas recognoscenda est eadem esse atque ab emptore quaesita. — Impensae contractus, nisi aliter fuerit conventum, ab emptore solvendae sunt.

α) *Possunt emere vendere* omnes, qui lege non prohibentur. At lege *vetantur emere*, etiam sub hasta, sive per se sive per interpositas personas *a*) *pater* bona filiorum suae potestati subditorum ; *b*) *tutores* vel *curatores* bona eorum, qui tutelae vel curae suae subsunt ; *procuratores* bona, quae sibi committuntur vendenda ; *administratores* publici instituti vel communitatis, eiusdem bona. *Vetantur vendere a*) debitores immobilia sua, in creditorum fraudem, postquam mandatum de solvendo (*precetto*) iure fuerit sibi notificatum ; *b*) qui foro cesserunt (*falliti*).

β) *Invalida* est *emptio-venditio a*) rei alienae ; *b*) rei, quae tempore initi contractus perierat ; et si pars tantum periit, emptor potest vel a contractu recedere vel quod reliquum exigere, pretio tamen imminuto iuxta aequam aestimationem ; *c*) iurium successionis personae viventis (ut si filius legitimam sibi a patre vivente debitam vendat), etiamsi ea consentiat.

γ) *Venditor tenetur : a*) *Rei vendendae defectus manifestare,* non eos qui ex se apparent, sed occultos, qui sint substantiales, et, si de defectibus interrogetur, non modo substantiales, sed etiam accidentales sive occultos sive manifestos. C. C. I. concedit emptori *actionem aestimatoriam* (sc. retinendi rem, eo minore pretio quod iudex determinaverit) vel pro lubitu *redhibitoriam* (sc. restituendi rem et repetendi pretium et impensas contractus) pro vitiis occultis venditori ignotis ; venditor etiam damni tenebitur, si agatur de vitiis occultis sibi notis. Actio redhibitoria (*quae* pro venditionibus a iudice ex officio peractis *nunquam*, et in emptione-venditione animalium *solum* pro vitiis lege vel consuetudine definitis *proponi potest*) exerceri debet intra annum a traditione, si agatur de immobilibus ; intra trimestre (nisi aliud sit consuetudine introductum), si de mobilibus ; intra quadraginta dies, si de animalibus. — *b*) *Pretium exigere iustum*, sc. respondens valori rei. Pretium aliud est *legale,* quod sc. ab auctoritate publica ad abusus coercendos interdum determinatur ; aliud

vulgare, quod determinatur a communi hominum aestimatione, et potest esse *summum, infimum, medium,* prout res aestimari non solet ultra *illud,* citra *hoc,* vel pretium est inter utrumque; aliud *conventionale,* de quo sc. contrahentes libere et, dolo remoto, conveniunt. Si *legale* adest, iustum haberi debet eique standum est. Si non adest legale, standum est pretio *vulgari,* ita tamen ut res nequeat vendi ultra summum, emi citra infimum, nisi iustus titulus accedat (ut alterutrius peculiare damnum, specialis erga rem affectus, oblatio rei infra infimum pretium a venditore sponte facta, dilatio vel repraesentatio — vulgo *anticipazione* — solutionis etc.). Si vulgare non adest, quia ex. gr. res non est in commercio, standum iudicio peritorum vel pretio conventionali. — *c) Tradere rem venditam,* eamdem, non factam deteriorem sua culpa (secus damni tenetur), tempore loco modo de quibus fuerit conventum et, nisi conventum, lege vel consuetudine statutis. — *d) Evictionem praestare,* contra quemlibet turbantem emptoris possessionem; de qua videsis C. C. I. a. 1482-1497.

δ) *Emptor tenetur a)* solvere pretium die et loco, qui fuerint in contractu determinati, et si nec dies nec locus fuerint praefixi, loco et tempore quo fit traditio rei; *b)* quum *res est* natura *frugifera,* vel *ipse est in mora,* dare foenus pretii, a die contractus ad diem solutionis computandum in primo casu, a die, ex quo in mora constitutus est, in altero casu, nisi tamen aliter fuerit conventum (C. C. I. a. 1447-1480, 1498-1514).

ε) *Venditiones speciales* nonnullae enumerantur: *venditio cum pacto retrovendendi* seu *cum retractu conventionali; venditio sub hasta; monopolium; venditio per proxenetas* (*sensali*).

a) Venditio cum pacto retrovendendi, seu *cum retractu conventionali,* est contractus, quo venditor reservat sibi ius rem suam stato tempore repetendi, restitutis pretio rei, quantum ab emptore habuit, et impensis, quas emptor fecit, sive necessarias sive utiles, ad rem servandam vel melioran-

dam. Tempus debet in contractu determinari — et improrogabile est — non ultra quinquennium; si longius fuit praefixum, ad quinquennium lege retrahitur. — Huius venditionis species est *mohatra*, sc. contractus, quo quis mercem maiore pretio credit (*vende a credito*) emptori, eo pacto, ut hic statim ei retrovendat mercem minore pretio numerato. Hic contractus est illicitus (cf. prop. 40 d. ab Inn. XI), quia usurarius. — *b*) *Venditio sub hasta*, seu per publicam auctionem, ea est in qua per praeconem ita emptoribus seu licitatoribus condicentibus res venditur, ut cedat ultimo maius pretium offerenti; et dicitur *voluntaria* quae sponte fit, *coacta* seu *iudiciaria* quae fit ex iudicis decreto. Iustum pretium illud est quod ex licitatione ipsa constat, sc. postremo oblatum, sive sit ultra summum, sive citra infimum, remota fraude vel vi. *Venditori non licet* rem vendendam expositam in deteriorem commutare, nec fictos licitatores veris interponere ut, sine animo emendi, pretium augeant; *licet* in venditione *coacta* adiungere se licitatoribus et alios interponere ad emendum, ne res citra infimum pretium vendatur, et *probabiliter* alios, etiam oblata pecunia, ad licitandum pertrahere. *Emptori* seu *licitatori non licet* alios a licitatione removere, vi, fraude, pecunia adhibita; at *certo licebit*, prece adhibita, et *verius* pacto cum eis inito; imo oblata quoque pecunia, si agatur de iniusta vexatione redimenda. Haec Nostri; at, si quid opinor, nimium emptori seu licitatori favent, si huic concedant ius removendi *cunctos alios licitatores* a licitatione: salvane sit, in hoc casu, essentia venditionis sub hasta, salvumne venditoris ius, ipsi viderint. *Praeconi* non licet neque uni e licitatoribus plus quam ceteris favere, neque aliquid facere in venditoris detrimentum. — *c*) *Monopolium* habetur quum unus vel plures, etiam in societatem coeuntes, universas vel prope universas certi generis merces emunt, ut deinde pluris vendant. Aliud *legale* seu *publicum*, quod sc. ab ipsa republica exercetur; aliud *privatum*

iuris vel *privatum facti* prout a republica alicui privato, societati conceditur (ut inventoribus), vel a privato, industria sua, geritur. *Legale* seu *publicum* licitum esse, ut medium ad pecuniam comparandam bono publico necessariam, nemo ambigit; *privatum iuris* licitum est, modo merces, res non vendantur pretio exorbitanti: et qui merces vel res similes conficiant et vendant, laedunt iustitiam; *privatum facti*, cui accensetur conventio inter venditores certi generis inita de non vendendo citra determinatum pretium, licitum est, modo neve iustitia neve caritas laedatur: iustitia laeditur vendendo ultra summum pretium, caritas vendendo summo pretio res ad vivendum necessarias. — *d*) *Venditio per proxenetas* (*sensali*), sive legales, sive privatos (et privati censentur filiifamilias quoad patrem, famuli quoad herum, opifices quoad committentem), habetur quum alicui proxenetae venditio rei a domino committitur. *Proxenetis non licet* rem vendere ultra pretium vel emere citra pretium a domino determinatum, ut excessum sibi retineant; nec licet rem, a se vendendam, sibi emere, ut altiore pretio eam divendant et excessum retineant — modo non desint emptores — quia agunt contra praesumptam domini voluntatem; nec licet retinere quod de iusto pretio dominus remittit, quia hic emptoribus velle favere praesumitur, saltem nisi proxenetae sint filii vel famuli eiusdem domini.

Iure canonico plura de rerum ecclesiasticarum alienatione statuuntur, de quibus videsis CIC. can. 1281, 1530-1534, 1539-1540. Heic tantum innuimus, *a*) ad validitatem alienationis rerum pretiosarum earumque quae excedunt valorem 30.000 libellarum, requiri licentiam Ap. Sedis; rerum, quarum pretium non excedit 1000 libellas, licentiam Ordinarii, qui debet audire administrationis Consilium (nisi res minimi momenti sit) et consensum habere eorum quorum interest; rerum, quae stant plus 1000 et citra 30.000, licentiam Ordinarii, modo consenserint Capitulum Cathedrale, Consi-

lium administrationis et ii quorum interest; *b*) Ecclesiae competere *actionem personalem* in alienantes eorumque heredes *ex alienatione facta sine debitis sollemnitatibus, realem* contra quemlibet possessorem (salvo iure emptoris contra male alienantem) *ex alienatione invalida.*

306. Permutatio est contractus, quo uterque contrahens se obligat ad rem dandam pro alia accipienda. Permutatio perficitur consensu, non traditione utriusque rei, et iisdem, iure civili italico, regitur legibus, si quid excipias, atque emptio-venditio. **Cambium** vero habetur quum pecunia cum pecunia permutatur. Et aliud *manuale* seu *minutum,* quum diversae nummorum species inter se permutantur, ut ex. gr. argentei cum aureis; aliud *locale* seu per *litteras collybisticas* (*vaglia cambiari* etc.), quum hic pecuniam solvis, ut alibi accipias. Et campsorem posse aliquid emolumenti (*aggio*) in cambio manuali, vel in locali (*provvigione*) exigere, titulo sive impensarum officii, sive incommodi, sive periculi traiectitiae pecuniae, sive clientum utilitatis, communis sententia est (C. C. I. a. 1549-1555).

Iure canonico (CIC. can. 1539) statuitur *a*) in permutatione rerum sacrarum nullam consecrationis vel benedictionis rationem in pretii aestimatione esse habendam; *b*) administratores posse, exclusa qualibet commercii vel negotiationis specie, ac de consensu Ordinarii, dioecesani Consilii administrationis et quorum intersit, *titulos ad latorem* permutare cum aliis magis aut saltem aeque tutis ac frugiferis.

307. Emphyteusis est contractus, quo praedium aliquod, ut melioretur, alicui conceditur vel in perpetuum vel ad tempus pro certo canone annuo, in pecunia vel rebus, persolvendo. Regitur conventione contrahentium, modo ea legi non obstet. Et lege *dominus* (qui dicitur *directarius*) *a*) ius habet ad canonem, eumdemque integrum, etsi praedium ob insolitam sterilitatem vel cladem ali-

quo anno utilitatem non pariat; item, si pars praedii perierit, modo reliqua sufficiat canoni solvendo (at emphyteutae ius erit a contractu recedendi); *b*) si, post legitimam interpellationem, emphyteuta canonem duobus annis continuis non solverit, vel praedium non melioret vel illud faciat deterius, ius habet ad praedii emphyteutici devolutionem, emphyteuta, pro meliorationibus antea inductis, ad iuris normam, compensato; *c*) ius habet ad recognitionem dominii seu proprii iuris, a possessore (qui *emphyteuta* seu *utilista* dicitur) suis sumptibus faciendam vigesimo nono quoque anno. — *Emphyteuta* vero debet canonem solvere et tributa; et omnes fructus facit suos, quasi dominus. *Potest* ex iure civili italico (quod emphyteusim prope evertit et venditioni eam fere accenset) tum *a*) praedium redimere, soluta *sorte,* quae canoni respondeat, computato legaliter foenore, si canon pecunia constet; vel quae respondeat pretio medio rerum, computando iuxta ultimum decennium, si canon in rebus consistat; tum *b*) de praedio disponere per actus inter vivos et per testamentum. *Laudemium*, sc. quinquagesima pretii pars directario solvenda quum praedium ad extraneos transit, in iure civili italico iam non viget (C. C. I. a. 1556-1567).

Iure canonico (CIC. can. 1542) statuitur, in emphyteusi bonorum ecclesiasticorum *a*) congruam exigendam esse cautionem de solutione canonis et implemento conditionum, quas inter expresse eam praescribendam, ut meliorationes solo cedant; praeterea in ipso instrumento contractus emphyteutici forum ecclesiasticum statuendum esse arbitrum ad dirimendas controversias forte exorituras inter partes; *b*) emphyteutam non posse canonem redimere nisi de venia legitimi Superioris ecclesiastici (cf. n. 305 in fine) et nisi data Ecclesiae ea pecuniae vi quae canoni respondeat.

308. Locatio est contractus, quo quis, pro certa mercede, sive rerum usum, sive operas vel opus alteri acceptanti concedit. Qui concedit dicitur

locator, qui accipit *locatarius* vel *conductor*. Divisionem locationis, ne confusio menti ingeratur, in tabula exhibemus.



α) In *locatione domorum* haec praecipue servanda: *a*) *Ex parte locatoris*. Locator nequit domum locare ultra triginta annos, sed locare potest ad vitam locatarii et ad biennium huius mortem subsequens. Si locator habet simplicem administrationem, nequit locare ultra novennium. Locator tenetur ad reparationes maioris momenti; urgentiores facere potest, salva domus locatae forma, etiam locatario invito, sed hoc indemni, si eae pertrahantur ultra viginti dies. *b*) *Ex parte locatarii*. Locatarius potest sublocare, nisi id expresse in contractu sit vetitum. Tenetur domo uti, tamquam bonus paterfamilias, et non aliter uti ac conventum est; et, si non est conventum, iuxta praesumptionem quae ex rerum adiunctis oriatur; praeterea facere reparationes minoris momenti, quae in C. C. I. (a. 1604) notantur; damna, quae sua culpa domui obvenerint, sarcire; pretium locationis solvere et condicionibus in contractu appo-

sitis parere: secus fit locus resolutioni contractus, et locator poterit obligare locatarium ad pretium locationis solvendum pro tempore novae locationi ineundae necessario. *c*) *Ex parte utriusque*, sc. locatoris et locatarii, quoad locationis cessationem. Locatio cessat: *aa*) domo pereunte; *bb*) elapso tempore determinato, nisi tamen locatarius pergat manere domi cum tacito locatoris assensu, quo in casu contractus novus intelligitur adesse ad tempus non determinatum; *cc*) quo tempore — si tempus non fuit praestitutum — alteruter a contractu recedit, data simul licentia pro locorum consuetudine; *dd*) ob domus venditionem, si casus fuerit in contractu praevisus et statuta locationis resolutio; at emptor debet praemonere locatarium, data eo modo licentia, ut loci consuetudo requirit (C. C. I. a. 1603-1613).

β) *In locatione praediorum simplici*, ea *in genere* valent quae in domorum locatione. *In specie, conductor* tenetur damna sarcire quae praedio vel praediis, ob contractum non servatum, obvenerint; ius habet percipiendi fructus ad tempus determinatum, si fuit praefixum: secus, contractus intelligitur permanere usque ad fructuum collectionem, vel iuxta culturae rotationem si huic sit locus, vel per tot annos, quot sint portiones colendae, si praedium alternatim, seiunctis portionibus, excolatur. Si conductor, cessante contractu, pergat in conductione cum tacito domini assensu, novus contractus intelligitur adesse ad tempus indeterminatum. Conductor potest pretii reductionem exigere si tota vel dimidia fructuum collectio pereat, saltem si subsequentium annorum collectione non compensetur.

γ) *In locatione praediorum colonica*, omnia superius exposita in genere servanda, sed haec in specie. Amissio fructuum ex damno fortuito utrumque onerat, dominum sc. et colonum. Quae ad praedii culturam pertinent colonum onerant; sed ad novam ordinariam plantationem arbores debent a domino suppeditari. Locatio colonica nunquam iure cessat, sed licentia danda est ab alterutro, iuxta

locorum consuetudinem. Dominus vero potest a iudice resolutionem contractus postulare, tum si conductor condiciones contractui appositas posthabeat, tum si morbo habituali ita laboret ut praedio excolendo inhabilis factus sit. Morte coloni, contractus cessat anno agrario exeunte, sed si mors inciderit in postremum quadrimestre tempus, ius erit filiis vel, his invitis, viduae coloni in conductione perseverandi ad subsequentem annum.

δ) *Locatio* seu *societas animalium* (*sóccida*) *simplex* (seu *ordinaria*) habetur, quum alter animalia, alter operam (sc. custodiam et alimenta) confert; *s. aequis partibus*, quum uterque eumdem animalium numerum confert, alteruter insuper operam praestat. Si tempus non fuit determinatum, intelligitur societatem esse ad triennium; de omnibus possunt conventiones particulares fieri, iis exceptis quae lege vetantur. In societate simplici seu ordinaria, aestimatio animalium facienda est ab initio; lac, stercus, labor ab animalibus praestitus conductori cedunt: cetera omnia, ut lana, pilus, fetus, incrementum pretii animalium, utrique cedunt. Si animalia pereant vel eorum pretium decrescat conductoris culpa, hic damni tenebitur; secus, locatori perit pecus et pretium decrescit. Quum societas cessat, locator animalia facit sua donec sibi habeat pretium primae aestimationis, et, si tanti animalia non sint, omnia locatori cedunt: cetera, si supersunt, aequis partibus inter utrumque dividuntur. — In societate aequis partibus, ea omnia item valent; at locator facit suum dimidium lanae, pili et aucti pretii animalium. — *Societas animalium improprie dicta* habetur quum una vel plures vaccae alteri traduntur custodiendae et alendae ea condicione, ut locatori maneat dominium et cedant vituli nascituri, reliquum lucrum conductori cedat.

ε) *Societas animalium cum conductore* habetur, quum praedium locatur alicui simulque ei animalia pretio aestimata traduntur, ea lege, ut, cessante locatione, conductor animalia restituat iuxta pretium primae aestimationis. Animalium dominium

locatori manet, sed periculum in conductorem transfertur; huic cedit omne lucrum, excepto stercore, quod in praedii locati culturam insumendum est. — *Societas animalium cum colono* iisdem regitur normis ac societas simplex seu ordinaria, et cessat cessante locatione (*colonia*). Sed locator pacisci potest, sive ut lanam totam sibi capiat, soluto pretio pro rata coloni sed citra ordinarium, sive ut fructuum maiorem partem percipiat, sive ut dimidium lactis sibi cedat.

ζ) *Locatio operarum in genere* (cui quodlibet officium *per se* accensetur, sed plerumque ea esse laboris manualis in officinis, in agris intelligitur), ut sit licita, requiritur: *a*) Tum ex parte *conductoris* (eius sc. cui operae praestantur), tum ex parte *locatoris* (eius sc. qui operas praestat), ut operae sint honestae et licitae, et ut ad vitam non locentur, quod lege prohibetur. *b*) Ex parte *conductoris*, ut locatorem non dimittat ante tempus definitum (nisi ex iusta causa); secus mercedes futuri temporis ei debebit, ex iis deducens quantum locator apud alium per id tempus fuerit lucratus; praeterea ut ei *mercedem iustam* impertiat. Et iusta erit quae sufficiat ad operarium alendum eo die simulque eius familiam, impotem, sustentandam; feminis vero eadem ac viris, si eamdem laboris qualitatem et quantitatem praestent, quod ceterum regulariter non evenit; adolescentibus, ratione habita laboris et operae. *c*) Ex parte *locatoris*, ut operas praestet ad tempus definitum; et si a locatione discedat sine iusta causa, damni tenebitur.

Quaeritur utrum operariis ius competat *a*) intermittendi operas (*sciopero*) vel eas non locandi ulterius, donec conductores cum iisdem non consentiant de condicionibus locationis, quas ii proposuerint; *b*) exigendi *partem lucri* a conductoribus percepti (*cointeressenza*). Respondemus: ad *a*), id *per se* licere, si causa sit iusta; praevideatur vel rationabiliter praesumatur exitum futurum esse favorabilem; lucrum praestet damnis pecuniariis, quae ex intermissione operarum oriuntur; modo rixae,

odia ne excitentur, neve agatur de muneribus publicis, e quorum intermissione respublica nimia pateretur incommoda ac detrimenta; ad *b*), id ius operariis non competere, sed eos vocari in modicam lucri partem, consentaneum esse hominis dignitati, rerum naturae, et aequitati.

n) *Locatio operis in specie* tunc habetur quum alicui opus aliquod committitur perficiendum, pretio determinato. *Conductor* seu susceptor *operis a*) illud integrum opus debet conficere *per se* ipse, sc. opera sua (si peritia eius quaesita fuit), intra tempus sibi constitutum, pro pretio de quo consensit quodque nec ipse augere nec locator imminuere potest, etsi medio tempore pretia creverint vel decreverint; *b*) quum ipse rem suppeditat et operam praestat, si res perit ante quam tradatur, ei perit, excepto casu quod locator moram fecerit recipiendi; quum vero rem locator suppeditat, si res perit, sine conductoris culpa, ante quam tradatur, locatori perit, sed in casu, quo res non perierit ob vitium in ea insitum, conductor mercedem amittit; *c*) peccat contra iustitiam si condiciones contractui appositas non servet et, ad maius lucrum sibi comparandum, tum adhibeat viliorem materiam operamque segniorem vel imperitiorem, tum operariis mercedem deprimat citra iustam; *d*) tenetur de damnis, quae tum locatori operariorum culpa, tum operariis ratione locationis enascantur. — *Locator operis a*) debet pretium constitutum solvere conductori, vel eius heredibus pro rata si contractus morte conductoris dissolvatur; *b*) si operarii in conductorem actionem proponant mercedis habendae, obligatur erga eos non ultra pecuniae quantitatem, quam conductori adhuc debeat; *c*) ius habet ad contractum quandolibet resolvendum, indemni omnino conductore.

Iure canonico (CIC. can. 1541) locatio fundi ecclesiastici ei fieri debet qui, ceteris paribus, plus obtulerit, additis semper condicionibus de limitibus custodiendis, de bona cultione, de canone rite solvendo, de opportuna cautela pro condicionibus,

implendis. — Pro locatione bonorum ecclesiasticorum si valor (et heic, si quid opinor, *valor*, contra quam in alienatione, debet intelligi *pretium locationis*) excedat 30.000 libellarum et locatio sit ultra novennium, requiritur beneplacitum apostolicum; si citra novennium, benepl. Ordinarii, de consensu Capituli cathedralis, Consilii administrationis et eorum quorum interest. Si valor sit intra 1000 et 30.000, et locatio ultra novennium, benepl. Ordinarii etc. ut supra; si citra novennium, Ordinarii, audito administrationis Consilio, nisi res minimi momenti sit, et de consensu quorum interest; item si valor non excedat 1000 libellas et locatio sit ultra novennium; si locatio sit eiusdem valoris et citra novennium, fieri potest a legitimis administratoribus, monito Ordinario. — In locatione bonorum beneficialium anticipatae solutiones ultra semestre vetantur iniussu Ordinarii, qui potest eas in casibus extraordinariis permittere, cauto tamen, per opportunas praescriptiones, ne locatio vergat in damnum loci pii (seu Ecclesiae in qua situm est beneficium) aut successorum in beneficio (can. 1479).

309. Societas est contractus, quo duo vel plures aliquid (sive res, sive pecunias, sive operas) in commune conferunt, ut lucra inde oritura dividant.

Societas a) constitui potest ab iis, qui contrahere et alienare iure possunt; *b)* si fiat, rebus immobilibus vel solo earum usu in commune collatis, ultra novennium valide initur, at scripto documento, quod, contra, ad societatem citra novennium ineundam non est necessarium; et si solus rerum usus confertur, rei periculum manet apud dominum, nisi bona, facto inventario, fuerint aestimata; *c) administratur* ab eo e sociis, cui administratio fuerit demandata, quaeque ei adimi nequit nisi ex graviore causa; si administratio nemini fuit commissa, omnes administrant, sed singuli damni tenentur si neglegenter officium gerant; *d) cessat*, sive elapso tempore praestituto, sive cessante fine,

sive morte, interdictione, eversione rei familiaris seu cessione a foro (*fallimento*) cuiuslibet e sociis.

Societas, alia *universalis*, alia *particularis*. *Universalis* duplex: *altera*, qua omnia bona conferuntur in commune, nedum exstantia, sed etiam aes alienum antea a singulis contractum et bona quae aliunde, constante societate, singulis obvenerint; *altera*, qua bonorum dominium manet apud singulos, sed in commune conferuntur usus eorumdem et lucra ex iis oritura, non autem quae ex alia causa lucrativa (ex. gr. ex donatione) singuli capiant, nec aes alienum, quod societatis constitutionem antecesserit. *Particularis* ea est, qua conferuntur nonnullae res earumque usus, vel operarum aliquarum exercitium (ut ex. gr. professionis, industriae, artis). In societate particulari sunt communia damna quae inciderint, aes alienum quod constante societate contractum fuerit; sed si quis e sociis, in bonum commune, aliquid e suo, necessitatis vel utilitatis causa, insumpserit, ei restituendum erit, foenore addito, a die solutionis computando. Cessante societate, unusquisque *suum* recipit, si in usum contulit; *pretium*, si in dominium (C. C. I. a. 1697-1736).

Societatis contractui accensetur **contractus trinus.** Hic habetur quum *a*) duo societatem ineunt et unus confert rem vel pecuniam ad rem emendam, alter operam (*societas*); *b*) primus paciscitur cum altero de sorte sibi ab eo assecuranda, relinquens assecuranti partem lucri sperati (*assecuratio*); *c*) primus insuper cedit alteri aliam partem lucri sperati et incerti sibi obventuri, modo *certum* lucrum in minore quantitate sibi ab altero detur (*venditio*). Ex. gr. Titius confert in societatem cum mercatore, qui operam ponit, 1000 libellas, e quibus speratur oriturum lucrum annuum 300 libellarum. Ratione societatis, utrique cederent 150 libellae. At Titius paciscitur cum mercatore ut hic sibi sortem assecuret; ad id, cedit mercatori 50 libellas, solis 100 libellis contentus. Sed quoniam hae 100 libellae sunt in spe, rursus paciscitur ut sibi dentur

a mercatore 50 libellae tantum, reliquo lucro mercatori cedente. Cum singuli contractus sint liciti, licitus est etiam *trinus contractus*.

310. Transactio est contractus, quo duo vel plures, aliquid dando, promittendo vel retinendo, litem inceptam finiunt vel orituram praeveniunt. Transigere possunt qui disponunt iure de rebus, quae sunt transactionis obiectum; licet iis, transigendo, apponere poenam, ab eo, qui in mora sit, subeundam; sed transactio unius non obligat condominos. Transactio habet vim sententiae irrevocabilis: at poterit esse nulla vel rescindibilis in nonnullis casibus iure recognitis, de quibus videsis C. C. I. a 1773-1777. Cf. etiam CIC. can. 1926-1932.

311. Census definitur contractus, quo quis aut *a*) cedit alteri fundum urbanum vel rusticum, sibi reservans vel adquirens ius percipiendi annuam praestationem rei vel pecuniae (*census reservativus*), aut *b*) alteri cedit quamdam pecuniae vim non repetendam, hypotheca in fundo alterius urbano vel rustico constituta, sub eadem condicione annuae praestationis (*c. consignativus*, at in C. C. I. *redditus simplex* seu *census*). Qui censum sibi reservat vel adquirit, *censualista;* qui solvit, *censuarius* appellatur. *Censualista*, ex lege positiva, ius non habet redimendi censum, nisi qûum censuarius biennio continuo censum non solverit, vel hypothecam aliasve cautiones non constituerit, vel iis alias aeque tutas non substituerit, vel impar solvendo factus sit, vel si praedium censuale subdivisum fuerit plus quam inter tres personas; *censuarius* contra *semper* censum potest redimere, nisi tamen condicio contractui apposita fuit ne census redimeretur ad vitam censualistae, aut ante definitum tempus (quod, iure, in c. reservativo nequit excedere tricennium, in c. consignativo decennium), aut nisi censualista praemonito et elapso a praemonitione certo tempore, quod annum excedere nequit (C. C. I. 1778-1788).

312. Contractus aleatorii ii sunt, quibus certo pretio incertum lucrum quaeritur vel incertum damnum avertitur. Praecipui recensentur *Sponsio, Ludus, Loteria, Assecuratio, Ludus bursae, Vitalitium:* de singulis breviter.

α) *Sponsio* (*scommessa*) est contractus, quo duo vel plures de alicuius rei veritate aut de futuro eventu disputantes conveniunt de praemio ei qui vicerit solvendo: et si praemium ab una tantum parte erit solvendum, contractus est unilateralis: si ab utraque, bilateralis. Sponsio *a*) ut sit *valida*, fieri debet animo se obligandi, licet desit animus solvendi: et *victus*, cui animus se obligandi defuerit, non tenetur solvere; *victor*, qui animum obligandi se non habuit, nequit praemium exigere vel acceptum retinere; *b*) ut sit *licita, debet* fieri ad licitum finem; prodigalitate non peccare; esse de re honesta et indifferenti, ne convertatur in incitationem ad malum (ut si spondeas alterum esse alicuius rei malae incapacem); debet etiam utrinque aequale esse praemium (at alteruter sponte maius polliceri potest); utrinque aequalis esse incertitudo rei vel futuri eventus (at si quis, certus, alterum praemonuit se in certitudine versari et hic tamen spondere voluit, contractus tenet). C. C. I. negat actionem sponsioni, nisi sit adnexa ludo cui actio concedatur; de quo inferius.

β) *Ludus* est contractus quo ludentes inter se paciscuntur de certo pretio in praemium victori dando. Alter *aleatorius,* in quo eventus unice a sorte pendet (ut ludus alearum - *dadi*); alter *industrialis,* in quo eventus pendet a ludentis peritia (ut ludus latrunculorum - *dama, scacchi*); alter *mixtus,* in quo eventus partim a sorte, partim a ludentis peritia pendet (ut ludus chartarum). Ut ludus *a*) sit *validus* — sc. ut obliget ad praemium tradendum et conferat ius ad praemium — necesse est, ut *utrinque* adsit aequalitas moralis tum in spe lucrandi tum in periculo perdendi, libertas (quae ex. gr. in ebrio deest), ius alienandi pretium quod in praemium constituitur, et *utrinque* absint fraudes

et artes illicitae. Ut ludus vero *b*) sit *licitus*, necesse est ut sit honestus in se et in adiunctis; prodigalitate non peccet [at, si ludus validus fuerit, etsi prodigalitate laboraverit, victus non poterit obligari ad solvendum (v. infra), victor ad acceptum reddendum]; lege positiva non prohibeatur neve irritetur (at si lex sit dumtaxat prohibens, victor praemium facit suum: secus, si sit irritans). In C. C. I. ludis in genere actio negatur; sed conceditur, modo pretium non sit immoderatum, ludis qui corporis exercitium sibi proponunt; et qui solverit in ludo *iusto* repetere nequit, nisi sit minor, interdictus, inhabilitatus (C. C. I. a. 1802-1804).

γ) *Loteria* est contractus, quo qui certum pretium solverit ius adquirit habendi sibi rem vel pretium expositum, si sors ei faveat. Ut sit *iusta* necesse est ut tanti sors valeat, quanti spes ludentis; et haec eo maior erit, quo maior sit res vel maius pretium expositum, quo plura sint praemia, quo minor ludentium numerus. Sed qui emit, excessum regulariter donare censetur, eo magis si agatur de loteriis ad pias causas.

δ) *Assecuratio,* alia *damnorum,* alia *vitae: illa* compensat damna fortuita alteri obventura, pro certo pretio; *haec,* item pro certo pretio quotannis solvendo assecurat vel *a*) heredi solventis vel tertio cuilibet iuxta eius voluntatem, post solventis mortem, determinatam pecuniae vim, vel *b*) eidem solventi pecuniae vim vel annuum reditum, quum ad certum aetatis annum pervenerit. — Ut *assecuratio damnorum* iusta sit, requiritur *a*) ex parte *assecurati,* ut declaret integre periculum rei assecuratae et illud, contractu inito, ex industria non augeat; *b*) ex parte *assecurantis*, ut pretium assecurationis sit periculo rei proportionatum, et ipse habeat revera unde damna compenset. Assecurans tenetur damna compensare quae reapse assecuratus passus fuerit: et si periti vel arbitri compensationem maiorem statuant, licite eam assecuratus accipere et retinere potest. At assecurans non tenetur compensare damna quae ex gravi culpa

theologica seu dolo assecurati vel cognatorum eius rei obvenerint. *Assecuratio vitae* ut valida sit, requiritur ut periculum, quod assecurans in se suscipit, sit proportionatum pretio quod assecuratus solvit; quare si assecuratus *mala fide* neget vel reticeat circumstantiam, ex qua vitae probabilitas serio minuitur et, qua cognita, assecurans a contrahendo abstinuisset, contractus erit nullus.

ε) *Ludus bursae* est *pecuniarius* quum veniunt in contractum pecuniae seu valores (actiones, obligationes); *commercialis*, quum merces (oleum, frumentum etc.).

Operationes bursae ordinariae sunt *operationes ad terminum* et *operationes ad praemium*. In *operationibus ad terminum* emuntur valores vel merces pretio currenti, ea condicione, ut sive merces vel valores, sive pretium, tradantur post certum tempus, sc. aliquo liquidationis die, regulariter primo vel quinto decimo mensis. Si die liquidationis pretium creverit, venditor, qui tradere deberet merces vel valores, quoniam horum pretium auctum est, ut patet, differentiam inter utrumque pretium perdit; si, contra, die liquidationis pretium decreverit, differentiam lucratur. Iamvero merces et valores plerumque non traduntur (et in hoc ludi essentia), sed in primo casu venditor solvit emptori differentiam; in altero casu, emptor eam venditori solvit. — In *operationibus ad praemium* emptor sibi reservat ius rescindendi contractum certo die ante diem liquidationis, et se obligat ad praemium venditori solvendum si rescindat; si vero non rescindit, contractus e condicionato fit absolutus.

Operationes bursae, quae ludo industriali vel mixto accenseri possunt, cum in iis sagacitas et prudentia exerceantur ad praevidendum futurum pretium, sunt *per se licitae*, quia in operationibus ad terminum utrinque lucrum et damnum dari potest, et in operationibus ad praemium venditur ius pretio aestimabile; sed *in praxi* interdum illicitae evadunt, tum si media iniusta adhibeantur ad va-

lorum et mercium pretium artificiose augendum vel minuendum, tum si magna pecuniae vis exponatur, cum gravi ludentium eorumque familiarum iactura.

ζ) *Vitalitium* est contractus, quo quis se obligat, pro sorte (pecunia, mobilibus, immobilibus) sibi in perpetuum data, ad praestationem (pecuniam annuam vel alimenta) alicui, ad vitam eius vel tertii, persolvendam. Si sors immobilibus constet, vitalitium debet scripto contrahi, et, si cautiones a debitore praestandae determinentur, hae praestandae erunt; secus, contractus erit rescindibilis ad petitionem creditoris, sc. eius qui sortem dedit. Vitalitium, eo casu excepto, irrevocabile est; nempe rescissionem petere neque debitor potest, eo quod onus ei factum sit intolerabile; neque creditor, eo quod debitor annuam praestationem non solverit: in hoc casu creditor ius habet petendi ut bona debitoris occupentur et vendantur, et ex vi pecuniae, percepta e venditione, tantum distrahatur quantum annuae pensioni constituendae et assecurandae sufficiat (C. C. I. a. 1789-1801).

— *De singulis contractibus subsidiariis.* —

313. Contractus subsidiarii sunt *Antichresis*, *Fideiussio*, *Pignus*, *Hypotheca*.

α) *Antichresis* est contractus, quo creditor re immobili, a debitore tradita, utitur fruitur ea condicione ut fructus perceptos imputet in solutionem foenorum et sortis quae sibi debentur. Debitor nequit repetere rem immobilem, nisi pretio integre soluto; at creditor potest, nisi expresse hoc ius abdicavit, rem immobilem debitori quandolibet restituere, et ius suum alia via persequi. Creditor, nisi aliter conventum fuerit, tenetur tributa solvere et necessarias reparationes vel impensas facere, *praecipiendo* quidquid solverit e rei immobilis fructibus; at nunquam fiet rei immobilis dominus, quantumvis mora protrahatur (C. C. I. a. 1891-1897).

β) *Fideiussio* est contractus, quo quis alienam obligationem in se suscipit, manente tamen obligato debitore principali. Fideiussorem posse, pro praestita fideiussione, aliquid exigere vel accipere, communis sententia est.

Ex C. C. I., fideiussionem praestare nequit nisi cui sit contrahendi potestas, res familiaris ad cautionem sufficiens, commoratio intra limites iurisdictionis eius Curiae appellationis (*Corte d'appello*), intra quos fideiussio erit praestanda. Fideiussor non potest obligari ultra id, quod a debitore principali debetur, nec sub gravioribus condicionibus: potest immo obligare se pro debiti parte et sub levioribus condicionibus. Tenetur erga creditorem solummodo in defectu iuridice probato debitoris principalis; qui proinde prior excuti debet, saltem si fideiussor id exposcat inde ab initio litis contra se propositae, et, bonis debitoris principalis creditori denuntiatis, antea solvat impensas principali debitori excutiendo necessarias. — Si plures sint fideiussores pro eodem debito, in solidum omnes tenentur; sed unicuique e fideiussoribus ius est petendi, ut creditor dividat actionem suam exigendo partem a singulis. Et si creditor actionem suam dividat *sponte sua*, nequit a facto recedere et damno suo imputabit quidquid fideiussores singuli sint solvendo impares; si dividat actionem ad petitionem cuiuslibet e fideiussoribus, tum hic tum reliqui tenentur pro rata cuiusvis ex iis solvendo imparis. — Fideiussor, qui pro debitore principali solverit, succedit in iura creditoris tum contra debitorem principalem, tum contra reliquos fideiussores pro eorum rata, in casibus a iure statutis (C. C. I. a. 1898-1931).

Ex CIC. can. 137, a fideiubendo, etiam de bonis propriis, clericus prohibetur, inconsulto loci Ordinario.

γ) *Pignus* est contractus, quo debitor rem mobilem, in assecurationem crediti, creditori tradit, ea condicione, ut eadem sibi in individuo restituatur, soluto debito. Creditor *potest a*) retinere pignus usque ad *integram* debiti exstinctionem, et,

si *concreditor* sit, sua parte crediti **percepta, aliis** concreditoribus pignus tradere tenetur; *b*) si debitum non solvatur, iudicialiter petere ut pignus sub hasta vendatur, vel ipse sibi illud habeat, pretio, quod ex peritorum aestimatione superesse constet, persoluto debitori; *c*) exigere a debitore solutionem impensarum, quae ad pignoris conservationem sint necessariae; — *debet* pignore non uti, nisi ex debitoris consensu, et pignoris fructus, si qui sint, imputare in debiti imminutionem (C. C. I. 1878-1889).

δ) *Hypotheca conventionalis* est contractus, quo debitor *obligat* creditori rem immobilem in securitatem crediti. Hypotheca, ut valeat et effectus iuridicos sortiatur, constituenda est modis iure praescriptis: praecipuus vero effectus iuridicus hypothecae rite constitutae is est, ut bonis debitoris vel sponte vel iudicialiter venditis, creditor hypothecarius ceteris creditoribus communibus praeferatur (C. C. I. a. 1974-1980).

Ius canonicum de oppignorandis vel hypothecae nomine obligandis bonis ecclesiasticis idem statuit quod de aere alieno contrahendo (cf. **299** in fine).

Cap. II. De iuris laesione seu de iniuria.

Art. 1. De iniuria in genere.

314. Iniuria est iuris alieni stricte sumpti violatio. Potest esse *a*) *formalis* vel *materialis*, prout deliberate admittitur, necne; *b*) *personalis* vel *realis*, prout fertur in personam (sc. in bona animi et corporis), vel in bona externa; *c*) *verbalis* aut *realis*, prout fit verbo vel factis; *d*) *mera* (seu *simplex*) vel *damnosa*, prout damnum alterius abest ab iniuria, vel cum ea coniungitur.

Hic agimus non de iniuria personali, sed de reali. Ius in bona fortunae laeditur tum per iniustam rei ablationem, ex qua auferens lucrum capit, tum per iniustam damnificationem, ex qua

damnificator lucrum non percipit. Iniusta rei ablatio, seu furtum, et iniusta damnificatio specie non differunt, ut patet.

Art. 2. De iniuria in specie.

§ 1. *De Furto.*

I. *De furti natura et malitia.*

315. Furtum definitur occulta ablatio rei alienae, cum animo eam sibi retinendi, domino rationabiliter invito. Dicitur ablatio occulta, ut distinguatur a *rapina;* haec est ablatio rei alienae, domino praesente et invito, per vim ei illatam, et specie differt a furto quia iniuriae reali addit personalem. Ceterum quae de furto dicuntur quoad gravitatem applicentur etiam rapinae et damnificationi.

Furtum est *ex genere suo grave*, tum quia laedit iustitiam commutativam quae sub gravi obligat, tum quia ab Ap. Paulo adnumeratur inter peccata quae a regno Dei excludunt. Potest leve esse ex parvitate materiae.

Materia in furto alia est *absolute gravis*, sc. quae respectu omnium gravis habetur; alia *relative gravis*, sc. gravis pro domini condicione. *Gravitas absoluta materiae* desumenda est *a*) e pretio rei; *b*) ex damno, quod societas pateretur, si talis materiae ablatio non esset sub gravi vetita; *c*) si non ex damno individui, saltem ex eo, quod dominus, etiam ditissimus, sit rationabiliter invitus ob damnum sociale. *Gravitas materiae relativa* deducitur ex damno quod domino infertur pro eius condicione, et ex communi sententia ea materia habetur relative gravis, quae ad sui suorumque diariam sustentationem sufficiat. — Materia *absolute gravis* hodie censeri possunt 50 libellae. — Materia *relative gravis* censentur: relate ad pauperes mendicantes una libella vel minus; relate ad operarios,

qui diurno labore victum quaerunt, quinque libellae; relate ad opifices, artifices, mercatores circiter decem; relate ad mediocriter divites, decem; relate ad vere divites, viginti; relate ad ditissimos, materia relative gravis confunditur cum absolute gravi. Haec non ad unguem accipi debent, sed consideranda sunt locorum adiuncta et valor pecuniae, qui non idem ubique est.

II. *De causis furti gravitatem minuentibus.*

316. Scribit Card. D'Annibale (II, 252) et iure prorsus: « Cum furtum non sit, nisi quod fit domino rationabiliter invito, quo is minus invitus creditur, eo maiore quantitate opus est ut letale dici possit... Magis an minus invitus praesumi aliquis potest ex personis, ex rebus, ex modo ». Singula persequamur.

A) *De furtis domesticis. Furta filiorumfamilias* ut grave peccatum constituant, requiritur plerumque materia duplo maior quam in furtis extraneorum; pro *uxoribus* etiam maior, praesertim si pecuniae vel res ablatae in usum familiae impendantur. Obligatio restitutionis non est nimis urgenda quia fere semper condonatio patrisfamilias praesumi potest, saltem si res ablatae non fuerint in quantitate excessiva vel in usus ab oeconomia familiari alienos insumptae. Quoad *furta famulorum*, si famuli surripiant pecuniam vel alia, quae diligenter custodiri solent, haec furta sunt perinde aestimanda atque extraneorum, quia dominus censetur eodem modo invitus; si in adquirendis rebus, quae ad domesticam oeconomiam et ad victum parandum spectant, aliquid demant, ad gravitatem maiore opus est materia quam in furtis extraneorum, quia rationabiliter praesumitur dominum minus invitum esse, praesertim si ii sint diligentes; si surripiant esculenta vel poculenta, quae plerumque iis patent, in quantitate non immoderata, leve admittunt, aut ne leve quidem si ipsi ea consumunt.

B) *De furtis rerum expositarum.* Res expositas hic intelligimus eas, quae sponte aut saltem sine extraordinario hominum labore crescunt, et iuxta vias patent, ut fructus ex. gr. et ligna silvarum. Fere omnes concedunt *a*) peccatum abesse, si unum alterumve *pomum* vel *uvae racemus* auferatur ut manducetur vel, ex praesumpto domini consensu, si operarii, ad fructus colligendos conducti, ex iis, opera constante, comedant; *b*) leve esse, tantum decerpere, quantum fur manducare ipse potest. Sed ratio habenda est locorum et damni, quod saepe fit grave, quum sc. domini coguntur fructus immaturos colligere ne omnes surripiantur. — *Ligna* in silvis caedere, quae privatorum sint vel ad aliud territorium pertineant, grave potest esse pro damni quantitate, nisi agatur de sarmentis et lignis aridis; in silvis caedere, quae ad propriam communitatem spectant, culpa omni vacabit, saltem si id pauperes faciant in quantitate usui domestico necessaria.

C) *De furtis minutis.* Quoad furta minuta pluries repetita, duo investiganda sunt: quando ea coalescant in materiam gravem, et quaenam quantitas materiam gravem constituat.

Furta minuta in materiam gravem coalescunt: a) Per *intentionem* perveniendi ad materiam gravem, sive in damnum eiusdem domini sive plurium patrentur, etsi longiore intervallo interposito; et nedum grave admittitur quum intentio concipitur, sed rursus quum intentio iteratur seu renovatur. *b*) Per *conspirationem*, quum sc. plures communi consilio et consensu materiam gravem surripiunt, etsi singuli levem, in damnum unius vel plurium; et singuli, quum per singula furtula materia gravis attingitur, mortaliter peccant. Si, *sine mutua conspiratione*, ex unius *pravo exemplo* excitati, alii furtula admittunt quae simul grave damnum inferant, *hi* leviter contra iustitiam peccant; *ille* leviter contra iustitiam, graviter contra caritatem, modo grave damnum inferendum praeviderit. *c*) Per *multiplicationem*, tunc, quum non modo per fur-

tula, in damnum unius vel plurium patrata, materia gravis attingitur, sed simul vel *res ablatae retinentur* vel inter singula furtula *non intercessit longum intervallum*. Sane restitutio impedit quominus furta coalescant; et, ne coalescant, impedit etiam *intervallum duorum mensium,* si de iis furtis agitur, in quibus singulis materia fere gravis attingatur; *mensis,* si de iis, quae singula a materia gravi multum distent; *hebdomadae,* si de exiguis furtulis, quae fere nunquam coalescunt. Praeterea *aa*) qui sine advertentia ad materiam gravem pervenit, letali caret, at tum incidit in letale, quum, animadvertens se ad materiam gravem pervenisse, non sibi proponit restitutionem; *bb*) coalescentibus per multiplicationem furtulis, furtulum quod gravem materiam complet grave est; praecedentia sunt levia; posteriora unum numero peccatum grave cum priore constituunt, si perduret voluntas retinendi ablata et advertentia ad grave damnum illatum: secus sunt singillatim levia.

In furtulis quae coalescunt, ad grave peccatum requiritur materia *aliquanto,* ex. gr. *dimidio,* immo, ut abundemus, *duplo maior* quam relative gravis, si in damnum unius eiusdemque domini fuerint patrata. Si in damnum plurium, *absolute gravis;* difficilior sane mihi est, ne falsam dicam, eorum sententia, qui requirunt materiam duplo maiorem absolute gravi.

317. *In furto rei vel rerum ad plures condominos pertinentium,* quae materiam gravem constituunt, letale admittitur, non ob damnum singulorum, quod potest grave non esse, sed ex eo quod rationabiliter praesumuntur inviti singuli ob damnum quod societas humana pateretur si furta non prohiberentur sub gravi. At in casu quantitas absolute gravis requiritur.

III. *De causis a furto excusantibus.*

318. **Causa duplex** est, quae rei alienae ablationem reddit licitam: sc. *extrema necessitas,* et *occulta compensatio.*

1° **In necessitate extrema** vel quasi-extrema seu gravissima (cf. n. 132), orta sive ex causis naturalibus, sive ex malitia hominum, ut ex. gr. e latronum minis, omnia sunt communia. Proinde *a*) qui est in n. extrema vel quasi-extrema constitutus tantum de bonis alienis sumere potest, quantum *sufficiat* ad se a necessitate liberandum (modo alter non sit in eadem necessitate (1), quia in pari causa melior est condicio possidentis); quod valet, ex fere communi sententia, etsi illud, quo opus habes, magnum aliquid sit, ex. gr. magna pecuniae vis latronibus tradenda, ut vitam serves; — *b*) quum licet rem auferre, licebit item eam rem retinere eaque uti quae apud se est, ex. gr. deposita, commodata, vel furto antea sublata, nam, cum, restituta, posset ex necessitate domino iterum surripi, restitutio esset inutilis; — *c*) qui conscius extremae necessitatis, in qua quis versatur, eum impedit quominus necessarium auferat, laedit graviter iuxta nonnullos iustitiam, at certo caritatem; qui, item conscius, eum privat re iam ablata, graviter laedit iustitiam et, si necessitas eius extrema perduret, ad restitutionem tenetur; — *d*) cum, qui potest per se facere, idem possit per alium, cuivis licebit pro alio necessitate extrema laborante surripere, imo interdum poterit ad id ex caritate teneri, eique licitum erit, parcendo suis, aliena auferre, quia omnia sunt communia; — *e*) diximus, ad *a*): *quantum sufficiat;* et sane, si usus rei sufficiat, licebit unice re uti, postea restituenda: et si quis, in extrema vel q. e. necessitate constitutus, habeat *in spe,* poterit mutuum vel commodatum petere.

(1) Ita, ex. gr. in naufragio, aliquis ad se salvandum non potest tabulam illi auferre, qui ea ad suam salutem utitur.

Necessitas gravis — et a fortiori communis — a furto non excusat (cf. prop. 36am ab Inn. XI damn.).

2° **Occulta compensatio** habetur cum creditor, inscio debitore, tantum ex eius bonis sumit, quantum ad debitum exstinguendum sufficiat. Occulta compensatio est *per se* illicita, quia creditor debet suum recuperare ordinariis modis vel adeundo iudicem: ceterum multis est obnoxia periculis, et in praxi non facile consulenda neve concedenda. Sed *licita* evadit si hisce condicionibus pareat: *a*) ut debitum sit *verum*, sc. stricto iure innixum, et *moraliter certum; b*) ut debitum *nequeat aliter recuperari,* saltem sine damno creditoris, sine magnis expensis; quin rixae et odia excitentur; ex eo quod iudex adiri non possit ex probationum defectu, quia suspectus etc.; *c*) ut *compensatio fiat in individuo* vel *in specie,* si fieri ita possit; *d*) ut *damnum debitoris praecaveatur*, sc. ne bis solvat: et si, compensatione facta, debitor inscius denuo solvere velit, solutio erit ei ficte condonanda, et, si id fieri ex adiunctis nequeat, erit occulte restituendum; *e*) ut *damnum proprium, suorum, aliorum praecaveatur:* nam ex. gr. famulus, qui se compenset, potest domo expelli; pater, se compensans, scandalo esse filiis; famulus damnificare conservos, in quos suspicio incidere queat.

Quoad famulos, notandum est, posse eos se compensare iure: *a*) si dominus non solvat mercedem, de qua pactus est, vel aliquid iniuste subtrahat; *b*) si merces, de qua conventum fuerit, sit infra infimam, et famulus in eam consenserit, tum metu, tum necessitate compulsus, nisi tamen aliis emolumentis sarciatur; *c*) si indebitis laboribus invitus gravetur.

Mercatores licite se compensare poterunt *a*) si *iniuste cogantur* merces infra iustum pretium vendere; *b*) si *per errorem* infra iustum pretium vendiderint; *c*) si solutionem *certi et veri debiti,* aliter, sine gravi incommodo obtinere nequeant.

§ 2. *De iniusta damnificatione.*

319. Iniusta damnificatio patrari potest pluribus modis: *primo,* rem alterius damnificando vel destruendo sive per actionem positivam, sive per omissionem actionis debitae; *secundo,* impediendo alterum, quibuslibet mediis, sive directis sive indirectis, quominus consequatur bonum ad quod strictum ius (sive in re, sive ad rem) habet; *tertio,* impediendo mediis iuiustis alterum, quominus consequatur bonum, ad quod strictum ius non habet; *quarto,* impediendo, ne alter tertii cuiusvis damnum praecaveat vel avertat.

Gravitas damnificationis *ex damni illati quantitate* desumenda est, iuxta regulas pro furto traditas.

Cap. III. De iuris laesi reparatione, seu de restitutione.

Art. 1. De restitutione in genere.

§ 1. *De restitutionis definitione et necessitate.*

320. Restitutio definitur reparatio damni proximo iniuste illati.

Restitutio: *a) Necessaria est ad salutem,* tum *necessitate praecepti* naturalis et divini (« *Prout vultis, ut faciant vobis homines, et vos facite illis similiter* »: Luc. VI, 31 — « *Si laeserit quispiam agrum aut vineam,... pro damni aestimatione restituet* »: Exod. XX, 5), tum *necessitate medii,* saltem *in voto* quum impossibilis est restitutio *in re,* quia cessat in casu saltem iniuria formalis. Exigit sane iustitia commutativa, ut alieni iuris violatio desinat esse, et non desinit nisi per redintegrationem, saltem animo volitam, quum ea est de facto impossibilis hic et nunc. — *b) Facienda est ex bonis eiusdem ordinis,* quia iustitia commutativa exigit aequalitatem arithmeti-

cam ; *quum vero ex bonis eiusdem ordinis fieri nequit,* obligatio restitutionis per se evanescit, at restitutio poterit, tum convenienter fieri *ex bonis alterius ordinis* (ex. gr. damnum famae pecunia compensando), tum ex *his* facienda a iudice infligi. — *c*) *Obligat per se sub gravi,* quia ex iustitia commutativa, sed, cum haec recipiat parvitatem materiae, in materia *levi* obligat *sub levi.* Sed si materia levis nunquam est capax obligationis gravis, *in materia gravi* poterit quis obligari *sub levi* ad restitutionem ex eo, quod gravitas obligationis restituendi non e sola gravitate damni desumitur, sed praecipue e formali iniuria eiusque gravitate. Proinde *aa*) qui damnum grave intulit ex deliberata culpa levi — nisi rem ablatam retineat vel e re aliena factus sit iniuste ditior, quo in casu restitutio sub gravi urget —, tenebitur ad restituendum sub levi ; *bb*) qui damnum grave intulit ex culpa, quae fuerit levis ob imperfectionem actus, sc. semideliberata, ad restitutionem iuxta nonnullos tenetur sub levi, iuxta alios minime obligatur, et *verius,* quia ex culpa levi semideliberata non potest obligatio exsurgere.

§ 2. *De radicibus restitutionis.*

321. **Radices restitutionis** vocantur causae, e quibus obligatio restituendi oritur. Tres a Nostris enumerantur : *possessio rei alienae, damnificatio, cooperatio :* haec postrema cum praecedentibus necessario coniungitur.

I. *De possessione rei alienae.*

322. Aliquis possidere potest rem alienam *bona, mala* vel *dubia fide:* ex triplici hoc capite, variae possessoribus enascuntur obligationes.

323. 1° **Possessor bonae fidei** dicitur qui possidet rem alienam, invincibiliter ignorans rem non esse suam. Si possessor bonae fidei legitime praescri-

pserit, ad nihil tenetur. Si nondum praescripserit, videndum quid iuris, quum cognovit rem non esse suam, sive A) *quoad rem,* sive B) *quoad fructus,* sive C) *quoad expensas.*

A) *Quoad rem.* Si possessor b. f. *rem alienam adhuc possidet,* in casu evictionis, rem debet restituere domino; et si eam possidet titulo gratuito, restituit eam, quae, quanta, quomodo exstat, et id in quo factus est ditior; si habuit titulo oneroso, eam restituit, etiam cum pretii iactura, salvo in venditorem regressu, quia dominus habet ius in re et rem vindicare potest apud quemlibet possessorem. — Extra casum evictionis, si rem habuit titulo gratuito, debet domino reddere; si titulo oneroso, potest eam reddere venditori ad pretium recuperandum, quia rem domino servare cum proprio damno non tenetur. — Si dominus sit ignotus, rem ut deperditam habeat (cf. n. 276). *Si res periit* apud se vel apud successivum possessorem, non tenetur erga dominum nisi de eo in quo factus est ditior: et *probabile* est, in casu quo possessor b. f. rem titulo gratuito habitam tertio vendiderit, eum posse pretium retinere, quia extra casum evictionis — et hinc evictio exsulat — venditor in pretium rei plenum dominium adquirit. Si demum *res apud tertium reperitur,* videndum utrum possessor b. f. rem antea possideret titulo gratuito an oneroso. *a*) Si possidebat titulo gratuito, et eam tertio donavit, ad nihil tenetur; si eam tertio vendidit, in casu evictionis aut si emptor rem sponte domino restituat, pretium debet emptori reddere, quia venditor ex iure evictionem praestat; extra casum evictionis, vel quum dominus rem suam a tertio recuperare nequit, alii tenent pretium esse domino restituendum; alii negant, tum quia possessor b. f. non ditescit iniuste ex re aliena, eo quod dominus in eum non habeat actionem neque personalem ratione bonae fidei neque realem quia is rem non possidet, tum quia dominus per accidens damnum patitur et impeditur quominus ius suum persequatur. *b*) Si possidebat titulo one-

roso, tunc, aut rem tertio donavit, et ad nihil tenetur, quia ditior non est factus; aut eam tertio vendidit, et, in casu evictionis et quum emptor sponte restituit, pretium emptori reddere debet, salvo regressu in priorem venditorem; extra casum evictionis, vel ad nihil tenetur, quia recepit vendendo quod solverat emendo, vel, si carius vendidit, de differentia erga dominum tenetur, nisi tamen ea suae industriae adscribi possit.

Iure civili italico domino semper competit actio realis ad rem suam evincendam apud actualem possessorem, cui competit regressus erga eum a quo rem habuit: salva tamen praescriptione, si agatur de rebus mobilibus, deperditis, furtivis vel emptis in nundinis, de qua cf. n. **279.**

B) *Quoad fructus.* Ex C. C. I., cuius dispositio in hac re vim habet in foro conscientiae, tum quia revera dominium transfert, tum quia bono publico consulit et innumeras amovet difficultates, possessor b. f. facit suos fructus et non tenetur restituere nisi eos quos perceperit post iudicialem petitionem.

C) *Quoad expensas.* Possessor b. f. potest repetere expensas necessarias et utiles in rem alienam insumptas; voluptuarias tollere, si separabiles. Sed C. C. I. non distinguit, eique ius concedit ut fiat indemnis pro meliorationibus adhuc exsistentibus tempore evictionis.

324. 2° **Possessor malae fidei** is est, qui iniuste rem retinet, quam scit esse alienam. Videamus quid iuris quoad rem, fructus, expensas, lucrum cessans, damnum emergens.

A) *Quoad rem.* Possessor m. f. qui *rem adhuc possidet*, vel eam emit, sciens esse furtivam, et potest, ante evictionem, eam venditori restituere ad pretium recuperandum, quia nemo cum suo damno tenetur rem domino servare; sed, tum si eam emit, tum si ipse eam furatus est, quum rem adhuc penes eum exstantem dominus repetit, debet eam domino reddere cum eius accessionibus, deducta laboris et industriae aestimatione, at aesti-

mato et refuso eidem domino decrementi pretio si res apud ipsum deterior facta est ex causa, ex qua apud dominum non decrevisset. In praxi non est exigenda plerumque nisi restitutio rei vel pretii, quanti res erat tempore furti. *Si res periit* vel apud se vel apud tertium, cui donavit, tenetur pretium rei domino solvere, nisi tamen res vel ex intrinseco vitio vel ex periculo extrinseco item apud dominum periisset; at si tertio vendidit, quomodocumque res perierit, pretium ex emptione perceptum, ut quod est iniustum lucrum ex re aliena, domino restituere tenetur. *Si res apud tertium reperitur,* ante evictionem, vel in casu quo dominus rem repetere nequit, tenetur rei pretium domino restituere, tum si rem tertio donaverat, tum si vendiderat. At evictione a domino utiliter facta, vel re a tertio sponte domino restituta, si rem tertio donaverat, ad nihil tenetur; si rem tertio vendiderat, tenetur pretium emptori restituere, quum hic bona fide emerat: si vero emptor mala fide emerat, ad nihil possessor m. f. tenetur, tum quia emptori iniuriam non facit, tum quia condicio, omni emptioni venditioni implicita « dummodo res non sit aliena neve evincatur », hic locum non habet.

B) *Quoad fructus.* Possessor m. f. tenetur erga dominum de fructibus perceptis, iis etiam quos dominus non percepisset, et de non perceptis, quos dominus percepisset; exceptis industrialibus et, ex communi hominum sensu, fructibus rei quae minimi sit valoris.

C) *Quoad expensas,* possessor m. f. ius habet ut indemnis fiat de expensis necessariis in rem insumptis; de utilibus, si exstant adhuc; impensas voluptuarias potest deducere, si sint separabiles.

D) *Quoad lucrum cessans et damnum emergens* et ad foenora pecuniae, si de pecunia agatur, *haec* debet, *illa* compensare tenetur domino, si saltem in confuso praeviderit.

325. 3° **Possessor dubiae fidei,** si coepit rem possidere bona fide et postea dubium oritur, te-

netur inquirere, et, si rem non esse suam cognoverit, tenetur ut possessor b. f.; dubio manente, licite pergit rem possidere ex principio « in dubio melior est condicio possidentis ». Si, contra, coepit possidere dubia fide, aut *a*) spoliavit possessorem bonae fidei, et eum in possessionem redintegrare tenetur; aut *b*) rem habuit a possessore bonae fidei aliquo titulo ex. gr. emptionis, et inquirere debet, ut supra; aut *c*) rem habuit *scienter* a possessore dubiae fidei, et, si dubium solvi nequit, communiter Nostri tenent eum, pro rata dubii, vel praesumpto domino vel pauperibus restituere debere. At hoc mihi difficile; verius puto, posse eum in possessione continuare, dummodo sit paratus restituere domino, si hic sit adfuturus (D'Annib., II, 121).

II. *De damnificatione.*

326. Ut damnificatio inducat onus restitutionis, tres condiciones *concurrere* debent: sc. 1° *actio obiective iniusta;* 2° *actio subiective iniusta;* 3° *actio,* quae sit damni *causa certa et efficax.*

1° *Actio obiective iniusta,* quae sc. laedat iustitiam commutativam, seu violet ius alterius strictum sive in re sive ad rem; nec actio desinit esse iniusta, quum violatur ius, quo alter sit certo abusurus (ut. ex. gr. si destruam arma alterius, quibus hic ad homicidium patrandum uti velit et quae hic et nunc ex caritate reddere vetor). Item actio erit iniusta et secum feret restitutionis onus, quum violationi iustitiae distributivae additur commutativae laesio (si ex. gr. officium minus digno conferatur, quum in concursu inest condicio, ut illud digniori cedat).

2° *Actio subiective* seu *formaliter iniusta,* quae sc. sit theologice culpabilis; nam sine voluntario onus restitutionis non intelligitur. Sed obligatio restituendi eum urget, qui, etsi inculpabiliter damni causam posuit, causam auferre neglexit, quum animadvertit tum damnum secuturum esse, tum

posse causam auferri ; nec a restitutione excusabit sola malae voluntatis retractatio, nisi — aliquando — eum, qui causam damni dumtaxat moralem posuit, ut videbimus ubi de cooperatione. *Quando* et *quanta* oriatur ex culpa theologica obligatio restitutionis, diximus n. 320.

A culpa theologica (peccato gravi vel levi) distinguenda est *culpa iuridica.* Haec *lata* dicitur, si est omissio diligentiae, quam homines in suis negotiis adhibere plerumque solent ; *levis,* si diligentiae, quam accuratiores ; *levissima,* si diligentiae, quam accuratissimi homines adhibent. Damnificator per se ex sola culpa iuridica, seiuncta a theologica, ad restitutionem non tenetur in conscientia ; at, eo vel magis quod cum culpa iuridica lata coniungitur theologica, in conscientia obligabitur (quia lex est iusta, cives facit diligentiores, damna praecavet) ad restitutionem post iudicis sententiam, nisi tamen haec nitatur falsa praesumptione facti.

3° *Actio, quae sit damni causa certa et efficax. Certa,* inquimus. *α*) Si dubium positivum oriatur, et solvi nequeat, *a*) utrum actio sit causa damni, *b*) utrum actio vere influxerit in damnum, *c*) quisnam e pluribus, qui causam damni posuerunt quin praeviderent damnificatorem futurum esse incertum, vere damnum intulerit ; cum, in hisce tribus casibus, damnum nemini certo adscribi possit, cessat restitutionis onus. Sed ad restitutionem, pro parte singuli, si fieri potest, secus in solidum ii tenentur qui, ex communi conspiratione, vel animadvertentes damnificatorem ex simultanea causae positione futurum esse incertum, causam posuerunt (ex. gr. si plures glandem e sclopetis in bovem exploserint, et una tantum in corpore bovis interempti fuerit reperta). *β*) Si quis damni causam posuit, ex errore invincibili *a*) circa damni magnitudinem vel aestimationem, tenetur ad restitutionem pro ea parte damni quam praevidit ; *b*) circa personam, cui damnum inferebat (ut ex. gr. si incendit domum Caii, putans eam Titii esse et

volens damnum Titio inferre), inter duas sententias, quarum *prima* a restitutione excusat — quia relate ad Caium, damnum est involuntarium et relate ad Titium non adest —, *altera* iudicat Caio restituendum esse, *hanc* puto veriorem, quia error quoad personam non impedit quominus actio damnificans sit quoad substantiam voluntaria. Sed cum priorem sententiam gravissimi theologi, quos inter S. Alph. et, e recentioribus, D'Annib., tueantur, in praxi poenitentem, qui eam sequi velit, non licebit ad restitutionem obligare (Noldin, *De praeceptis*, n. 463). — *Efficax*, secundo. Quare restitutionis onus non inducit actio, quae *solum a*) dederit occasionem damno, neque praeviso, neque directe intento (ex. gr. illius, cuius actio damnificans falso alteri imputatur, quum ille nec praevidit, nec media adhibuit ut alteri actio imputaretur); *b*) fuerit condicio sine qua non [ex. gr. ad restitutionem non tenetur qui reddit arma ei, qui abutetur ad alium necandum (at cf. n. **330**)]; c) fuerit causa accidentalis damni; nisi tamen ea *unice* vel *primario* posita fuerit ex directa intentione damnificandi, et damnum postea revera ex ea accidentali causa secutum fuerit (ex. gr. ad restitutionem non tenetur qui ignem in loco remoto accendit, ex quo, ob ventum exortum, faenile fuerit concrematum, at tenetur si ad hunc finem, etsi in remoto loco, accendit, praevidens probabiliter damnum esse secuturum, et id revera secutum est).

III. *De cooperatione.*

327. Cooperatio, sive in furto sive in damnificatione, praestari potest pluribus modis, quos moralistae hisce versiculis comprehendunt:

Iussio, consilium, consensus, palpo, receptans,
participans, mutus, non obstans, non manifestans.

Iubens seu mandans, consulens, palpo, receptans cooperantur *positiva cooperatione morali;* consen-

tiens et participans *positiva cooperatione physica:* mutus, non obstans, non manifestans *cooperatione negativa.*

1° *De cooperatione positiva morali.*

328. Iubens seu **mandans** ille dicitur, qui alterum, sibi quomodolibet subiectum vel non, inducit ad tertium suo nomine damnificandum.

Iubens seu *mandans*, qui est *causa primaria relate ad mandatarium*, *a*) tenetur de damnis, quae ex suo mandato, sive explicito, sive implicito, intra mandati limites, mandatarius intulit, aut quae, licet mandatum excedentia, idem mandatarius, vel ex errore invincibili vel quia vitare ea non potuit, patravit (ut si, aliquem verberaturus, in exorta colluctatione, occiderit); at si mandans mandatum revocavit et revocatio mandatario ante exsecutionem innotuit, mandans liberatur. Si vero mandati revocatio non innotuit mandatario, re integra, *dolo tertii*, qui impedivit ne innotesceret, *hic* damni tenetur. — *b*) Tenetur damna reparare, quae mandatario ex exsecutione obvenerint et in confuso saltem praevisa, si mandatarium efficaciter et iniuste coegit: secus; si hic sponte vel mercedis intuitu mandatum suscepit.

Consulens, qui est *causa secundaria relate ad exsecutorem,* is dicitur qui suasione sua alterum inducit ad damnum tertio inferendum. Consilium aliud *doctrinale* (cui non est hic locus), quo quis, sententiam rogatus, ex officio (ut confessarius, medicus, advocatus) vel non, dicit de bonitate vel malitia actionis, de validitate vel nullitate actus etc.; aliud *auctoritativum* seu *impulsivum,* quo quis movet alterum ad agendum; et hoc dicitur *nudum*, si sola adhortatione, a rationibus seu motivis seiuncta, constat; *vestitum*, si rationibus fulciatur vel viam nocendi indicet.

α) Consulens *debet* ex iustitia *retractare* consilium, datum sive bona sive mala fide, et, si vestitum dederat, illud revocare additis rationibus, saltem

aeque efficacibus; si in exsecutore dehortando non profecerit, monere damnificandum ut sibi caveat, ex caritate, si consilium nudum dederat, ex iustitia si vestitum; secus damni tenetur. Et quamquam consilium retractavit, damni item tenetur, si viam nocendi indicaverat, quam exsecutor novisse non poterat; saltem nisi damnificandum praemonuit. β) *Consilio non retractato*, consulens damni *non tenetur* quum *a*) damnificator, etiam sine consilio, item et aeque damnum intulisset; *b*) dubitatur utrum consilium in damni illationem vere influxerit; *c*) consulens damnificatorem sit hortatus ad minus malum, loco maioris, inferendum sive eidem personae, sive alteri indeterminato, sive ei qui in damnum sibi inferendum ex adiunctis consentire deberet (ex. gr. si damnificatori suaseris ut damnum inferat alteri cuilibet potius quam Titio qui ex damno in extremam egestatem pelleretur); — *tenetur*, contra, quum consilium vere in actionem influxit; si autem damnificatori iam determinato suaserit maius damnum, vel aliud damnum, *de excessu* respondet. Quum exsecutorem fraude, dolo, mendaciis, ad exsecutionem movit, etiam damna, quae illi obvenerint, reparare tenetur, quia hinc iniuria non exsulat.

Palpo is dicitur, qui vel laude vel excusatione vel irrisione vel contumelia alterum movet ad damnificandum. Etiamsi damnum non directe intendat, damni tenetur si animadvertit se alterum provocare ad damnificandum: sed, ut damnum refundere cogatur, videndum utrum et quousque revera ipse influxerit.

Receptans is est, qui *scienter* securitatem damnificatori praebet, eum vel rem ablatam domi recipiens. Eatenus damni tenetur, quatenus influxit sive in damni illationem sive in rei alienae iniustam retentionem; excusatur vero qui damnificatorem recipit domi ut amicum, ut consanguineum, vel dumtaxat ratione officii (ex. gr. caupo), vel ad grave damnum a se avertendum.

2° *De cooperatione positiva physica.*

329. Consentiens is dicitur, qui suffragio vel iniuste lato vel iniuste negato efficaciter in alterius damnum influit. Exemplum esto, quomodo e suffragio iniuste negato damnum oriatur. Si tres sint examinatores in concursu, et ea lex, ut in casu paris voti contrarii concurrens reiectus censeatur, et alter iniuste obstet, alter iuste faveat, tertius, qui a voto *scienter* et *iniuste* abstineat, damni tenetur.

Consentiens damni *non tenetur a*) si consensum *utiliter* retractavit ante damni illationem — item si, cum in bona fide esset, aut retractavit vix errorem detexit, etsi inutiliter, aut non retractavit, quia non potuit; *b*) si *constet*, eius consensum non fuisse necessarium damno inferendo, quia tunc suffragium tulit, quum iam suffragia numero necessaria lata fuerant; *c*) si iniustum suffragium tulit ad praecavendum maius malum, modo tamen res, in quam iniuste consensit, non sit intrinsece mala et de eius intentione satis constet; — *tenetur* in quocumque alio casu, etsi, votum iniustum ferens, sciebat vel praevidebat non defuturos esse alios qui idem suffragium ferrent.

Participans esse potest *in ipsa actione* vel *praeda*. Si primum, utrum ille damni teneatur necne, diudicandum ex principiis iam positis de cooperatione nn. **150, 151,** et ex influxu cooperationis in damnum; si alterum, participans ad aliud non cogitur nisi ad restitutionem suae partis.

3° *De cooperatione negativa.*

330. Mutus dicitur qui, *ante* damni illationem, non clamat ex. gr. ad furem deterrendum, vel non praemonet damnificandum. **Non obstans** is esse intelligitur qui, *dum* damnum infertur, non impedit. **Non manifestans** is, qui, damno *iam* il-

lato, non denuntiat damnificatorem vel Superiori vel damnificato.

Ad restituendum vel ad damna reparanda non obligantur nisi qui ex iustitia commutativa, sc. ex officio vel contractu, loqui tenentur; quos tamen a damno impediendo excusat grave incommodum, quia ii hac condicione vel officium suscepisse vel contractum iniisse praesumuntur.

§ 3. *De circumstantiis restitutionis.*

331. Restitutionis adiuncta hoc versiculo continentur:

Quantum restitues, cui, quo ordine, quomodo, quando.

A) **Quantum sit restituendum,** *primo* desumitur ex quantitate rei ablatae vel damni illati: *secundo*, ex influxu in damnum. Quum igitur plures in furtum vel in damnificationem concurrunt, haec valent. *a*) *Causa principalis totius damni* tenetur ad restitutionem *in solidum cum causis secundariis*, at ipse *absolute*, ceteri *condicionate*. Causa principalis est mandans relate ad mandatarium, et in genere qui furatur in sui commodum vel motu proprio damnificat, ceteris utens tamquam sociis et adiutoribus. In solidum *absolute* ad restitutionem teneri dicitur qui primus debet totum damnum per se reparare; *condicionate*, qui, eo deficiente, obligatur. *b*) *Causae aequales totius damni* tenentur ad restitutionem in solidum condicionate. Causae aequales totius damni ii sunt, a quibus totum damnum infertur vel ex communi efficaci conspiratione vel ex cooperatione necessaria singulorum, licet ex parte uniuscuiusque non sufficiente (ex. gr. si tres fures arcam furentur et asportent, quam nec unus nec duo asportare queant). *c*) *Causae partiales damni* (qui sc. damnum inferunt sine mutua conspiratione et sine necessaria cooperatione) tenentur pro rata damni, quam sin-

guli intulerunt; *item* pro rata obligantur, ex sententia probabili, si singuli sufficientem cooperationem praestiterint toti damno (ut si plures, sine mutua conspiratione, ignem domui a variis partibus apposuerint). *d*) *In dubio* utrum aliquis influxerit in totum damnum, vel utrum alii restituerint aut reddituri sint, nequit urgeri obligatio integrum damnum reparandi.

B) **Cui restituendum sit,** Nostri ita docent. *a*) *Si dominus sit certus et notus*, ei restituendum est; eo vita functo, heredibus iuxta singulas portiones hereditarias; si dominus cessionem bonorum fecerit (*sia fallito*), administratori a publica auctoritate constituto, nisi forte dominus in gravi sit egestate. Si agatur de re deposito vel commodato data, depositario vel commodatario ea erit restituenda; si de damno reipublicae illato, restitui poterit, plerumque, pauperibus; si de damno, pro quo societas assecurationis iam satisfecerit, huic vel ex integro vel pro rata solutionis factae restituendum, et, si quid reliqui, domino. — Si quis restituerit bona fide pauperibus, potius quam domino certo et noto, tenetur *per se* denuo domino solvere; sed in praxi haec obligatio urgenda non erit. *b*) *Si dominus sit ignotus*, vel *notus, qui tamen adiri nequeat*, possessor bonae fidei sibi rem potest detinere; possessor malae fidei, et iniustus damnificator, debent restituere pauperibus vel causis piis, et, si ipsi pauperes sint, poterunt sibi aliquid retinere. At in praxi, cum probabile sit, obligationem pauperibus restituendi e lege positiva ortam esse, et certum sit eam plerumque a fidelibus vel ignorari vel aegre ferri, obligatio, si monitio nocitura praevideatur, non erit urgenda. *c*) *Si dominus sit incertus, res* contra *certo aliena* (ex. gr. quum mercator, sive merces adulterando, sive diminuendo pondera vel mensuras, pluribus damnum intulit), quum *dominus certo* reperitur *inter paucos notos,* pretium inter eos est dividendum; quum reperitur *inter paucos*, qui tamen *discerni nequeant* (ex. gr. inter habitatores illius loci), restituendum paupe-

ribus, non - necessario - illius loci; si domini, vel damnum passi, sint *plures* vel *plurimi*, et inter habitatores loci *discerni nequeant*, restitutio sic fieri debet ut omnibus vel quamplurimis eorum prosit (ex. gr. mercator restituere potest iis qui emere ab eo solent, vel vilius vendere); at si id nequeat fieri sine gravi incommodo, vel damnum singulis illatum leve fuerit, poterit pauperibus eiusdem loci restitui, ex praesumpta voluntate eorum qui damnum passi sunt.

C) **Quo ordine sit restituendum.** Hic Nostri permiscent restitutiones faciendas sive ex delicto, sive ex contractu, et ordinem considerant servandum sive inter debitores qui restituere debent, sive inter creditores quibus restituendum est. *a*) A *pluribus debitoribus*, qui *diverso modo ad iniustam damnificationem* concurrerint, ita restitutio fieri debet, ut mandans teneatur prae mandatario, cooperatores positivi prae negativis; inter *debitores ex furto*, tenentur primo possessor actualis rei alienae, secundo mandans, tertio exsecutor, deinde cooperatores positivi, postremo negativi. *b*) A *pluribus* debitoribus, qui *eodem modo ad iniustam damnificationem* vel *ad furtum* concurrerint, restitutio facienda erit sine ullo determinato ordine iuxta regulas superius traditas ad A); sed qui, *secundario* obligatus, pro *principali causa* solverit, habet regressum in principalem causam: qui *pro ceteris*, in ceteros. *c*) Si *ab uno* debitore sit restituendum pluribus creditoribus, aut debitor habet unde omnibus satisfaciat, et nullum ordinem necessario servare debet; aut nequit omnibus satisfacere, et in hoc casu, partim ex lege naturali, partim ex positiva, hunc ordinem servet necesse est. Primo restituere debet pro obligationibus ex delicto, nempe res alienas; secundo, pro obligationibus ex contractu: ex hoc altero capite, primo restituendum creditoribus privilegiatis (credita privilegiata sunt expensae iudiciales et funerariae, stipendia medicorum et famulorum, alimenta debita etc.); secundo hypothecariis, iuxta ordinem

hypothecarum, quia *prior in tempore, potior in iure;* tertio communibus, quorum ordo lege positiva non statuitur, sed ita ex naturali lege *potest* constitui, ut praeferantur *aa*) pauperiores ditioribus, *bb*) priores tempore posterioribus, *cc*) prius petentes petentibus posterius.

D) **Quomodo restituendum.** Restitutio *a*) fieri potest quoquo modo, et si eius obligatio oritur ex delicto occulto, non solum fieri potest occulte, sed regulariter debet, quia suae famae consulitur; ex. gr. per simulatam donationem, et, quum agitur de restitutione reipublicae seu fisco facienda, per destructionem titulorum debiti publici vel per erogationem in pauperes. Si obligatio restituendi ex contractu exsurgat, pactioni standum est. *b*) Possessor malae fidei restituere debet expensis suis et eo loco, ubi res esset nisi ablata fuisset, modo expensae transmissionis non excedant valorem rei, quo in casu poterit pretium transmittere vel, si id fieri nequeat, pauperibus erogare. Contra, possessor b. f. restituit, ubi ipse degit et sumptibus domini, quia domino nec iniuriam nec damnum intulit. *c*) Si res restituenda pereat antequam ad dominum pervenerit, possessor b. f. ad nihil tenetur, quia res domino perit; possessor m. f. ad novam restitutionem tenetur si ipse transmissorem elegit; non ita si ipse elegit cum domini assensu, quia tunc domino perit, neque si iudex aut ipse dominus elegit, vel res, casu vel culpa tertii, apud confessarium perit, quia hic censetur electus ex praesumpta domini voluntate. Res, ex contractu restituenda, perit debitori si et donec hic dominium rei habet; secus, creditori.

E) **Quando sit restituendum.** Si restitutio facienda est ex delicto, quamprimum fieri debet, et, nisi integra, saltem ex parte, nec onus est heredibus relinquendum, ne eam hi omittant. Dilatio gravi non vacabit, quum domino grave damnum denuo oritur, vel restitutio impossibilis evadit. Si restitutio ex contractu facienda est, conventioni standum.

§ 4. *De causis a restitutione excusantibus.*

332. Principium, quo haec materia regitur, est, excusari debitorem quum creditor, licet reapse invitus, quod sibi non restituatur suum, non potest tamen esse rationabiliter invitus, quia incommodum debitori imminens ob restitutionem notabiliter excederet incommodum creditoris re sua carentis.

Aliae causae excusant *ad tempus*, seu restituendi obligationem *suspendunt*, nempe *impotentia physica* et *i. moralis;* aliae excusant *in perpetuum*, seu obligationem *omniño tollunt*, nempe *condonatio creditoris*, *donatio rei aequivalentis*, *solutio facta creditori creditoris*, *legitima compensatio*, *compositio a Summo Pontifice facta*, *praescriptio*.

I. *De causis a restitutione excusantibus ad tempus.*

333. A) **Impotentia physica**, quum sc. debitor nihil habet unde restituat.

Huic accenseri possunt:

α) *Cessio bonorum* (*fallimento*), qua debitor, impar aeri alieno solvendo, sua omnia creditoribus cedit. Alia *conventionalis*, quae sponte a debitore fit et a creditoribus acceptatur; alia *iudicialis*, quae a lege conceditur, instantibus sive debitore sive creditoribus. Si fraudulenta sit, patet eam in conscientia nullam parere excusationem. Si remoto dolo fiat, non liberat debitorem, in meliorem condicionem postea reversum, ab *integra* restitutione; nam, si voluntaria est, non ideo quod creditores partiali solutioni acquiescunt, censentur iuri suo velle valedicere: si iudicialis, lex non concedit nisi simplex beneficium, quo debitor fit immunis a coactione in foro externo. Excipiendus est casus, quo creditores sive explicite sive implicite debitorem ab ulteriore solutione deobligent. Posse vero debitorem occulte sibi reservare, etiam praeter id

minimum quod lex consentit, necessaria ad suam suorumque sustentationem, omnes concedunt.

β) *Ingressus in religionem*, qui non liberat directe et per se debitorem, sed indirecte, quatenus licite media impedit, unde debita solvi possint. At *a*) si labore ordinario et statui religioso congruente, quem Superior permittere ex caritate (non ex iustitia) tenetur, queat sibi comparare unde solvat, obligatio eum tenet; laborem extraordinarium ad id, etsi Superior adnuit, subire non cogitur: *b*) si quid ei, hereditatis vel legati titulo, adquiritur, sive sibi (ut religiosis votorum simplicium), sive monasterio cedat, *verius* tantum ex eo detrahere *debet* quantum ad solvenda debita sufficiat, quia id iis oneribus gravatum monasterio adquiritur, quibus gravaretur, si in religiosi dominio maneret.

γ) *Interitus rei*, de quo v. ubi de possessore b. m. vel d. fidei (nn. 323, 324, 325).

B) **Impotentia moralis**, quae habetur quum debitor sine gravi difficultate vel damno, aut decenter et honeste, debita solvere nequit. Quod pluribus modis evenire potest, sc. si adsit:

α) *Periculum debitoris vel suorum in bonis altioris ordinis*, i. e. *animae* (ut ex. gr. ne uxor, filiae prostituantur vel furentur etc.), vel *famae* (dummodo amissio suae famae praestet damno creditoris), vel *vitae*. —

β) *Periculum debitoris vel suorum in bonis eiusdem ordinis;* ex. gr. *a*) si debitor in extremam vel quasi-extremam necessitatem restituendo incideret, nisi tamen creditor ex restitutionis defectu in eamdem necessitatem deveniret; *b*) si debitor versetur in necessitate gravi, qua creditor non laboret; *c*) si debitor, restituendo, decideret e statu suo iuste adquisito (nam, si ex iniuste adquisito decideret, non decidere dicendus esset, sed redire ad statum suum pristinum), ex. gr. e statu mercatoris ad statum operarii, vel grave damnum in bonis fortunae pateretur. —

γ) *Grave damnum creditoris vel tertii;* ut si ex. gr. deberes rem restituere, qua creditor sit abusurus in perniciem sui vel alterius.

II. *De causis a restitutione excusantibus in perpetuum.*

334. A) **Condonatio creditoris,** qui *iure possit* condonare, sc. dominium rei habeat eiusque liberam administrationem (nequeunt igitur minores qui sunt sub tutore, interdicti, inhabilitati, uxor et filiifamilias, inscio patre, at cf. n. 268, 269, 270), et *sciens volens* remittat, idest non vi, dolo, metu coactus vel errore inductus.

Condonatio potest esse *expressa,* ex. gr. si creditor debitori, vel tertio, debitoris nomine petenti, remittat debitum; *tacita,* ut si creditor chirographum debiti sciens volens laceret vel debitori tradat; *praesumpta,* quum prudenter iudicari potest creditorem, rogatum, esse condonaturum, et haec locum habere potest praesertim in furtulis pauperum, filiorumfamilias, famulorum etc.

Condonationi accenseri potest **transactio,** qua creditor, pro partiali debiti restitutione, reliquum condonat.

Condonatio nequit trahi seu extendi ad alias res et ad alias personas; proinde si creditor remittit iniuriam vel actionem poenalem, non censetur damna remisisse, et si debitum uni ex condebitoribus condonat, non censetur reliquis condonasse. Quum vero condonatio facta fuit ob debitoris inopiam, debitum, ex communiore et veriore sententia, non reviviscit, si debitor in meliorem condicionem postea devenerit.

B) **Donatio rei aequivalentis** facta creditori a debitore, debiti immemore, saltem nisi hic, debiti memor, aeque donasset: et hoc valet saltem in foro conscientiae.

C) **Solutio facta creditori creditoris,** saltem in foro conscientiae.

D) **Legitima compensatio,** sc. debiti recuperatio a creditore facta, inscio debitore, de qua v. n. **318.**

E) **Compositio a Summo Pontifice facta.** Haec nequit habere locum nisi in debitis vel bonis incertis, aut in bonis ecclesiasticis. *a*) *Bona incerta* qui bona fide possidet, potest retinere, tamquam deperdita vel derelicta, *quum nulla spes est fore ut dominus ignoratus compareat;* qui mala fide possidet, *in eodem casu,* potest condonationem a Summo Pontifice petere, qui ex iusta causa, idest ne debitor in mala fide possidere pergat et ut aliquid piis causis adquiratur, decernit ut pars debiti in pios usus impendatur et reliqua debitori cedat. *b*) Quoad *bona ecclesiastica,* Romanus Pontifex sive guberniis rogantibus (quo in casu et privati comprehenduntur), sive privatis instantibus compositionem concedit, ut valeant vel adquirere vel retinere, iam nullo iure adquisita, bona Ecclesiae sive immobilia sive mobilia. De hisce videsis Indultum, quod a S. Poenitentiaria concedi solet Ordinariis; quae statuta sunt relate ad Galliam d. 21 Sept. 1907 et 16 Ian. 1909 (Supplem. V. Edit. Summulae Card. D' Annibale); et, apud Lehmkuhl et Noldin, condonationes a S. Sede concessas per Concordata elapso saeculo inita.

F) **Praescriptio,** de qua iam actum n. **278** et seqq.

Art. 2. De restitutione in specie.

§ 1. *De restitutione propter homicidium et mutilationem.*

335. Obligatio restitutionis in hac materia *α*) *oritur* ex solo *homicidio voluntario* et *iniusto,* ut patet (non igitur ex homicidio vel casu vel ad iustam defensionem perpetrato, neque ex duello, nisi in casu, quo occisus acceptaverit ob metum gravis damni), et *ex voluntaria et iniusta mutilatione vel vulneratione* alicui inflicta; *β*) *urget* tum

occisorem, tum occisoris heredes, quia est realis; et ius ad restitutionem competit etiam occisi heredibus, etsi occisus damnum sibi illatum condonavit, quia ille nequit condonare damna suis consanguineis oritura vel orta; γ) *complectitur* damna, α) quae ipsi occiso ante obitum obvenerunt: i. e. sumptus curationi necessarios, damnum emergens et lucrum cessans ex laboris vel negotiorum intermissione, computandum non iuxta consueti lucri quantitatem, sed pro spe, quae minoris est; β) quae obvenerunt uxori, filiis, parentibus, tum quatenus ab eo alebantur, tum pro spe ulterioris sustentationis; sc. damna, quae occisio producit *per se, non per accidens;* quare restitutio non competit creditoribus occisi, saltem nisi eorum damnum fuerit ita directe intentum ut dici possit occisionis causa.

§ 2. *De restitutione propter stuprum.*

336. Stuprum *hic* intelligitur violatio virginis.

Triplex in hac re casus est considerandus. α) Si *virgo sponte consensit*, ad nihil stuprator *erga eam* tenetur, quia scienti et volenti non fit iniuria; at si *proles* enascatur, tenetur in solidum cum muliere prolem alere et educare, donec haec sibi ipsa valeat consulere. β) Si virgo stuprum passa est *invita* (quia non erat sui compos, vel fuit vi adprehensa et coacta metu tum gravi, tum etiam reverentiali, ex. gr. a domino, tutore, vel consensit, a stupratore in labendi periculum coniecta praeviis osculis, amplexibus, tactibus), stuprator tenetur: α) *satisfacere pro iniuria,* sc. veniam petere sive a muliere sive, regulariter, ab eius parentibus qui rem noverint; β) *restituere*, si, culpa sua vel casu vel quia mulier iudicialiter ius suum persequitur, stuprum revelatur; non vero si mulieris culpa evulgatur, quia tunc haec damnum sibi imputare debet. Et restitutio, quum facienda est, in eo consistit, ut

aa) stuprator vel mulierem ducat (si ipsa petit, vel si eam dotare nequit, dumne longe inferior sit condicio mulieris aut ex coacto matrimonio scandalum magnum et gravia damna sint oritura), vel dotet; — *bb*) si proles enascatur, simul cum muliere eam agnoscat, in casu quo matrimonium inter se ineant; secus, stuprator *solus* tenetur prolem alere. *γ*) Si virgo inducta fuit *matrimonii promissione*, vera vel ficta, stuprator tenetur eam ducere ex promissione vel ex contractu innominato *do ut des*, nisi matrimonii exitus praevideatur infelicior aut virgo facile intelligere potuit promissionem non fieri serio; at, si matrimonium non ineatur, stuprator tenetur mulierem dotare et prolem, quae enascatur, *solus* alere.

§ 3. *De restitutione ob fornicationem.*

337. Fornicator ad nihil tenetur erga mulierem, quia haec libere consensit; neque partus expensas ferre cogitur, si proles enascatur, saltem si mulier eas ferre potest; prolem vero ortam uterque parens alere et educare tenetur. Sed si agatur de muliere, quae cum duobus commercium habuit, tunc distinguendum: *a*) si ambo mulierem cognoverunt ex communi consilio, ambo erga prolem tenentur pro rata, quia uterque sua culpa fecit ne pater agnosceretur; *b*) si *pluries* ambo mulierem cognoverunt, sine conspiratione mutua sed utroque conscio de malefacto alterius, ambo item, ob eamdem rationem, erga prolem pro rata tenentur; si vero uterque de malefacto alterius nescius erat, neuter tenetur, quia mulier culpa sua effecit ne pater agnosceretur; *c*) si *semel* ambo mulierem cognoverunt, et secundus sciebat mulierem a primo cognitam fuisse, secundus tenetur, quia aut pater est aut ipse culpa sua effecit ne pater agnosci posset.

§ 4. *De restitutione propter adulterium.*

338. Principia in hac re sunto: A) restitutionis onus *non* adesse *a*) si proles *non sit certo adulterina,* et, *b*) *si*, quum certo est adulterina, *lateat* quis sit *pater* eius (ut quum plures adulteri adulteram cognoverunt), saltem nisi singuli noverunt mulierem plures admittere et simul animadverterunt per se ipsos fieri ne pater agnosceretur; *c*) *si* adulter eam facere nequeat sine gravissimo incommodo vel damno superioris ordinis ex. gr. sine periculo vitae vel famae, sine familiarum discordia etc.; B) mulierem *non teneri revelare* adulterium, nec viro nec proli certo adulterinae, tum quia gravia damna iure ex revelatione timenda essent, tum quia revelatio inutilis foret, filius enim matri credere non tenetur.

Adulterio admisso, viro nescio, et muliere vi oppressa aut dolo ad consensum inducta, huic adulter tenetur *satisfactionem* praebere; at si vir resciat, etiam viro adulter satisfacere cogitur: quae tamen satisfactio non pecunia constare debet, quia iniuria per pecuniam non compensatur. Si *α*) deinde proles non nascitur, adulter ad nihil aliud tenetur. Si *β*) proles deinde enascitur, quae sit *certo* ab adultero, triplex casus dari potest. Aut *a*) adulter mulierem vi oppresserat vel dolo ad consentiendum coegerat, et in hoc casu *solus* adulter tenetur restituere, et damna reparare, quae *per se*, non per accidens, ex adulterio sequuntur, i. e. solvere expensas partus, prolem a legitima familia separatam alere et educare, et, si ea separari a familia legitima nequeat, compensare sumptus proli alendae et educandae impertitos et detrimenta, quae filiis legitimis ex eo contingunt quod adulterinus paternae hereditatis fit particeps; non vero donationes vel legata, quae filio adulterino obveniunt a consanguineis eum legitimum putantibus, quia haec ex adulterio sequuntur per

accidens. Aut *b*) adulter mulierem libere consentientem, viro nescio, cognoverat; et in hoc casu, in solidum cum adultero mulier damni tenetur, et compensare potest diligentius laborando, provehendo rem familiarem, parcius vivendo et, si quid aliunde sibi obtigerit, id conferendo in favorem prolis legitimae. Aut *c*) adulterium consummatum fuit, viro sciente volente aut lenone, et in hoc casu adulter ad nihil tenetur, dummodo heredibus legitimis salva consistat legitima; quae si salva non sit, quanto ea minor est, tantum compensare debent in solidum adulter et mulier: et vir, si quid opinor, tenetur tamquam *cooperator positivus,* si ipse impulit, *negativus,* si non impedivit.

§ 5. *De restitutione ob negatam militiam.*

339. A) Ad militiam nemo obligatur ex iustitia commutativa nisi qui fuerit pretio conductus vel alteri, ex contractu, se substituat, sicubi lex hoc indulgeat; generatim lex militiae non obligat nisi ex iustitia legali, quae ad restitutionem non obligat. B) Cum lex militiae sit iusta in genere, nisi in specie eos coerceat qui Deo militant vel qui sunt alendae familiae prorsus necessarii, sequitur: *a*) clericos, et filiosfamilias suorum sustentationi necessarios, non peccare si *mediis licitis* se militiae subducant; si id *mediis illicitis* obtinuerint, peccare ratione mediorum, non vero contra iustitiam legalem; si militiam deserant, peccare contra iusiurandum, si id libere emiserint, non si ex gravi metu, vel sine animo se obligandi, interposuerint; *b*) eos, qui fuerint a republica conducti, teneri ad castra redire, si ea deseruerint; *per accidens* posse a redeundi obligatione excusari, tum ob gravissimam poenam quae desertoribus infligitur, tum ob grave damnum imminens superioris ordinis, ex. gr. ob periculum animae; *c*) eum, qui alteri ex contractu se substituit et castra deseruit, teneri damna reficere alteri contrahenti, erga quem iu-

stitia commutativa ligatur (si alter vel ipse stipendia mereri vel novum substitutum compensare cogatur), non reipublicae ob violatam iustitiam legalem; *d*) eos, qui mediis illicitis, sc. fraudibus, aut corrumpendo medicos et officiales, obtinent ut a militia eximantur, ad restitutionem non teneri; nihil enim debent reipublicae, quacum iustitia tantum legali vinciuntur; nihil aliis in eorum locum suffectis, quia substitutio fit ex lege conscriptionis tamquam causa, et actio sese eximentium non est nisi occasio. Medicos autem et officiales teneri ad munus suum fideliter implendum ex sola iustitia legali, *verior* sententia est: non enim ad id proprie conducuntur; quare nec ii restituere tenentur.

§ 6. *De restitutione ob fraudata tributa.*

340. Lex, quae tributa imponit solvenda, iuxta alios est *mere poenalis;* iuxta alios, obligat *ex iustitia legali;* tertia sententia tenet eam obligare *ex iustitia commutativa;* ex quarta sententia ea obligaret *directe* ex iustitia legali, *indirecte* ex iustitia commutativa, sc. quia non solvendo tributa efficitur ut aliis maiora onera imponantur. At, cum ratio a sectatoribus huius quartae sententiae adducta non evincat *practice* rem, etsi *theoretice* vera sit, quarta sententia in secundam recidit.

Quoniam prima et altera sententia sunt vere graviterque probabiles (et primam sequimur, ut videri potest n. 44), restitutionis onus ob fraudata tributa urgeri nequit. At exactores, qui exactionem culpabiliter neglegant, ad restitutionem tenentur, pro tributis, non pro mulctarum parte quae fisco cedit (cf. n. 44).

Tit. VIII. De Octavo Decalogi Praecepto.

« Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. » Exod. xx, 16.

341. Praeceptum hoc, qua *affirmativum,* praecipit ut veritatem semper dicamus; qua *negativum,* vetat *primario* falsum testimonium (de quo, si fuit iuramento firmatum, v. n. **200,** ubi de iuramento assertorio, secus inferius ubi de mendacio), *secundario* laesionem verbalem famae et honoris, mendacium, violationem secreti, quatenus haec tum laedit virtutem fidelitatis et honorem, tum nocere potest alterius famae. Etsi violatio secreti nocere potest vitae et bonis proximi externis, et proinde laedere quintum et septimum praeceptum, Nostri tamen de ea hic in universum pertractant.

Cap. I. De laesione famae.

342. Fama hic intelligitur *bona aestimatio,* qua homo apud communitatem fruitur, sive ea veris motivis nitatur, sive falsis. *Ius in famam,* sive veram, sive falsam, *competit: a) singulis hominibus,* et quidem in famam veram *directe* (quia haec est bonum mixtum propria industria partum), *absolute* et *universaliter;* in famam falsam *indirecte* (sc. ob incommoda quae sequerentur si cuique liceret occultos defectus alienos manifestare), *relative* et *intra quosdam fines* (quia cessat quum aliorum vel commune bonum postulat manifestationem); *b) etiam defunctis* — at minus stricte — tum quia anima a corpore separata remanet subiectum iuris capax, tum quia homines cupiunt famam suam, etiam post mortem, consistere integram; *c) communitati* (ex. gr. civitati, monasterio, corpori morali cuilibet), quae ut ad bona externa, ita et ad

mixta ius habet. *Non competit singulis, ignotis* in eo loco ubi detrahitur, nisi forte vel facile noti esse queant vel diffamatio eorum in corpus morale redundet, ut ex. gr. si quis presbyterum quemlibet, alibi degentem et audientibus ignotum, diffamet.

Famam alienam aliquis laedere potest vel apud se ipsum *suspicione temeraria* et *iudicio temerario*, vel apud proximos *diffamatione;* quae, si constat revelatione defectus veri, etsi occulti, dicitur *detractio;* si revelatione defectus falsi, dicitur *calumnia*.

343. Suspicio temeraria est iudicium non firmum, seu quaedam proclivitas ad affirmandum proximi defectum. Suspicio temeraria est ex genere suo levis, tum quia damnum grave proximo non infert, tum quia eius bonam aestimationem non tollit sed tantum imminuit; et difficile letale attinget, nisi forte temere suspiceris peccatum gravissimum de viro optimo et piissimo. Diximus: *nisi forte*, quia certa sententia *non est*.

Iudicium temerarium est iudicium firmum de alterius peccato sine sufficienti ratione. Iudicium temerarium est ex genere suo grave. Letale reapse erit, si sit temere conceptum, in materia quae famam graviter laedat, et assensus sit vere firmus et deliberatus, sc. cum advertentia tum ad rei gravitatem, tum ad motivorum levitatem et insufficientiam; secus, grave non erit.

344. Detractio definitur laesio *iniusta* alienae famae per revelationem occulti criminis veri vel quod verum bona fide putetur.

Detractio dicitur *directa* quum fit ex intentione famam laedendi; *indirecta*, quum fit ex levitate animi vel loquacitate, sine intentione alienam famam laedendi.

Crimen dicitur *occultum*, si publice ignoretur (etsi aliqui illud noverunt vel aliquis rumor de eo coepit) et spes sit, illud in communitatis notitiam

non esse perventurum ; *publicum iure,* quum de eo constat per iudicis sententiam ; *publicum facto,* quum magnae communitatis parti notum est vel quia coram multis patratum vel quia, licet occulte commissum, fuit deinde evulgatum : et si innotescit magnae parti communitatis clausae (seminarii, collegii, monasterii), dicitur *relative publicum ;* si magnae parti communitatis apertae (civitatis, pagi), *absolute publicum.*

Hisce praehabitis, ad singula.

A) *Si crimen sit occultum, licet* illud revelare *ex iusta causa,* sc. tum ad bonum commune, tum ad bonum privatum sive ipsius revelantis, sive audientium, sive ipsius delinquentis, modo reveletur cum minimo possibili delinquentis damno, et *simul* bonum, quod obtinetur, sit praestantius damno quod delinquentis famae infertur. — *Si crimen sit publicum iure,* licet illud ubique manifestare, quia iudicis sententia, semel publicata, fama delinquentem privat in perpetuum in subiecta materia ; at si crimen fuerit emendatum vel oblivione deletum, revelatio laedet caritatem, non vero iustitiam. — *Si crimen sit publicum facto absolute,* licet illud manifestare tum in eo loco ubi publicum est, tum ubi brevi et facile evulgabitur, nisi fuerit emendatum vel oblivione deletum, quia tunc res eo redit ubi erat ante evulgationem et ius ad famam reviviscit ; in hoc casu, iustitiam laedi tenent alii ; alii *verius,* si quid opinor, censent laedi caritatem, quia infamia, semel et undecumque orta, aestimationem consumit. — *Si crimen sit publicum facto relative,* illud extra communitatem revelare erit contra iustitiam.

B) Qui *audit* detrahentem et detractionem non impedit, dupliciter peccat contra caritatem, primo quia non removet detrahentis peccatum, secundo quia damnum diffamati non avertit ; sed tunc tantum, quum detractio est gravis et iniusta, et *simul* tum deest detrahendi rationabilis causa, tum affulget certa spes impediendi detractionem sine notabili incommodo. — Sed qui sponte et cum

gaudio audit detrahentem (modo delectatio non oriatur unice ex modo narrandi vel ex rei novitate), *affective* peccat contra iustitiam ; laedit, contra, *effective* iustitiam, et graviter in materia gravi, qui alium sive directe sive indirecte ad detrahendum inducit.

C) Detractio est *grave peccatum ex genere suo ;* quare potest gravi culpa carere ex parvitate materiae vel ex imperfectione actus, praesertim ex inadvertentia ad proximi damnum. Ad gravitatem vero dignoscendam considerari debent *simul a*) gravitas defectus vel criminis revelati ; *b*) detrahentis persona (alia enim fides homini probo vel docto tribuitur, alia homini nullius momenti, mendaci, improbo, ideoque damnum augetur vel minuitur iuxta detrahentis dotes); *c*) condicio personae, cuius famae detrahitur (poterit esse grave dicere aliquid leve de viro integrae famae et eminentis dignitatis : leve, contra, dicere aliquid grave de muliere publica vel de homine malae notae). — Qui *coram pluribus* detrahit, *unicum* peccatum admittit, quia fama in plurium aestimatione consistit, at *eo gravius, quo plures* audiunt. — Detractiones in diversis materiis non differunt specie, quia fama *verius* species non habet ; sed detractio a calumnia specie differt.

345. Calumnia definitur laesio alienae famae per narrationem criminis falsi.

Calumnia est gravis ex genere suo : quare levis fieri poterit ob materiae parvitatem et actus imperfectionem. Quae de audiente detractionem, de huius gravitate dignoscenda, de differentia specifica et numerica in detractione dicta sunt, calumniae applicentur.

346. *Restitutionis obligatio,* sive *personalis,* sive *realis,* exsurgit tum *ex detractione* tum *ex calumnia,* ex *hac* semper, ex *illa* quum fuit iniusta. A) *Obligatio personalis* reparandi famam, iniuste ablatam, apud audientes immediatos (regulariter

et per se non est facienda ex iustitia apud mediatos), *levis* est et *non* urget *cum gravi incommodo,* si peccatum fuit leve et leve item damnum; *gravis* est et urget *cum gravi incommodo,* si grave fuit peccatum et grave damnum illatum, modo damnum, quod ex retractatione detrahenti vel calumnianti obvenire potest, non excedat damnum diffamati. Calumniator debet *efficaciter* retractare calumniam, etiam fatendo se mentitum esse; detractor, contra, debebit uti verbis aequivocis, quia secus mentiretur (ex. gr. se errasse, iniuriam alteri fecisse), vel excusare, laudare, honore prosequi diffamatum. B) *Obligatio realis* (quae transit ad diffamatoris heredes) adest reparandi damna temporalia, quae saltem in confuso fuerint praevisa.

347. *Obligatio famae restituendae cessat a*) si deest moralis certitudo de damno illato, quia ex. gr. audientes verbis diffamatoriis non crediderunt vel aliquis, coram omnibus, detrahentem correxit; *b*) si damnum illatum cessavit per sententiam iudicis, qui declaravit diffamationem intercessisse; *c*) si damnum fuit oblivione deletum; *d*) si damnum fuit compensatum per mutuam diffamationem; *e*) ex condonatione diffamati sive expressa sive tacita sive praesumpta (quae postrema facile inter plebeios homines haberi potest), sed condonatio praesumi nequit quum diffamatus, *ratione dignitatis vel officii, nequit licite* restitutionem remittere; *f*) si restitutio fiat impossibilis *physice* (quia ex. gr. qui audierunt longe distant) vel *moraliter* (quia maius damnum vel altioris ordinis retractanti obveniret).

Cap. II. **De laesione honoris.**

348. Contumelia honorem laedit, et definitur iniusta honoris laesio, quae irrogatur personae aliquo modo praesenti sive physice sive moraliter (ex. gr. per imaginem, per repraesentantem). Contumeliae nomine veniunt, etsi definitione non con-

tinentur, convicia, quae, coram aliis, absenti irrogantur vel voce vel scriptis (*libelli famosi, satire*). Contumelia inferri potest tum *positive*, sc. vel verbis vel factis iuxta consuetudinem loci significantibus contemptum, tum *negative*, sc. omissione facti (ex. gr. salutationis), quae contemptum secum ferat. Contumelia dicitur *irrisio*, si verbis et risu inferatur; *subsannatio*, si gestibus ridiculis; *improperium* et *convicium*, si exprobrando vitium vel defectum; *maledictum*, si iniuriosis verbis vel imprecationibus.

Contumelia est *ex genere suo grave peccatum* contra iustitiam, et species infimas non habet; si in parentes prolata, speciem alteram superinduit contra pietatem. Ad gravitatem vero dignoscendam, considerari debent tum qualitas personae laedentis, tum qualitas personae laesae, tum verba vel facta contumeliosa; ex. gr. gravia censeri nequeunt convicia, quibus mulieres et homines e plebeio genere vel se mutuo vel filios filiasve impetunt.

Restitutio honoris facienda est (et si qua damna e laesione honoris orta fuerint reparanda erunt) in materia gravi sub gravi, in levi sub levi; si honor publice laesus fuit, publice; si occulte, privatim. Modos Nostri plures indicant: veniam petere, prius et benevole salutare, invisere domi, ad mensam invitare etc. Veniae petitio habetur ut congrua reparatio in *quovis* casu; sed confessarius nequit obstare quin poenitens actionem poenalem experiatur, nisi id ulciscendi animo faciat. Si graviter offensus exigat veniae petitionem, subditi eius vel aequales tenentur veniam petere, non item eius Superiores, qui per signa benevolentiae sufficientem exhibere possunt reparationem. Si ex duobus alter alterius honorem laeserit, nec constet uter antea laeserit, *per se* uterque veniam petere tenetur, at regulariter cessat obligatio veniam petendi si iniuriam passus alterum pari iniuria affecerit.

Cap. III. De mendacio.

349. Mendacium definitur a S. Thoma: « sermo prolatus cum intentione falsum **dicendi** ». Quare mentitur qui falsum se dicere putat, **etsi** verum dicit; errat, non mentitur, qui falsum dicit, quod verum esse putat. Mendacium dicitur *damnosum, officiosum, iocosum,* prout profertur ut noceat alteri, ut sibi prosit, ut ex eo delectatio capiatur. — Mendacium, quod ore vel scripto fit, distinguitur a **simulatione,** qua quis facto aliud significat quam quod in mente habet. Et simulatio, si *intentio adest* aliud facto significandi quam quod in mente sit, dicitur *formalis,* et est verum mendacium *reale,* et proinde illicita; si *intentio desit,* dicitur *materialis* et ex iusta causa fit licita. Ita ex. gr. D. N. I. C., quum apud Emmaus finxit se longius ire, non eo spectabat ut discipuli id crederent, sed significabat se longius iturum esse nisi invitaretur.

Mendacium est malum natura sua, sed per se leve non excedit, quia uni veracitati, quae per se sub levi obligat, opponitur. Sed grave fieri potest, si graviter laedat fidei virtutem (quum obligatio adest fidem profitendi), vel caritatem, iustitiam, religionem (ut in iuramento). Iocosum vero, si deest intentio alterum vere decipiendi et fit eo modo, quo facile veritas ab audientibus intelligi potest, caret omni culpa.

350. Amphibologia seu **aequivocatio** est usus sermonis ambigui, sive ambiguum sit verbum (ut si uxor, iam adulterium sacramentaliter confessa, viro quaerenti an adulterium fecerit, respondeat se sine eo peccato esse), sive ambigua sit eius pronuntiatio (ut si latroni dicas: iuro tibi me centum daturum). Et aequivocatio, si significatio erit nimis absona a re, levis erit; secus, nec levis, et poterit ex iusta causa iuramento firmari. De **restrictione mentali** iam egimus n. **200,** ubi de iuramento.

Cap. IV. **De secreti violatione.**

351. Secretum *obiective* est res occulta vel occultanda, *subiective* obligatio aliquid occultum non explorandi, non manifestandi neve eius notitia utendi.

Secretum dicitur *a*) *naturale*, quod ex ipsa naturae lege exsurgit, ex. gr. de re occulta, quam aliquis casu novit et nequit manifestare quin alter sit rationabiliter invitus; *b*) *promissum*, si quis promittit alteri secretum de re, quam vel aliunde novit vel ab eodem sine secreto; *c*) *commissum*, si quis rem sibi ignotam ab alio accipit sub condicione seu promissione expressa vel tacita secretum servandi; et si condicio seu promissio fuerit expressa, secretum dicitur *commissum privatum* et servandum est ratione boni privati; si contra ea fuerit tacita, secretum dicitur *commissum ex officio* seu *officiosum* (quo ex. gr. medici, advocati, theologi etc. obstringuntur) et servandum est ratione boni publici.

Omnibus ius competit in suum secretum. Videndum nunc quibus in rebus obligatio servari debeat et quorsum pateat.

1° **Explorare iniuste** vel **extorquere secretum**, etsi cum proposito illud non revelandi, *non licet*. A) *Inventa artis* vel *scientiae* non licet iniustis mediis explorare, si inventor de iis secretum servet et servari velit; at licebit mediis iustis (ut puta studio). B) Cuique ius est ea *secreta* iustis mediis explorare, *quae* sibi vel aliis *nocumentum grave et iniustum* afferre possint. C) *Litteras alienas* aperire, vel apertas et in abdito loco adservatas, legere, est *ex genere suo grave* contra iustitiam; sed, cum in hac re detur parvitas materiae, qui litteras apertas, quibus prudenter putet nihil magni momenti contineri, vel deperditas, ex curiositate legat, graviter peccare non est censendus. Litteras proiectas et in minuta frustula discissas, ne legantur, colligere et recompositas legere, tenent

alii esse contra iustitiam, quia dominus, etsi eas proiecit, ideo ita discerpsit et laceravit ne legerentur et per hoc iuri suo cessisse non videtur; contra, alii sentiunt, id esse contra caritatem, quia dominus, proiiciendo, iuri suo valedixit, et laceravit unice, ut difficilior vel fere impossibilis redderetur lectio. Prior sententia S. Alphonso *probabilior* est: at communis sententia docet, si quid litterae recompositae contineant, cuius revelatio detrimento queat esse domino, id revelari non posse, sub gravi vel levi pro damno gravi vel levi orituro, *saltem* ex caritate.

At *licebit aperire alienas litteras: a*) ex consensu expresso, vel tacito, vel ex iusta causa praesumpto, sive illius qui scripsit, sive illius ad quem scriptae sunt; *b*) ex regula, cui quis libere se subiecit; id proinde erit licitum Superioribus in communitatibus, institutis religiosis etc., excepta tamen lectura litterarum, quae ad Superiores maiores diriguntur vel quae secreta conscientiae *certo* continent (*in dubio* enim Superior potest aperire, sed, vix animadvertat secreta conscientiae iis contineri, lectionem abrumpere tenetur); *c*) ex necessitate gravis damni a republica, a subditis, a se avertendi, modo suspicio gravibus rationibus innitatur.

2° **Manifestare secretum** *non licet. α*) *Secretum naturale* obligat sub gravi in re gravi, sub levi in re levi, ex iustitia vel caritate, prout violatio secreti alterutram laedit. In dubio positivo utrum secretum sit magni vel parvi momenti, gravis est violatio, quia qui secretum in casu violat se exponit periculo gravi damnum inferendi et letaliter peccandi. A secreto naturali servando grave incommodum excusat. *β*) *Secretum promissum a*) obligat per se *ex fidelitate* (nisi quis expresse voluerit se obligare ex iustitia) sub gravi in re gravi, sub levi in re levi; *b*) urget, *etiam ex secreto naturali,* si de re agitur quae natura sua debeat occulta servari; *c*) *nullatenus obligat,* si ex pura urbanitate promissio facta fuerit. — A secreto promisso servando excusant incommodum grave, et *illiceitas*

promissionis; si sc. de re agitur quae in conscientia manifestari debeat et non poterat ideo esse promissionis obiectum. γ) *Secretum commissum* ex iustitia obligat sub gravi in re gravi, imo *strictius* et *gravius* quam secretum promissum; et *commissum ex officio* seu *officiosum, gravius* quam *commissum privatum,* ita ut illud nec Superiori nec magistratui interroganti revelare liceat et lex ipsa illud tueatur et revelantem poenis coerceat. Excusant tamen a secreto commisso servando: *a*) consensus, iure merito praesumptus, committentis vel grave damnum eidem imminens; *b*) notitia eiusdem rei (sc. secreto commissae) aliunde accepta vel in publicum aliunde evulgata; *c*) grave damnum commune Ecclesiae vel rei publicae; *d*) grave damnum imminens sibi vel tertio innocenti, ab eo inferendum qui secretum commisit.

3° **Uti secreto iniuste adquisito** *non licet* (ex. gr. si ex alienis litteris, quas iniuria aperui, sciam vacare aliquod officium, et maturius petam et accipiam); nec licet uti secreto commisso, in utilitatem propriam vel alterius, invito committente (ut si ex. gr. advocatus, officii causa, sciens te in eo esse ut cessionem bonorum facias, fratrem suum, qui creditor tuus est, moneat ut creditum statim recuperet). At *licebit uti* **iuste adquisito** (ut de facto aliquo vel secreto invento artis vel scientiae) in propriam vel alterius utilitatem, etsi aliquod damnum alii (secreti domino) obvenit.

SECTIO TERTIA

DE ECCLESIAE PRAECEPTIS

Tit. I. De Primo Ecclesiae Praecepto.

352. De hoc satis diximus, ubi de tertio Decalogi praecepto (cf. nn. 220 et 221).

Tit. II. De Altero Ecclesiae Praecepto.

353. Alterum Ecclesiae praeceptum praescribit abstinentiam vel sine ieiunio vel cum ieiunio servandam.

Cap. I. **De abstinentia seorsum a ieiunio considerata.**

354. Praeceptum abstinentiae *vetare potest* (quid hodie positive vetet, postea videbimus) sive simul, sive seiunctim:

1° **Esum carnium.** Carnes prohibentur, pisces permittuntur: quae carnes, qui pisces sint (etsi non una eademque iudicandi ratio apud Nostros antehac viguit, neque hodie viget, et nonnulli arbitrantur rem non esse iuxta disciplinarum naturalium doctrinas dirimendam), videtur desumendum esse e notionibus scientificis, tum quia veteres iis adhaeserunt, quantum tempora siverunt, tum quia eae, fere in omnibus eiusmodi rebus, sensui ecclesiastico, consuetudini et fidelium aestimationi congruunt. Carnes igitur prohibitae sunt animalia autotermata, seu sanguinis calidi, idest *mammifera* (quae uberum lacte natos nutriunt) et *aves omnes* (quae binis alis, corpore plumato, rostro constant et ova deponunt), licet hae in aquis vel prope aquas vivant (nisi comedendi eas specialis facultas concedatur iis qui abstinentia a carnibus adstringuntur, ut Minimorum Ordini fulicarum - *folaghe* - usus permittitur). Hinc, contra ac Noldin aliique sentiunt, in prohibitione comprehenduntur (cf. Antonelli, *Medicina Pastoralis*) castores, lutrae, phocae, trichechi, fulicae, anates silvestres et omnes aves aquaticae. — Contra, quum carnes vetantur, permittuntur animalia eterotermata, seu sanguinis frigidi, sc. pisces, testudines terrestres, helicae (*lumache*), ii qui audiunt *frutti di mare*, ranae, cancri (*gamberi* o *granchii*) etc.

Quum carnes vetantur, prohibetur etiam iusculum carnis, vel iusculum confectum ex aqua et extractu carnium (ex. gr. *Liebig*). Noldin concedit usum iusculi *Maggi*, eo quod non constet illud ex carne esse confectum. Item interdicuntur peptones, qui ex bove obtinentur, imo continent eminentiorem carnis substantiam, iam digestam.

2° **Esum ovorum et lacticiniorum,** quae ab animalibus prohibitis originem ducant; et nomine lacticinii venit quidquid lacte conficitur, ut caseus, butyrum etc.

3° **Condimenta** ex adipe animalium, ex butyro, ex margarina, ex iusculo carnis et carnis extractibus (excepto forte iusculo *Maggi*), ex ovis. Quum vero condimenta permittuntur, conceditur usus adipis, non modo suis, sed cuiuslibet animalis (S. C. S. Off. 1 Maii 1889), butyri (S. C. S. Off. 13 Maii a. 1896), et comedi possunt minutissima frustula laridi, quae manent cum condimento permixta post laridum igne liquefactum (S. Poenit. 17 Nov. 1897).

355. Praeceptum abstinentiae *obligat ex genere suo sub gravi,* et toties peccatum committitur, quoties cibus vetitus actibus moraliter distinctis comeditur. Quaenam vero sit materia gravis, non una sententia est: videtur gravis esse materia, quae, relate ad carnes, excedat duas uncias (56 gr.), et, relate ad ea quae ex carne proveniunt, sc. ad iusculum, ova, lacticinia et condimenta, excedat quatuor uncias (112 gr.); pocillum (*tazzetta*) iusculi ex carne, unum ovum materiam gravem non attingunt. Inquietandi non sunt qui oleo, quo caro fricta fuerit, ad condiendum utuntur iis diebus, quibus condimenta ex adipe sive permittuntur sive interdicuntur (S. Poenit. d. 17 Nov. 1897).

356. Praeceptum abstinentiae *obligat* omnes *fideles* septennium egressos (confer CIC. can. 1254). Ab eo implendo excusantur: *a*) pauperes mendicantes qui quemvis cibum sibi oblatum licite co-

medunt; *b*) pauperes operarii, relate ad condimenta ex adipe, si oleum comparare sibi nequeant quibus diebus ea vetantur; *c*) operarii, iis addicti laboribus, qui vel gravissimi sint vel cibi appetentiam auferant: ex. gr. qui operam praestant officinis vitrariis, fusoriis, ferrariis vel fornacibus, fodinis metallicis et carbonariis, vel locomotivis agendis; *d*) aegroti, convalescentes, stomacho laborantes, viribus debiles, mulieres praegnantes et lactantes (etsi alii aliud sentiunt); *e*) qui alios cibos habere nequeunt; sc. ex confessarii permissione et ieiunio servato, uxores et filiifamilias, quum paterfamilias est dispensatus (S. Poenit. 16 Ian. 1834, 27 Maii 1863, 6 Aug. 1860) vel non vult alios parari cibos; famuli, quum herus cibos esuriales parari non sinit — modo ne id faciat in religionis contemptum —, donec alium herum inveniant, qui eos sinat Ecclesiae servare praecepta (S. Off. 27 Maii 1671); milites in castris stativis; viatores, qui in cauponis cibos esuriales non inveniunt et nequeunt alio divertere ubi inveniant; hospes, et ad mensam vocatus, qui, sciens die esuriali parari carnes, nequeat sine gravi vocantis offensione vel sine notabili incommodo convivium renuere, vel qui, nescius, coenam ex carnibus paratam invenit et nec alios cibos habere nec facile discedere potest; *omnes,* si ex errore coena fuerit parata ex carnibus, et alii cibi in praesens haberi non possint, aut, si hi suppetant, cibi ex carnibus nequeant in sequentem diem sine detrimento servari.

Cap. II. De ieiunio seorsum ab abstinentia considerato.

357. Ieiunium ab Ecclesia imperatum, quod *ecclesiasticum* audit, et distinguitur a *naturali* (abstinentia absoluta a cibo et potu) et a *morali* (quod ex propria voluntate fit et voluntate regitur quoad modum), dicitur *strictum* vel *non strictum*, prout *una cum ieiunio* praescribitur abstinentia a car-

nibus, ovis et lacticiniis, condimentis ex adipe, — vel non. Abstinentia ad essentiam ieiunii non pertinet: quare violatione ieiunii et abstinentiae, quum una praescribuntur, duplex peccatum admittitur.

Ieiunium ecclesiasticum consistit in obligatione sumendi *unicam* tantum *refectionem diurnam* plenam; qui in unica refectione excessum admittit in cibo vel potu laedit temperantiam, at non praeceptum ieiunii. — Qui vel inconsiderate vel scienter *a*) alteram in die refectionem plenam, vel *b*) tantum cibi interdiu sumit quantum plenam refectionem constituat (quia singulae refectiunculae coalescunt), essentiam ieiunii solvit; et peccat si sciens volens id fecerit, sed obligatio ieiunii, iam essentialiter laesi, eo die cessat. — Qui mane, inconsiderate, loco ientaculi matutini, de quo inferius, refectionem notabilem sumpsit, si plene se refecit, debebit a refectione unica se abstinere, et collatione vespertina, de qua videbimus, contentus esse, vel unicam refectionem plenam sumere et a vespertina se abstinere.

Cum unica refectio debeat esse *moraliter continua*, ne, loco unius, plures refectiones successivae, ieiunium infringentes, habeantur, non licet eam interrumpere et resumere, nisi mora sit iusta et non abrumpat moraliter unicam refectionem; licebit ergo *a*) refectionem, relictam sine causa et *sine animo redeundi*, *post dimidium horae* resumere; *b*) refectionem *ad horam* interrumpere *cum animo redeundi*, ex rationabili causa, quae si deerit, peccatum erit leve tantum; *c*) refectionem interruptam etiam *non ultra duas horas* resumere, si quis, plene non refectus, *cogatur* prandium intermittere.

358. *Permittuntur* (cf. CIC. can. 1251) *a*) *ientaculum matutinum,* in parva quantitate, duabus circiter unciis constans (56-60 gr.), ut ex. gr. coffea cum duabus unciis panis, calda cacaotica (*cioccolata*) cum frustulo panis; — *b*) *collatiuncula vespertina,* in qua sumi possunt circiter octo cibi unciae (non statera ponderandae), et amplius quam octo in regionibus

frigidis vel quum ampliorem quantitatem exigunt complexio corporis, genus laborum, defectus vini etc. Huic vero quantitati standum *non* esse quum substantia decoquitur (ut ex. gr. quum agitur de pane, farina, oryza fervefactis), multi censent e Nostris, ea ducti ratione, quod per decoctionem vis nutritiva augeatur; at, cum ea ratio sit omnino a veritate rei aliena, non aqua nec decoctio sunt considerandae, sed unice computandum substantiae, olei et salis pondus. — Quantitas cibi in collatiuncula duplicari potest in pervigilio Nativitatis Domini; in aliis pervigiliis non poterit, nisi ubi viget consuetudo.

Ientaculum mane, unica refectio circa meridiem, collatiuncula vespere sumenda essent; sed ordinem intervertere, horam anticipare vel posticipare, *etiam sine causa* (CIC. can. 1251, § 2), plene licebit. Principium esto, non frustrari finem praecepti, dummodo unica refectio fiat, et temporis circumstantiam non esse nisi accidentalem.

359. Non frangitur lex ieiunii *a*) si interdiu sumantur quatuor circiter unciae cibi, vel intercise, vel una simul, neque *b*) per sumptionem liquidi quoad habeat rationem potus. Rationem potus *habent* aqua, vinum, liquores, cerevisia, coffea, id quod vulgo *thè* audit, aqua cum citrei sucu, aqua cum modico saccharo, potiones dulces eaedemque gelu concretae; *non habent* oleum, mel, saccharum, lac (nisi consuetudo alicubi vigeat), calda cacaotica etc.

360. Praeceptum ieiunii *ex genere suo grave* est, tum ex gravitate finis, quem Ecclesia sibi proposuit, tum ex expressa Ecclesiae ipsius declaratione (ex prop. 23ª ab Alex. VII damnata); quare materiae parvitatem admittit, ut vidimus n. praecedenti. Qui ergo vel essentiam ieiunii per secundam plenam refectionem solvit, vel cibum interdiu sumit ultra quatuor uncias, aut excedit quantitatem licitam in ientaculo vel collatiuncula, graviter peccat.

361. *Ieiunii praecepto* adstringuntur fideles vigesimo primo aetatis anno exeunte, eximuntur sexagesimo ineunte (CIC. can. 1254, § 2). A lege ieiunii *excusantur* alii ob debilitatem virium, alii ob paupertatem, alii ob gravem laborem sive intellectualem sive corporalem, alii ob dispensationem, de qua inferius. Et — *a*) *ob debilitatem virium* excusantur aegroti, convalescentes; debiles vel qui ex ieiunio emicraniam notabilem, vertigines, insomniam capiunt; mulieres praegnantes, lactantes, patientes menstrua; neurasthenici; de quibus v. fusius in *Medicina Pastorali* Antonelliana, vol. II, ubi de Ecclesiae praeceptis; — *b*) *ob paupertatem* omnes illi, quibus nec tanti nec tales cibi sunt, ut ex iis plena vel plene nutriens refectio comparetur; — *c*) *ob laborem intellectualem,* doctores disciplinarum tradendarum, qui quotidie docent quatuor vel quinque horas, vel etiam unam, quum praeparatio diuturnum et magnum studium et laborem exigit; studiosi, qui novem vel decem horas diarias scholae intersunt vel forti studio vacant; concionatores, qui quotidie vel fere quotidie concionem habent; missionarii, missione perdurante; confessarii, qui septem vel octo horas confessionibus excipiendis impendunt; addicti officiis publicis (*impiegati*), qui novem vel decem horas diarias munere suo funguntur; — *d*) *ob laborem corporalem,* operarii, qui artem mechanicam exercent, quae magnum corporis laborem requirat; itinerantes, si pedibus incedant per tres vel quatuor horas, si equo per biduum, si curru per triduum, qua in re ceterum considerandae sunt personae, viae, tempestates etc.; milites in stationibus.

Cap. III. De vetita ciborum promiscuitate (1).

362. Ex Constitutionibus Benedictinis et ex compluribus S. Poenit. decretis, ii, qui *vi dispensationis seu indulti* carnes possunt comedere, vetantur sub gravi *carnes* una cum *piscibus* in *eadem* refectione sumere omnibus diebus ieiunii per annum et in dominicis quoque Quadragesimae. At possunt carnes edere cum iusculo piscis vel condimento ex piscibus; item pisces cum iusculo carnis vel condimento ex carne; vetantur tamen edere carnes cum offa e piscibus tritis, vel pisces cum offa e carne trita.

Hac lege non tenentur ii, qui, non ex dispensatione, sed ex alia ratione, ex. gr. ob aegritudinem, carnes licite manducant, sed eadem lege adstringuntur (ex declarat. S. Off. d. 24 Maii 1841 et 23 Iunii 1875) ii, qui ratione *aetatis* vel *laboris* ad ieiunium non obligantur, quia ratione aetatis vel laboris a ieiunio stricte sumpto excusantur, at carnes comedunt vi indulti.

Qui dispensati sunt ad ova et lacticinia *tantum*, vel ad iusculum carnis et ad condimenta ex carne *tantum*, licite piscibus in eadem refectione utuntur.

Cap. IV. De lege abstinentiae et ieiunii.

363. Lex abstinentiae et ieiunii, quae a die 20 Augusti 1917 in Ecclesia universa viget (cf. *Acta Apostolicae Sedis* n. 1 Sept. 1917, fol. 475) et can. 1250-1254 CIC. continetur, haec est quae sequitur:

1° Quibus diebus *lex abstinentiae* servanda est, iis *non licet* carne et iure ex carne vesci, sed *licet*

(1) Haec immutata reliquimus (etsi hodie pro universa Ecclesia iam non vigent) uti normas pro iis personis physicis vel moralibus, religionibus, institutis, quae ex voto vel Constitutionibus strictum ieiunium servent adhuc.

uti ovis, lacticiniis et *quibuslibet* condimentis etiam ex adipe animalium.

2° Quibus diebus *lex ieiunii* servanda est, praescribitur *unica* per diem *comestio,* sed permittitur aliquid cibi mane et vespere, servata circa ciborum quantitatem et qualitatem probata locorum consuetudine (cf. nn. 357-359). Vetitum non est *carnes* ac *pisces* in eadem refectione *permiscere.*

3° Lex *solius abstinentiae* servanda est singulis sextis feriis; lex *abstinentiae* simul et *ieiunii* feria quarta Cinerum; feriis sextis et sabbatis Quadragesimae; feriis Quatuor Temporum; pervigiliis Pentecostes, Assumptionis B. M. V., Omnium Sanctorum et Nativitatis Domini; lex *solius ieiunii* reliquis omnibus, intra hebdomadam, Quadragesimae diebus.

4° At quovis die dominico et festo de praecepto (excepto festo S. Iosephi, tempore quadragesimali, quoties extra diem dominicum incidat) cessat lex tum abstinentiae solius, tum ieiunii solius, tum utraque simul; pervigilia non anticipantur, ita ut, si Assumptio B. M. V., festum Omnium Sanctorum, Nativitas Domini inciderint in feriam secundam, observatio pervigilii evanescat; item cessat lex abstinentiae et ieiunii Sabbato Sancto post meridiem.

5° Nihil immutatur de indultis particularibus, de votis cuiuslibet personae physicae vel moralis, de constitutionibus ac regulis cuiusvis religionis vel instituti approbati sive virorum sive mulierum in communi viventium etiam sine votis (1).

364. Dispensati ab abstinentia tantum, quibus diebus lex abstinentiae simul et ieiunii servanda est, licite carnibus vescuntur in sola unica comestione (Bull. Clem. XIII 20 Dec. 1759; S. Alph.

(1) In Gallia, diebus festis sub praecepto in universa Ecclesia servatis, sed pro Gallia ex concessione S. Sedis suppressis (sc. Circumcisionis, Epiphaniae, Imm. Conceptionis B. M. V. et SS. Petri et Pauli), lex abstinentiae non cessat Comm. Pont. CIC. interpretando, d. 17 Febr. 1918).

n. 1027); qui vero *non tenentur* ieiunare, vesci possunt *in quacumque refectione*, et interdiu quoque, cibis, quibus uti possunt ieiunantes in unica refectione.

Cap. V. De dispensatione a lege ieiunii vel abstinentiae.

365. In lege abstinentiae et ieiunii:

a) *Summus Pontifex* dispensat pro universa Ecclesia, valide semper, licite ex iusta causa;

b) *Ordinarius loci*, *aa*) in casu peculiari magni populi concursus vel publicae valetudinis causa, potest totam dioecesim vel locum ab observatione tum abstinentiae, tum ieiunii, tum utriusque dispensare: *bb*) ordinarie potest item dispensare ex iusta causa subiectos sibi singulos fideles singulasve familias, extra territorium quoque, atque in suo territorio etiam peregrinos;

c) *Parochus* potest quae Ordinarius sub *bb*);

d) *Superiores* in religione clericali exempta eamdem potestatem habent, ad modum parochi, quod attinet ad professos, novitios aliosve in religiosa domo diu noctuque degentes causa famulatus vel educationis vel hospitii vel infirmae valetudinis.

e) *Confessarius* non dispensat, nisi facultatem habuerit delegatam, at declarare potest, item ac *medicus* et *superiorissa* monialium, causam adesse a lege excusantem.

Tit. III. De Tertio Ecclesiae Praecepto seu de Annua Confessione.

366. Praeceptum hoc inductum est a Conc. Lateran IV: « Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua peccata solus confiteatur fideliter saltem semel in anno proprio sacerdoti »; et confirmatum a Conc.

Tridentino sess. XIII can. 9 et sess. XIV can. 8 et c. 5, et a CIC. can. 906.

Huic praecepto satisfieri debet: *a*) sub gravi, si grave peccatum conscientiam oneret, secus obligatio cessat; *b*) ex quo, sive citra sive supra septennium, sufficiens rationis usus a pueris attingitur; in dubio pueri poterunt ad poenitentiae sacramentum admitti et absolvi sub condicione; *c*) per confessionem validam (ex prop. 14ª ab Alex. VII damn.); quare non satisfit per confessionem voluntarie invalidam et multo minus per sacrilegam (CIC. can. 907); *d*) semel in anno, computando vel more civili a Kal. Ianuariis ad 31 d. Decembris, vel *probabilius* a Paschate ad Pascha; tempus vero affixum est non finiendae sed urgendae obligationi, ideoque qui, sibi gravis culpae conscius, intra annum praecepto non paruerit, tenebitur adhuc; *c*) per confessionem factam vel proprio parocho vel cuilibet sacerdoti adprobato, etiam alterius ritus.

Tit. IV. De Quarto Ecclesiae Praecepto seu de Annua Communione Paschali.

367. Omnes fideles, ex quo sufficientem rationis usum adepti sunt, tenentur sub gravi ad Sacram Communionem accedere *ex praecepto divino* saepius in vita, *ex praecepto divino-ecclesiastico* (cum Ecclesia obligationem determinaverit) semel in anno, *ex praecepto ecclesiastico* tempore Paschali.

Videndum est quo definito tempore, quo loco, quomodo praecepto parendum sit.

A) *Tempus Paschale*, ex Const. *Fide digna* d. 8 Iul. 1440 ab Eugenio IV data, complectitur quindenam a Dominica Palmarum inclusive ad totam Dominicam in Albis (cf. CIC. can. 859, § 3); id tempus possunt *a*) Ordinarii, si ita personarum ac locorum adiuncta exigant, etiam pro tota dioecesi anticipare, non tamen ante quartam dominicam

Quadragesimae, vel prorogare, non tamen ultra festum Ss. Trinitatis (CIC. can. 859, § 2, et paragraphus vigere coepit a die 20 Augusti 1917); *b*) parochi et confessarii pro singulis ob aliquam rationabilem causam (id. can., § 1). — Tempus praescribitur, non ad finiendam, sed ad urgendam obligationem; qui ergo ad S. Communionem tempore Paschali non accesserit, peccavit et tenetur adhuc praecepto satisfacere, non quamprimum poterit, sed intra annum, computandum, iuxta nonnullos, a fine illius temporis Paschalis ad finem temporis Paschalis insequentis anni, at *verius*, si quid opinor, ab initio illius temporis Paschalis ad initium temporis Paschalis futuri anni.

B) *Locus* praescriptus, ubi Communio Paschalis peragenda, est *per se* propria parochialis Ecclesia, ut pastori suppetat facultas suas oves cognoscendi: sed haec obligatio ex CIC. can. 859, § 3, cessat. Suadendum fidelibus ut huic praecepto satisfaciant in sua quisque paroecia; et qui in aliena paroecia satisfecerint, curent proprium parochum de adimpleto praecepto certiorem facere.

C) *Modus* in eo est, ut satisfiat per Communionem *dignam* et, regulariter, *suo ritu* (can. 866, § 2). Sacrilege accedens, non satisfacit praecepto, et denuo ad S. Synaxim accedere debet (can. 861).

Tit. V. De Quinto Ecclesiae Praecepto seu de Decimis solvendis.

368. Ubi decimae sacramentales adhuc solvuntur, solvi debent (cf. CIC. can. 1502); ubi non vigent, sive quia lege civili sunt abolitae, sive quia nunquam viguerunt, sive quia in desuetudinem abierunt, cessat onus in particulari; at fideles ex praecepto naturali et positivo-divino tenentur clerum sustentare, saltem quum onus ab Ecclesia imponitur, uti nunc in Gallia.

Tit. VI. De Sexto Ecclesiae Praecepto seu de sollemnitate in Nuptiis non adhibenda tempore vetito.

369. De hoc videsis in tractatione de Matrimonio n. 577.

APPENDIX. De prohibitione cremandi cadavera.

370. Est *graviter illicitum a*) *mandare* ut propria vel aliorum cadavera comburantur; *b*) illius, qui mandaverit proprium cadaver comburi, exsequi voluntatem, quae si adiecta fuerit contractui, testamento aut alii cuilibet actui, tamquam non adiecta habenda est (CIC. can. 1203, § 2); *c*) *adscribere se societatibus,* quae ad promovendam cremationem sunt institutae, et, si eae societati massonicae sint affiliatae, incurritur excommunicatio simpliciter R. P. reservata (S. Off. 19 Maii 1886); *d*) *cooperari formaliter* cremationi; sed ex gravi causa licita erit *officialibus* et operariis catholicis cooperatio materialis, modo crematio non ostentetur ut signum protestativum sectae massonicae vel ut reprobatio doctrinae catholicae et non fiat in contemptum catholicae religionis (S. Off. 27 Iul. 1892).

Iis, qui mandarunt sua corpora post mortem comburi, et nolint mandatum retractare, *morientibus sacramenta deneganda sunt* (S. Off. 27 Iul. 1892) et *sepultura ecclesiastica* item deneganda (S. Off. 15 Dec. 1886 — CIC. can. 1240, § 1, 5°). At ii, quos constet in bona fide fuisse et ignorasse Ecclesiae prohibitionem, vel non perseverasse in voluntate mala usque ad mortem, sepultura ecclesiastica privandi non sunt; item ii, quorum corpora comburuntur non propria sed aliorum voluntate:

his vero Ecclesiae ritus et suffragia impertiri possunt, remoto scandalo (ex. gr. palam faciendo cremationem contra defuncti voluntatem patrari) et non usque ad crematorii locum.

PARS ALTERA

DE OFFICIIS QUAE ALIQUIBUS CHRISTIANORUM COETIBUS SUNT PROPRIA SEU DE STATIBUS PARTICULARIBUS

371. Vocatur *status particularis* vivendi condicio cum aliqua stabilitate. Duplex distinguitur: *saecularis* et *religiosus;* uterque *clericos* et *laicos* complectitur, prout tonsura suscepta fuit necne. Quare triplex erit huius partis divisio; sc. agemus *primo* de statu laicorum eorumque officiis; *secundo* de statu clericorum deque eorum officiis et privilegiis; *tertio* demum de statu religiosorum deque eorum officiis et privilegiis.

SECTIO PRIMA

DE STATU LAICORUM EORUMQUE OFFICIIS

372. Non de singulis laicorum statibus agendum, qui sunt prope innumeri, sed de iis, quibus peculiaria insunt officia. Generale principium esto, eum, qui publicum gerit officium, teneri ex quasi-contractu ad illud rite exercendum. Quare peccat qui munus acceptat, cui gerendo inhabilis est et qui, postquam acceptavit, eo diligenter non fungitur.

Cap. II. De statibus ad forum spectantibus.

373. De Iudice. I. Quis sit. *Iudex* est persona publica, a legitima auctoritate constituta, ut iuxta legem iustitiam administret, sententiam ferendo inter duas partes litigantes, authentica iuris declaratione et applicatione.

II. **Iudicis qualitates.** Iudex pollere debet: 1° *Scientia,* ut ius dignoscat et factum scrutari sciat. 2° *Prudentia,* ut ius facto applicet. Si neutra polleat, ita ut grave proximo damnum oriturum probabiliter sit, graviter peccat munus acceptando et absolvi nequit nisi vel scientiam studio sibi comparet et interim utatur consiliis et opera doctorum virorum, vel renuntiet officium si nulla adsit spes futurae aptitudinis. 3° *Integritate animi:* quam nisi servet, reus erit violatae iustitiae tum legalis tum commutativae. Ex hoc capite nequit *dona alicuius momenti accipere,* ex lege tum naturali, tum positiva ecclesiastica et civili, ne intercedat corruptionis periculum; *multo minus* potest pecuniam accipere, quae ei offeratur ut causam aliquam prae alia expediat, vel ferat sententiam in favorem unius prae alio quando utrique opiniones favent aeque probabiles. *Restituere* vero *a*) dona *sponte* oblata, non tenetur nisi ad id fuerit condemnatus; *b*) tenetur ea, quae accepit ut ferret sententiam iustam, quia haec, cum ex iustitia proferri debeat, nequit esse obiectum pacti; *c*) ea, quae accepit ut ferret sententiam iniustam, tenetur ante quam sententiam ferat; lata vero iniusta sententia, retinere ea potest, quia actionis malae iam praestitae fructum retinere licet, vi contractus innominati « do ut facias »; *d*) ea, quae extorsit vi aut minis aut iniusta vexatione, semper tenetur.

III. **Iudicis obligationes.** Iudex tenetur: A) *Factum explorare. In re criminali,* iudex debet processum instituere ad iuris normam. Nostri et canonistae tradunt iudicem procedere posse *a*) si

intercessit *accusatio* vel *denuntiatio* ab aliquo facta ; vel *b*) via *inquisitionis*. Haec dicitur *generalis*, quum in genere inquiritur an leges serventur et adsint transgressores; *specialis*, si inquiritur de certo crimine patrato, cuius circumstantiae et auctor ignorentur ; *specialissima*, si inquiritur circa certam personam suspectam de certo crimine ex. gr. an Titius sit reus cuiusdam criminis. *Generalem* Nostri dicunt iudici ex officio licitam esse, modo ea non se extendat ad delicta occulta elicienda, de quibus nulla est fama ; *specialem* ei semper esse licitam, modo non inquirat in particulari de certa persona quin praecedant aliqua infamia et aliqua indicia ; *specialissimam* non ei licere, nisi praecedat infamia vel aliquid aequipollens, quod iustam praebeat causam inquirendi, ne persona diffametur sine legitima causa. B) Facto explorato, *ius explorare* debet, quod ad eiusmodi factum pertineat. C) *Facto ius aptare* et *sententiam ferre* α) *ex actis et probatis* et β) *ex iure*. α) *In iudiciis civilibus*, iudex actis et probatis stare debet, licet sibi ex privata scientia constet ea falsa esse, quia agit personam publicam et secundum scientiam publicam procedere debet. *In re criminali*, si iudex *a*) privata scientia reum esse sciat accusatum, qui tamen ex actis et probatis innocens apparet, debet eum absolvere, quia publicam scientiam sequi debet ; si *b*) privata scientia innocentem esse sciat qui iuridice probatus est reus, tenetur eum omni contentione liberare, si potest, quia legislator in vitam et libertatem innocentis ius non habet ; ex. gr. poterit impedire accusationem, differre causam etc. Si nihil iudex ad innocentem liberandum prodesse queat, alii aliud sentiunt : S. Thomas dicit iudicem posse sententiam proferre iuxta acta et probata ; S. Alphonsus negat omnino, quia damnare innocentem est intrinsece malum ; Lessius et Lugo, distinguentes, aiunt non licere iudici sententiam proferre iuxta allegata si agatur de poenis personalibus ; licere, si agatur de poenis pecuniariis, quia res publica ha-

bet altum dominium in bona civium ratione boni publici, quod hic haberetur, nempe ut forma iudiciorum stet et nervi iustitiae coram populo non dissolvantur. *β*) Iudex sententiam ferre debet *ex iure*, licet lex dura videatur et non satis iusta. *a*) Si lex est certo iniusta, duplex casus dari potest: aut ea obstat Ecclesiae legibus, in quibus Rom. Pontifex dispensat, aut obstat legi naturali et divinae. Si lex obstat iuri ecclesiastico, iudex petere potest facultatem ab Ecclesia, eamque facile obtinebit, cum Ecclesiae intersit bonos iudices esse in societate. Si lex obstat iuri naturali vel divino: aut *aa*) iudex debet aliquid contra ius naturale vel divinum praecipere (ex. gr. ubi lex divortii urget, pronuntiare sententiam de divortio, sc. de vinculi solutione, et monere coniuges, posse eos ad alias nuptias transire), et id iudici non licet, qui potius tenetur officium renuntiare (1); aut *bb*) debet legis civilis iniustae transgressori poenam imponere, et in hoc casu poenam mortis vel restrictivam ad longum tempus certo infligere nequit; tolerari poterit ut infligat poenam pecuniariam vel restrictivam leviorem, ne cogatur officium renuntiare, cum gravi damno suo vel societatis. *b*) *Si lex sit* obscura sc. *dubia,* et adsint utrinque rationes probabiles, *in re criminali* reo favendum est. *In re civili*, in dubio facti serventur regulae iuris de dubiis; in dubio iuris, vel aliquis rem possidet vel nemo: si 1um, possessori favendum est; si 2um, aut rationes utrinque allatae sunt alia probabilior prae alia, et standum pro probabiliore; — in pari probabilitate, alii sentiunt rem esse dividendam; alii inducendam esse concordiam inter partes et, si nequeat induci, iudicem posse pro alterutra parte ad libitum definire. Ex iure romano et canonico, si agatur de causis matrimonii, dotis, viduae, pupilli, pro his semper, in pari utrinque probabilitate, standum est.

IV. **De sententia iniuste lata.** Si iudex tulerit

(1) Cf. tamen n. 584.

iniustam sententiam a) ex errore inculpabili, tenetur sententiam revocare, si potest sine notabili incommodo, quia iustitia non fuit formaliter laesa; damni vero non tenetur; *b) dolo* vel *ex gravi imperitia et neglegentia culpabili,* tenetur sententiam revocare, etiam cum gravi incommodo; secus, damni tenetur.

V. **De vi sententiae in foro interno.** Sententia certo aut dubie iusta obligat in conscientia, licet a dubie iusta detur appellatio; certo iniusta vim in conscientia non habet et parit ius ad compensationem.

374. De iuratis (*Giurati, Giurì*). *Iurati* (sic dicti a iuramento quod praestant) sunt viri selecti ex civium primoribus ad pronuntiandum in re criminali de exsistentia facti et de accusati culpabilitate. Iurati ex lege ipsa debent suffragium seu votum ferre iuxta intimam persuasionem, quin suffragii lati rationem legalem exprimere teneantur. Quare *a)* nequeunt votum ferre contra accusatum iuridice convictum, quem ex privata scientia norunt esse innocentem; *b)* si ex tarditate ingenii vel ex magnis rei dirimendae difficultatibus aliquam persuasionem sibi efformare non potuerunt, debent vel reo favere vel tradere schedam vacuam (*scheda bianca*) quae ut favorabilis reo habetur et computatur; *c)* si accusatus ex actis et probatis innocens videatur et eum iuratus certo noverit, ex privata scientia, reum esse, alii e Nostris sentiunt iuratum teneri ad absolvendum, quia ab actis et probatis praescindere nequit; alii, contra, dicunt eum teneri ad condemnandum, et *verius,* nisi fallor, quia ex lege ipsa iuratus stare debet intimae persuasioni, et certo, si in casu absolveret, non id faceret ex intima persuasione de accusati innocentia, cui obstat omnino privata scientia.

375. De advocato. *Advocatus* ille est, qui suum litigantibus praebet auxilium consilio et defensione suscepta apud iudicem. Quoad *scientiam,* ea ap-

plicentur quae de iudice diximus; quare, si causam suscipit, cui defendendae inhabilem se noverit, damni tenetur erga clientem, nisi hic *sciens volens* illum selegerit. Quoad *causam: a*) *in re civili nequit* suscipere *causam iniustam, potest* causam *probabiliter iustam,* quam, si ea in decursu litis evidenter iniusta appareat, praemonito cliente, deserere debet: nisi deserat, tunc, aut clientem non praemonuit, et damni ex integro tenetur erga utramque partem, aut praemonuit, et cum cliente erga alteram partem simul tenetur, tamquam eius mandatarius; — *b*) *in re poenali, actoris* partem (*parte civile*) suscipere nequit, nisi sit certo iusta; *accusatum* defendere potest semper, sive eum innocentem putet, sive reum certo sciat, tum quia nemini infert iniuriam, tum quia nemo condemnari debet nisi iuridice reus probetur; — *c*) *tum* in re civili, *tum* in poenali, causam defendere nequit mediis iniustis vel falsis documentis utendo; et iustitiam graviter laedit si alteri parti iniustum damnum inferat vel falsa documenta conficiat; si, in locum documenti veri amissi, falsum substituat, mendacium admittet grave, quia boni publici interest ne falsa documenta prodeant, et simul graviter laedet caritatem, quia periculo exponit se et clientem incurrendi in gravissimas poenas, iure infligendas, ri res detegatur. Quoad *fidelitatem a*) tenetur causam perpendere et clientem monere tum de eius iustitia vel iniustitia, certitudine vel probabilitate, tum si quid novi incidat, unde causa deterior fiat; *b*) ordinariam diligentiam adhibere debet ut causam vincat et cito finiat; *c*) causam deserere nequit, ut alteram partem defendendam suscipiat, nec alteri parti ea communicare, quae eidem prodessent, vel secreta clientis detegere; *d*) causam iniustam deserere potest et etiam adversarii causam iustam suscipere, at ea condicione ut ne secretis prioris clientis in bonum posterioris utatur. Nisi haec omnia servet, damni erga clientem tenetur, et etiam erga adversarium in casu, quo iniuste causam longius proferat. Quoad *stipendium, a*) advocato ho-

noraria debentur, prout ab initio convenit, si iuste convenerit; secus, ex taxatione ab auctoritate facta vel ex consuetudine; *b*) si salarium ei constitutum sit in singulos annos, id ei debetur, etiamsi nulla causa intra annum inciderit, et, quo anno decessit, pro rata heredibus solvetur; *c*) advocatus ad compensationem ius habet si causam paratam et nondum actam cliens deseruerit; *d*) advocatus pauperes qui in extrema vel quasi-extrema necessitate versantur, gratuito defendere debet et cum gravi suo incommodo; eos, qui in gravi, item, at sine notabili incommodo; iis, qui in communi necessitate sunt, aliquid operis, sine suo incommodo, impertire.

376. De procuratore. *Procurator* est qui, litigantis mandato et nomine, causam in iudicio prosequitur. Ei applicentur quae de advocato diximus et de actore inferius dicemus.

377. De referendario seu **referente** (*relatore*). Is est, cui acta litigantium discutienda committuntur, ut postea eorum fundamenta, quasi in compendium redacta, iudicibus referat. Is peccat et damni teneri potest si, ob studii defectum vel incuriam, male referat vel aliquid substantiale praetermittat; item si, alterutri parti favens, alterius rationes accuratius et enucleatius proponat, ut in eius favorem sententia cedat.

378. De cancellario. Is contra iustitiam peccat: *a*) si attentionem seriam et constantem non adhibeat ad ea, quae in iudicio proferuntur, inque iis conscribendis diligentiam plenissimam; *b*) si quid ex malitia in actis omittat, acta adulteret aut male custodiat, debitas formalitates et subscriptiones in iis neve servet neve apponat aut apponi non satagat; *c*) si in ordine litium digerendo alteri cum alterius damno faveat; alterutri parti secreta prodat, sententiam nondum publicam manifestet; processus peractos, iudicis iniussu, alteri commu-

nicet; *d*) si, ad augendum salarium, acta longius proferat, vel, ob incuriam, acta manca vel non ad legales formas exacta petentibus tradat pro quolibet usu legali etc.

379. De apparitore (*usciere*). Apparitor *a*) rem suam scire debet et fideliter exsequi *ex iustitia*, et cum minima proximi vexatione *ex caritate; b*) videtur exigere posse, ex consuetudine — etiamsi lex ius non conferret — multiplex salarium si unico cursu plura vadimonia vel mandata deferat; *c*) si sententiam *certo* sciat iniustam esse, debet tamen eam exsequi, ratione publici boni; quod dici nequit de lictore seu carnifice, quum agitur de sententia capitali.

380. De actore vel **accusatore.** *Actor* dicitur qui rem, *accusator* qui poenam petit. *Utrumque* oportet iusta petere (et si iniuste petat, damni tenetur), agere servato iuris ordine et intentionem suam docere probationibus manifestis. Quinam ab accusatoris officio prohibeantur, videsis apud canonistas; accusare vel iuridice denuntiare tenentur omnes *a*) si agatur de communi damno vitando vel de gravi innocentis iactura; *b*) si id lege positiva praecipiatur: modo tamen non agatur *aa*) de crimine cognito sub secreto naturali vel promisso vel commisso; *bb*) de delinquente iam emendato et qui parti laesae satisfecerit. Et si non agitur de gravi damno communi avertendo, a lege denuntiationis servanda excusat grave incommodum.

381. De testibus. 1° Nemo tenetur ex iustitia commutativa sponte se offerre ad testimonium ferendum, ut patet; at potest aliquis ad id obligari ex caritate aut ex iustitia legali, prout agitur de gravi bono vel damno proximi, aut de gravi bono vel damno communi. 2° Testis legitime in iudicium vocatus debet sistere se coram iudice, iusiurandum interponere et iudici legitime interroganti (iudex

legitime interrogat, quum est *legitimus* iudex et interrogat servata iudiciali forma) veritatem manifestare, *nisi legitime excusetur*. Et testis legitime excusatur et veritatem reticere potest, iuramento non obstante, *a*) si sit confessarius, qui rem ex confessione acceperit, in omni prorsus casu; *b*) si rem sciat sub secreto naturali vel commisso, exceptis iis casibus, in quibus secreti obligatio cessat (cf. n. 351, 2°), vel iniustis mediis in rei cognitionem pervenerit ex. gr. alienas litteras aperiendo, vel fraudibus, dolo adhibitis; *c*) si noverit accusatum non peccasse (ex. gr. si is furti accusatur qui iure compensatione occulta usus est), at in causa civili non excusatur a veritate manifestanda, quia in ea unice culpa iuridica attendi debet; *d*) si rem aut ipse solus sciat, et alia indicia vel alii testes non suppetant, aut noverit ab hominibus non fide dignis; *e*) si grave sibi vel suis damnum ex testimonio immineat, modo damnum publicum vel privatum non praestet notabiliter suo vel suorum damno. 3° *a*) *Periurus,* sc. qui falsum iuravit sciens et volens, peccat contra veracitatem et contra religionem; item peccat contra iustitiam commutativam, si *fuit causa efficax* damni, et in hoc casu tenetur damna reparare et cogitur cum pari suo damno revocare quae dixit; *b*) qui non fuit causa efficax damni, quia ex. gr. iam ex falsis praecedentium testium depositionibus iudex eodem modo condemnasset, ad restitutionem non obligatur; *c*) qui falsum deposuit vel ex ignorantia vel ex inadvertentia vel ex oblivione inculpabili, restituendi onere eximitur, licet debeat impedire damnum, si queat; *d*) qui veritatem *reticet* — extra casus, de quibus n. 2° —, damnum positive non infert, sed solum non impedit; quare contra iustitiam commutativam non peccat et restituere non tenetur nisi quum ex officio vel contractu testimonium ferre debebat.

382. De reo. *Reus* hic intelligitur, qui in iudicium conventus est, sive civile sive criminale. I. *In causa*

civili, reus *a*) debet actionem petitoris, quae certo iusta sit, iustam recognoscere et a lite recedere; *b*) si certo debitor sit, debitum solvere tenetur, etsi ipse in iudicio fuit a solvendo absolutus et actor non appellavit, quia non praesumitur, actorem, eo quod non appellaverit, iuri suo cessisse in foro interno; *c*) si, certo debitor, fuit tamen absolutus, non tenetur expensas compensare, si ideo fuit absolutus quod actor probationes sufficientes non attulit; at contra expensas reficere tenetur si *ideo* fuit absolutus quia mediis iniustis usus est. II. *In causa criminali,* 1° *reus innocens: a*) *Ante causae discussionem,* potest non solum se eripere a comprehendentium manibus et fugere, sed iis, tamquam iniustis aggressoribus, positive resistere repellendo, terrendo, etiam armis alio explosis, quin tamen eos laedat, tum quia removeri debet scandalum quod oritur ex resistentia legitimae auctoritati, tum quia debet servari moderamen inculpatae tutelae. *b*) *In causae disceptatione,* ad fidem testium infirmandam potest eorum occulta crimina manifestare, si id necessarium sit suae defensioni, et suum damnum praestet damno testium; sed si testes falsum scienter dicant, ea manifestatio semper erit licita. At nunquam licebit testibus falsa crimina imponere, et evidens est (cf. prop. 44 ab Innoc. XI damn.). *c*) *Post sententiam latam,* si fuerit iniuste condemnatus, non solum potest aufugere, sed etiam custodes, de sententiae iniustitia, ad eorum peccatum praecavendum, praemonitos, pecunia corrumpere, ut sinant eum aufugere; in iis enim obligatio cessat officii, imo officium in casu est cooperatio ad iniustitiam. 2° *Reus, qui vere crimen commisit: a*) *Quum comprehenditur,* potest aufugere ex innato libertatis iure, at non positive comprehendentibus resistere; et *ante iudicis sententiam* item se eripere potest *licitis mediis,* quia nondum fuit carcere mulctatus. Licita vero media sunt carceres effringere, custodes decipere, at non corrumpere, quia nemini licet alterum inducere ut officio suo *iusto*

desit. *b*) *In causae disceptatione non tenetur* crimen suum fateri: ex iure can. vetere (iuri romano innixo) reus legitime et iuridice interrogatus, si praecessisset semiplena probatio, fateri tenebatur, saltem nisi ageretur de gravissima poena subeunda, at ex novis legibus neque iuramentum reo imponitur neque ab eo exigitur criminis confessio; *potest* manifestare occulta testium crimina, si id sit suae defensioni necessarium et damnum suum praestet damno testium, at non falsa crimina testibus imponere. *c*) *Iusta sententia condemnationis lata,* iuxta alios e Nostris aufugere nequit, nisi quum agatur de poena gravissima, quia lex humana nequit tam dura praecipere; iuxta alios in omni prorsus casu potest licite aufugere, *licitis mediis* adhibitis, quia non tenetur in carcere manere, sed sinere ut custodiatur.

383. De notariis. Notarii *a*) tenentur ex quasi-contractu, ideoque ex iustitia commutativa, non modo mediocrem, sed etiam plenissimam diligentiam adhibere in actis conficiendis, et per se *sub gravi,* cum ex eorum neglegentia gravissima damna oriri possint ac soleant; *b*) in diebus dominicis vel festis non possunt acta conficere quae ad iurisdictionem contentiosam spectent, quae si conficiant cum omnibus sollemnitatibus iuris, alio die apposito, et ipsi peccant et ea falsitate laborant: at, cum ex consuetudine contractus diebus festis iniri possint, licite instrumenta contractuum conficiunt; *c*) ex communiore sententia non peccant, neque ad restitutionem obligantur, si in instrumentis (ex. gr. venditionis) conficiendis, sive ex voluntate contrahentium, sive ex consilio contrahentibus dato, imminutum rei pretium inscribant, ad minuendum tributum quod erit solvendum; si enim partes non peccant, neque notarii peccabunt cooperando, cum non sint vectigalibus praepositi sed confectores actorum ex officio; *d*) peccant si pretium exigant ultra legitimam taxationem, et restituere tenentur; nec ratio valet a nonnullis ad-

ducta, legem pro temporum adiunctis variam fuisse et variam esse futuram.

384. De arbitris. *Arbitri* dicuntur qui ab utroque litigante, ad litem dirimendam, instar iudicum, sponte eliguntur vel per alios electi admittuntur. Si lis ex bono et aequo dirimenda eis committitur, ex bono et aequo dirimunt; secus, ex stricto iure. Valent relate ad eos multa ex iis quae de iudice diximus et quae de iis in codicibus civilibus vel in legibus particularibus sancita sunt, saltem ut eorum sententia in foro externo vim habeat.

Cap. II. De statibus a foro alienis.

385. De medicis-chirurgis. *a*) *Relate ad curam suscipiendam,* medicus, qui *non* sit stipendio *conductus,* tenetur non ex iustitia sed ex caritate curam infirmi suscipere, et *sub gravi* quum alius medicus deest et grave ipse incommodum non patitur; at curationem, semel susceptam ex caritate, tenetur *ex iustitia* optimo modo peragere ex tacito contractu cum infirmo, eamque non deserere, si alius medicus desit; *conductus* debet ex iustitia infirmos curare cum gravi suo incommodo et etiam tempore morbi contagiosi infirmos non deserere. *b*) *Relate ad remedia,* adhibere debet remedia certa prae dubiis; e dubiis seligere probabiliora; desperata infirmi salute, poterit adhibere, quando cetera desint, etiam remedium dubium, ex quo probabile est tum valetudinem adiuvari, tum mortem accelerari: immo *experiri* seu *explorare* remedium, cuius effectus definite ignoretur; quo tamen uti nequit quum desperata salus non est, ne ex consensu quidem infirmi si vita periculo exponatur: uti poterit, ex praemoniti infirmi consensu, si damnum leve unice sequi possit. In dubio de morbi natura vel de curationis methodo, tenetur alios medicos, si potest, advocare, vel saltem aequo animo ferre (secus aequivalenter impediret) eos a

familia advocari. *c*) *Relate ad infirmos, da*) sine vera necessitate vel utilitate adspiciens vel tangens genitalia mulierum, peccat plus minusve graviter: at gravi certo non vacat si consilia infirmis praebeat legi castitatis directe obversantia; *bb*) secretum officiosum servare debet de iis, quae unice ex infirmi curatione cognoscat; *cc*) tum ex iure naturali, tum ex caritate et praecepto Ecclesiastico, monere tenetur infirmum, sive per se sive per alios, de vitae periculo, ne decedat nisi sacramentis perceptis et rebus suis rite dispositis: at ex gravi incommodo excusatur, quoties sciat morali certitudine infirmum esse in statu gratiae et res suas composuisse, vel ita in sua impietate obcoecatum ut monitio sit non profutura, imo obfutura. *d*) *Relate ad expensas,* tenetur ex iustitia cavere inutiles expensas, et pretio ordinario esse contentus.

386. De pharmacopolis. Hi peccant contra iustitiam si vendant remedia vetusta, quae effectum non sortiuntur, vel inutilia, aut si non exsequantur fideliter medicorum iussa; item si puellis, quae fetum gerant, subministrent remedia ad fetum eiiciendum etc.

387. De agrorum custodibus (*guardiani*). Hi ex officio debent damna impedire, praesertim notabilia, et denuntiare damnificatores, saltem in re minus levi: ni faciant, peccant contra religionem, iuramenti ratione, et contra iustitiam ratione officii; damni vero pro culpa tenentur.

388. De mercatoribus, artificibus, opificibus. *a*) *Mercatores* peccant contra iustitiam vendendo merces pretio ultra summum; occultos rerum defectus non manifestando; commiscendo merces veteres et novas, ut eas simul et eodem pretio divendant etc.: et in hisce vel similibus casibus, restitutionis onus contrahunt. *b*) *Artifices* et *opifices* iustitiam laedunt vendendo aut locando opera sua pretio iniusto; defectus operis occultando, saltem

nisi eorum rationem in pretio computando habeant; ex culpabili neglegentia tempus terendo cum domini damno; alios operarios avertendo a debito labore; opus male exsequendo etc.

SECTIO ALTERA

DE STATU CLERICORUM DEQUE EORUM OFFICIIS, IURIBUS, PRIVILEGIIS

Tit. I. De Obligationibus Clericorum in genere.

389. Clerici in genere alia praestare vetantur, alia iubentur: inde obligationes *negativae,* hinc *positivae.*

Cap. I. De obligationibus clericorum negativis.

390. A quibus clerici **prohibentur,** ea commode a cl. Melata in quatuor classes digeruntur; ordinem hunc sequimur libenter, claritatis gratia. Notandum est, haec fere omnia clericos in sacris constitutos vel beneficiarios respicere.

I. *Prohibentur clerici ab iis omnibus, quae, licet inhonestatem non contineant,* **possunt** tamen **suspicionem ingerere.** Et quidem vetantur clerici: *a) Mulieres frequentare, vel domi retinere,* famulatus causa, nisi eae sint omnino necessariae et simul omnis suspicionis expertes: cuius modi *praesumuntur* esse sanguine propinquae (sc. consanguineae in 1° et 2° gradu et adfines in 1° tantum, regulariter); non item extraneae, quae non sint probatae virtutis et saltem quadragenariae. Licebit autem, suspicione remota, cohabitare etiam cum iuniori-

bus, quae sint vel uxores famulorum suorum, vel ancillae aut pedissequae eorum qui de familia sunt. Iudicium hac in re pertinet ad Ordinarium loci, cuius est clericos ab ea frequentatione vel retentione prohibere; et clerici contumaces in iure praesumuntur concubinarii (CIC. can. 133). *b*) *Cauponas aliaque similia loca ingredi*, nisi ex necessitate vel alia iusta causa ab Ordinario loci probanda. *c*) *Choreas ducere* et *publicis spectaculis*, praesertim lubricis, interesse. *d*) *Ludis alearum* indulgere, et generatim iis ludis, quorum exitus a sorte, potius quam ab ingenio, pendeat, non modo ratione scandali (quod posset etiam abesse), sed *verius* quia ii clericos dedecent; quando vero letale attingatur, definire difficile est, nisi simul ratio scandali habeatur (cf. can. 138, 140).

II. *Interdicuntur clericis ea, quae nimis detinerent et* **distraherent animum a ministerio sacro**; et quidem: *a*) *Negotiatio proprie dicta* (sc. non *oeconomica*, quae ad familiae administrationem pertinet, nec *artificialis*, quae in artis exercitio consistit); eaque habetur quum res emuntur eo animo ut, non immutatae, vendantur carius vel, immutatae per industriam *aliorum* hominum, divendantur cum lucro. Negotiationem eiusmodi exercere sive per se sive per alios *grave est*, *nisi excusent* vel parvitas materiae (ut si quis exerceat — etsi cum magno lucro — semel vel iterum); vel necessitas vitae sui suorumque; vel necessitas status (quo in casu requiritur licentia S. Sedis vel Ordinarii); vel successio per hereditatem in negotium, quod sine detrimento dimitti nequeat (quo in casu in Italia et insulis requiritur licentia S. Congr. Concilii, et alibi eiusdem S. Congr. vel Ordinarii), at illud, si clericus cum aliis e familia successit, per hos obire, sine licentia, poterit. Non interdicitur clericis emptio *caedularum debiti publici*, *obligationum* (quae haberi possunt ut census redimibilis), et *actionum* sive industrialium sive commercialium; in hisce omnibus casibus clerici haberi possunt ut creditores vel Status vel civitatum vel

societatum. Clericis tamen non licebit eas minoris emere ut pluris vendant, sed emptas ob alium finem carius pro opportunitate vendere, videtur id esse negotiatio oeconomica, ideoque non illicitum (cf. can. 142). — *b*) *Officia saecularia ;* et prohibentur, *sine apostolico indulto,* tabelliones seu publicos notarios (praeterquam in Curia ecclesiastica) agere, et officia publica assumere, quae secumferant exercitium laicalis iurisdictionis vel administrationis ; sollicitare aut acceptare munus senatorum aut oratorum legibus ferendis sine licentia S. Sedis in locis ubi pontificia prohibitio intercesserit, vel alibi sine licentia tum Ordinarii sui, tum Ordinarii loci in quo electio facienda est ; *sine venia autem Ordinarii sui,* inire gestiones bonorum ad laicos pertinentium ; procuratoris aut advocati munus exercere, praeterquam in tribunali ecclesiastico, aut in civili cum res propria vel Ecclesiae suae vertitur ; in laicali iudicio criminali, gravem personalem poenam prosequente, partem habere, et testimonium quidem ferre sine necessitate (1). — *c*) *Venatio clamorosa,* i. e. quae fit magno armorum canumque apparatu et cum tumultu, ut maiores ferae capiantur, at, si ea fiat raro, gravi vacabit. Simplex venatio non prohibetur, nisi clericus sic venationi indulgeat, ut animus a sacri ministerii muniis nimis distrahatur et avellatur (cf. can. 138).

III. *Vetantur clericis ea quae* **ostenderent defectum lenitatis animi,** id est : *a*) *Exercitium artis medicae vel chirurgicae,* nisi de beneplacito apostolico ; et si clericus, sine necessitate, operationem peragat, ex qua mors sequatur, irregularitatem

(1) CIC. can. 139. — Ex decr. S. Congr. Consistorialis 18 Nov. 1910, 8 et 20 Iunii 1914, sacerdotes vetabantur *a*) officia suscipere in arcis nummariis, mensis argentariis, ruralibus, parsimonialibus, quas catholici quoque instituerint ; *b*) acceptare munia consiliarii provincialis et municipalis, nisi praevio consensu Ordinarii tum sui, tum loci in quo mandatum exercendum sit ; *c*) associationibus syndacalistis nomen dare aut semel datum in iis servare, officio quovis apud eas fungi et sermones vel adhortationes in earum favorem habere.

incurrit. At perito absente et necessitate urgente, clericus artem chirurgicam, cum incisione etc. exercere non prohibetur, modo non agatur de operatione, quae nimis eum dedeceret, ut ex. gr. esset operatio partus caesarei etc. (cf. can. 139). *b*) *Delatio armorum,* nisi iusta timendi causa subsit (cf. can. 138). *c*) *Militia*, quam clerici sponte capessere prohibentur, nisi de Ordinarii sui licentia, ut citius liberi evadant; vetantur etiam bellis intestinis et perturbationibus ordinis publici opem quoquo modo ferre. Clerici minores qui sponte militiae nomen dederint, ipso iure e statu clericali decidunt; sed clerici et sacerdotes, qui, ut nostris temporibus, ad militiam et ad bellum adigantur, sive defensivum sive offensivum, irregularitatem non contrahunt (cf. can. 141).

IV. *Vetantur clericis ea, quae* **status dignitatem dedecent, ut** omnes artes viliores, praesertim *ars histrionis ac ioculatoris* (cf. can. 138).

Cap. II. De obligationibus clericorum positivis.

391. Obligationes positivae communes sunt *a*) *congrua scientia, b*) *probitas vitae, c*) *gestatio habitus, tonsurae et coronae*. De *illa* et *ista* res expedita est; quoad *hanc* clerici, in sacris non constituti et beneficio ecclesiastico non aucti, vix leviter aut ne leviter quidem peccant; sed si propria auctoritate, sine legitima causa, habitum ecclesiasticum et coronam (1) dimiserint, nec, ab Ordinario moniti, sese intra mensem emendaverint, ipso iure e statu clericali decidunt.

(1) CIC. can. 136 videtur unum idemque verbis *tonsura* et *corona* significare; nos distinctionem retinebimus (cf. infra n. 392, I.) quia tonsuram sensu suo revocant verba Codicis: « *capillorum simplicem cultum adhibeant* ».

Tit. II. De Obligationibus Clericorum in specie.

Cap. I. De officiis clericorum in sacris.

392. Obligationes clericorum in sacris sunt: I. *gestatio habitus, tonsurae et coronae;* II. *caelibatus;* III. *recitatio horarum canonicarum.*

I. De habitu, tonsura et corona. *a*) *Habitus clericalis* est vel vestis talaris (quae ex iure communi praescribitur necessario gerenda in sacris functionibus), vel vestis quae, si non ad talos, ad genu saltem defluat, vel alia, iudicio Ordinarii, congruens (cf. Conc. Trid. sess. XIV, cap. 6 de Reform.); ideoque varia esse potest pro locorum varietate. Qui habitum clericalem, in sua dioecesi praescriptum, extra propriam domum non deferat, etiamsi absit Ordinis contemptus vel scandalum, grave admittit, nisi vel ex rationabili causa (ex. gr. in itinere ad dissitas regiones) vel ad breve tempus (ex. gr. ad quinque vel sex dies) id faciat. CIC. can. 188 et 2379 statuit, si clericus habitum ecclesiasticum deposuerit nec illum, ab Ordinario monitus, intra mensem a monitione, resumpserit, officia ab eo exercita vacare, tamquam ex tacita renuntiatione ab ipso iure admissa, ipso facto et sine ulla declaratione; eumque *aa*) si, ut supra, habitu ecclesiastico et corona dimissis, intra mensem a monitione Ordinario non paruerit, suspendendum esse ab ordinibus receptis, *bb*) si ad vitae genus a statu clericali alienum notorie transierit nec, rursus monitus, resipuerit, post tres menses ab hac ultima monitione esse deponendum. *b*) *Tonsura* a clericis gestanda, prouti distinguitur a *corona,* est prohibitio comam laxandi, seu obligatio gestandi comam breviter tonsam; et id quoque sub gravi obligat, nisi coma sit moderata aut contraria consuetudo vigeat aut adsit legitima causa. Coma

adscititia (*parrucca*) uti non licet, nisi de Episcopi licentia, vel quum id ferat consuetudo. *c*) *Corona* deferenda est, et angustior vel amplior pro ordine ac dignitate ; sed difficile est definire quamdiu aliquis ea carere possit sine peccato gravi : annus integer videtur ad letale sufficere. Sed, in genere, habitum, tonsuram, coronam non deferre post Episcopi monitionem, gravi non vacat, nisi excuset parvitas materiae.

II. **De caelibatu.** *Caelibatus lex* clericos Ecclesiae latinae et graecae non eadem ratione tenet. *Illi,* subdiaconatum suscipientes, ipso facto tenentur ad castitatem perfectam ac perpetuam, vi voti sollemnis, quod implicite emittunt per Ordinis susceptionem, ex communiore sententia ; *hi,* ad diaconatum semel promoti, possunt matrimonio ante diaconatum contracto uti, at non amplius valide contrahere ; sed Episcopi graeci ad castitatem tenentur ut clerici latini. — Clericus qui, metu gravi coactus, ordinem sacrum recepit, nec postea, remoto metu, eamdem ordinationem ratam habuit saltem tacite per ordinis exercitium, quo voluerit obligationibus clericalibus se subiicere, probatis legitime tum coactione tum ratihabitionis defectu, redigendus est ad statum laicalem, sine ullis caelibatus atque horarum canonicarum obligationibus (cf. CIC. can. 214).

III. **De recitatione horarum canonicarum.** Obligatio haec, quae *gravis* est, clericos in sacris urget ab *hora* suscepti subdiaconatus et ab ea officii divini parte quae respondet horae diei, non horae servitii choralis.

1° *De forma officii divini servanda.* In Ecclesia latina utendum est *α*) *Breviario Romano,* si ecclesias excipias vel ordines religiosos, in quibus in usu erat aliud breviarium abhinc ducentis annis ante promulgationem Constit. S. Pii V « *Quod a nobis* » d. 9 Iul. 1568 ; *β*) *Psalterio* edito iussu Pii X, quod obligare coepit a Cal. Ianuariis a. 1913 ; *γ*) *Calendario* dioecesis, in qua quisque domicilium

fovet aut eius dioecesis vel Ecclesiae in qua residentiale beneficium possidet ; et Calendario standum est singulis diebus, nisi certo moraliter constet Calendarium uno vel altero die errare. *a*) Qui *ex errore mutavit officium,* si errorem deprehendit officio iam absoluto, ad nihil tenetur, quia Ecclesia non obligat ad officium bis in die recitandum : quare valet axioma : « *officium pro officio* ». Si quis ex errore officium recitet brevius prae longiore, ex. gr. in dominica in Albis officium Paschatis, vel quovis die officium feriae loco officii de Sancto, quum id *inconsiderate* fecit, puto eum non teneri ad supplendum. — Si error deprehenditur officio nondum absoluto, aut officium inceptum absolvi poterit, aut, quod melius erit, error ibi corrigi, ubi fuerit deprehensus, ex effato : « error corrigitur ubi deprehenditur ». Et si quis officium nondum occurrens recitavit, quo die postea illud occurrit, poterit ad libitum vel officium iam recitatum denuo persolvere, vel officium omissum supplere. At si, ex errore, loco unius horae canonicae (ex. gr. nonae) bis alia hora fuerit recitata (ex. gr. sexta bis), hora omissa debet suppleri ; secus, forma officii non servatur. *b*) Qui *consulto officium mutavit,* non satisfacit si officium notabiliter brevius (ex. gr. Paschatis pro officio dominicae in Albis) recitaverit, nisi id ex gravissima causa fecerit ex. gr. quia aliud officium habere non potuit, quo in casu nec levi culpa tenetur ; at contra satisfacit, si officium mutet in aliud aequale vel fere aequale, et leviter peccat nisi id fecerit ex rationabili causa, quia agitur de non substantiali laesione formae praescriptae. Ex resp. S. R. C. d. 27 Ian. a. 1899 videtur causa sufficiens non esse ad officium mutandum velle recitare cum socio. At si cum socio recites, integra debes recitare quae secreto dicuntur ; alternis vicibus hymnos, psalmos, versiculos, responsoria ; sufficit audire, dum socius legit, lectiones. Et si quid te audientem praetereat, dummodo quantum potes attendas, satisfacis.

2° *Quomodo officium recitari debeat.* In officio

recitando alia requiruntur quoad *dispositiones interiores*, alia quoad *externam recitationem*.

A) Quoad *dispositiones interiores* requiruntur *a*) *intentio*, saltem implicita ac virtualis, cultum Deo exhibendi, quia recitatio debet esse actus humanus ; *b*) *attentio* (quia oratio fit) saltem externa, sc. ad verba bene proferenda, quacum non difficile conciliantur omnes illae actiones externae, quae in precibus non iniunctis libere exercentur : distractiones tamen voluntariae, ob irreverentiam, levi non carent.

B) Quoad *externam recitationem*, officium debet *vocaliter pronuntiari*, et dici *suo tempore*, *suo ordine*, *continuo*, *totum*. *a*) *Pronuntiatio vocalis*, quia agitur de oratione vocali, absolute requiritur, et quidem *distincta ;* non tamen necesse est se ipsum recitantem audire. *b*) *Tempus* ad substantialiter obligationi satisfaciendum, cum officium sit *onus diei*, est spatium *unius diei naturalis*, sc. a media nocte unius diei ad mediam noctem diei subsequentis. Attamen matutinum, laudes, prima, tertia, recitari *debent* ante meridiem ; sexta, nona ad libitum vel ante vel post meridiem ; vesperae et completorium post meridiem ; haec obligatio sub levi urget et ab ea excusat quaevis rationabilis causa, ex gr. metus ne forte superveniat negotium, maior devotio, tempus aptius ad studia, maius commodum. Matutinum et laudes *non teneris* ante Missam recitare, quia non constat rubricam Missalis, id praescribentem, esse praeceptivam ; *dotes* anticipare die superiore, non modo ex ea hora quae media est inter meridiem et occasum, de quo omnes conveniunt, sed ab hora secunda pomeridiana, etiam sine privilegio : sententiae, quam antea cum pluribus e Nostris tuebamur, nunc S. Rituum Congregationis suffragatur auctoritas, cum in *Placentina* (Hispan.) quaerenti Episcopo « *utrum in privata recitatione Matutinum pro sequenti die incipi possit hora secunda pomeridiana, an standum sit tabellae Directorii Dioecesani omni tempore* » rescripserit die 12 Maii 1905 :

Affirmative ad primam partem, negative ad secundam. — Vesperae a feria secunda post dominicam primam Quadragesimae ad Sabbatum Sanctum, praeter quam in dominicis, *in choro* dicuntur post Missam conventualem ante meridiem; *privatim* vel ante vel post meridiem ad libitum, et, ante meridiem, etiam mane dici possunt, quia id nulla lege prohibetur. *c*) *Ordo* praescriptus servari debet, sed non sub gravi, quia non est de substantia officii; quare ex rationabili causa (ex. gr. in recitatione cum socio, ex defectu breviarii vel diurni, ex commoditate in itinere etc.) non solum licebit intervertere horas, sed etiam alicuius horae partes (ex. gr. recitando antea psalmos nocturnorum et separatim, post alias horas, lectiones matutini); et si quid omittitur, satisfit quum suppletur. Matutinum diei sequentis licite recitatur ante vesperas diei, quia officium unius diei nullo ordine connectitur cum officio alterius diei. Rubrica vero, quae ordinem commemorationum indicat, non est praeceptiva. *d*) *Continuo* officium recitandum est, et id dicitur quoad eamdem horam; sed, cum singulis psalmis, immo et singulis psalmi versiculis propria et distincta sit significatio, quaevis interruptio caret letali, imo et levi, si longior mora non fuerit sed rationabilis causa excuset. Matutinum separari posse a laudibus sine ulla causa; nocturnos separari posse interiecto tum trium horarum spatio sine causa, tum longiore spatio ex rationabili causa, omnes concedunt; sed quum matutinum a laudibus seiungitur, addenda est, sub levi, *oratio diei,* praemissis et post orationem recitatis versiculis consuetis cum « *Pater noster* », et, ante laudes a matutino separatas, item sub levi, *Pater* et *Ave* praemittendum erit, quia id praescribitur in rubrica Ordinarii Divini Officii, quae ex Bulla *Divino Afflatu* videtur esse praeceptiva (a Kal. Ian. a 1913). *e*) *Totum* officium recitandum est sub gravi. Et cum omnes horae uno praecepto contineantur, qui totum officium omiserit unum letale committit, etiamsi, ex *veriore*

sententia, ad officium recitandum multiplici titulo (ex. gr. ordinis sacri, beneficii, religionis votorum sollemnium) teneatur. *Leve* erit omittere quod *minus est* hora parva (at leve omittere vesperas Sabbati Sancti); *grave* horam parvam omittere vel quantitatem quae horae parvae respondeat, et, ex *probabiliore* sententia, diebus S. Marci et Rogationum omittere Litanias cum versiculis et orationibus. — In dubio de recitatione alicuius horae vel partis horae, si dubium sit positivum, repetere non teneris; si negativum, teneris. *f*) Non interest *quo loco* vel *quo situ* officium recitetur, modo ne locus vel situs attentionem impediant.

3° *Quaenam causae ab officio recitando excusent.* A) *Excusant a*) *impotentia physica,* ex. gr. caeci, qui legere nequeat, vel eius qui breviario careat neque illud actu sibi comparare queat; at *ille* commutationem petere potest et interim recitare tenetur quae memoriter scit; *hic* recitare debet quae scit memoriter, nisi agatur de parte tantum horae parvae; *b*) *incommodum grave* ex. gr. *infirmitatis* vel *convalescentiae* status; et sane excusantur infirmi vel convalescentes, qui sine gravi incommodo vel sine gravis incommodi periculo vel sine capitis lassitudine recitare nequeant, etiamsi Missam celebrent et ephemerides librosve recreativos legere possint; quibus in rebus ii anxietates cavere debent, et stare possunt medici vel prudentis viri consilio vel etiam suo, si aequo animo iudicare valeant; *c*) *occupatio,* ex officio vel caritate suscepta quae cum officii recitatione nequeat conciliari nec simul in aliud tempus prorogari sine proprio vel aliorum notabili detrimento: ut ex. gr. adesse morientibus, confessiones toto fere die excipere, concionem parare quae nequeat sine scandalo vel sine damno aliorum spirituali omitti; nemo autem tenetur, munere eo persoluto, privare se vel corporis refectione vel somno necessario vel aliquo minimo recreationis spatio. B) *Cessat* officii onus *a*) *exstinctis oneris origine vel statu,* cui adnexum erat: ex. gr. per beneficii amissionem vel

abdicationem; per reductionem clerici in sacris ad statum laicalem; per saecularizationem vel dimissionem religiosi, nondum in sacris constituti, qui vi professionis ad hor. can. tenebatur; *at non cessat* pro excommunicatis, qui, licet nequeant orare Ecclesiae nomine, tenentur tamen ad recitationem officii, tum quia statum clericalem non amiserunt, tum quia e sua malitia commodum capere non debent; *b*) *dispensatione Summi Pontificis;* Ordinarius vero potest valide dispensare, at in casu particulari, ex iusta causa et ad breve tempus.

Cap. II. De officiis presbyterorum.

393. A) *Ex duplici potestate* **presbyteris** per ordinationem credita, quam otiosam ex Ep. 2ª ad Cor. VI, 1 retinere iis non licet, duplex exsurgit obligatio, nempe *sacrum faciendi* et *confessiones excipiendi. a*) Ex *communiore* sententia, graviter peccat sacerdos qui non celebrat saltem ter quaterve in anno, sive in sollemnioribus festis sive quibuslibet diebus, et ita, ut inter unam et alteram celebrationem non intersit tempus sex menses excedens; item venialiter peccat, ratione scandali, qui dominicis diebus vel festis, et etiam quotidie, cum possit, ubi consuetudo quotidie celebrandi adest, celebrare neglegat. At parocho deficiente, ad viaticum deferendum morituro, sine gravi suo incommodo, celebrare tenetur sub gravi; et Ordinarius cogere eum potest (cf. Concil. Trident. sess. XXIII, c. 14 de Reform). ad celebrandum, communi necessitate exigente, omnibus dominicis et diebus festis, nedum ex suscepta ab eo sacra legatione, sed etiam ex obedientia in sacra ordinatione promissa (1). *b*) In genere, letali non vacat presbyter qui scientiam non sibi comparat necessariam tum ad excipiendas confessiones tum ad

(1) Obligationem confirmat CIC. can. 805.

alia sacramenta ministranda. Ex eodem titulo susceptae legationis, saltem a levi culpa (cf. D'Ann., III, 163) excusari nequit sacerdos qui ab audiendis confessionibus abstineat; et id, ratione necessitatis et scandali, poterit fieri grave, quum sc. presbyter, ubi Parochus non sufficit, confessionibus excipiendis vel se idoneum non reddit vel se difficilem praebet. Confessionem vero morituri, in peccato exsistentis, parocho deficiente, etiam cum gravi suo incommodo audire tenetur (cf. 126, II, B), et extr. unctionem ei conferre, si confiteri nequiverit.

394. B) *Ex obedientia promissa* in s. ordinatione, presbyter cogi potest ab Ordinario sacrum facere, ut diximus, diebus festis, sacramenta ministrare, docere pueros rudimenta fidei; praedicare verbum Dei; curam animarum gerere. Et ne sese ab his muneribus eximat, nequit, iniussu Ordinarii, a dioecesi discedere, nisi ad victum quaerendum, quum ei de congrua non providetur; et revocari potest poenis et censuris (cf. CIC. can. 128, 143-144).

Cap. III. De officiis beneficiariorum.

Art. 1. De officiis beneficiariorum in genere.

395. Beneficiarii sunt qui beneficium aliquod ecclesiasticum possident; et tales sunt etiam, quoad iura et officia, qui a gubernio vel a privatis, qui sibi vindicarunt beneficiorum suppressorum bona, pensiones accipiunt beneficiis suffectas.

Item atque ii, qui in sacris sunt constituti, tenentur: *a*) gestare habitum, tonsuram et coronam; *b*) recitare horas canonicas, cuiusmodi obligatio incipit a *die* (non ab *hora*) initae possessionis beneficii. Si, nullo detenti legitimo impedimento, huic obligationi non satisfecerint, fructus non faciunt suos et restituere debent; quae obligatio fructus restituendi urget inde ab inito beneficio

(si statim fructus faciant suos, secus ex quo coeperint eos percipere), pro singulis diebus et horis, sub gravi vel levi in materia gravi vel levi, et fructus sunt impendendi in pauperes aut fabricae Ecclesiae vel Seminario dioecesano tradendi: at si beneficiarius ipse sit valde pauper, eos potest sibi applicare; *c*) in pauperes vel causas pias erogare quidquid ex reditibus honestae sustentationi supersit (cf. n. **271**); *d*) servare caelibatum stricte sumptum; *e*) si beneficium est residentiale, commorari in loco beneficii; *f*) implere onera quae e tabulis fundationis exsurgant. Relate ad Missarum celebrationem, qui pro beneficio celebrare tenetur, pro fundatore debet applicare (nisi de contraria fundatoris voluntate e tabulis fundationis constet), sive per se, sive per alios, modo ne praescriptum ibi sit ut per se ipsum celebret. Si quotidie et per se ipsum celebrare iubetur, poterit tamen quinquies vel sexies in anno pro se et coniunctis applicare ex praesumpto fundatoris consensu; et si in morbum incidat, alium sibi substituere non cogitur, nisi id *expresse* impositum fuerit. Regulariter vero *sub gravi* celebrare debet tempore et loco designatis; at gravis vel omnis culpa aberit si tempus et locus immutentur raro vel ex iusta causa. Attamen non satisfacit qui ad altare privilegiatum non celebrat, quum id praescribitur, praeter quam si habeat privilegium personale vel, *bona fide* errans, indulgentiam plenariam postea lucretur. Sed in his Ordinarius, ex iusta causa, dispensare potest, voluntatem fundatoris interpretando. — Cetera de beneficiis, videsis in CIC. can. 1472-1483.

Art. 2. **De officiis beneficiariorum in specie.**

§ 1. *De officiis canonicorum ecclesiarum cathedralium.*

396. Obligationes canonicorum praecipuae sunt *residentia, officium chorale, Missae conventualis celebratio, adsistentia Episcopo debita.*

A) *De canonicorum residentia.* Canonici tenentur residere, sub poena non faciendi fructus suos, in ea civitate ubi sua Ecclesia est; nihilominus possunt nocte et interdiu alibi commorari, modo horis congruis suam Ecclesiam petant. Dummodo duae tertiae partes capituli resideant et choro intersint, et extra dies sollemnes Paschatis, Pentecostis, Nativitatis Domini, Corporis Christi et extra Adventum et Quadragesimam, possunt singuli sine speciali causa abesse seu vacare per trimestre continuum vel discontinuum, iniussu Episcopi, si intra dioecesis fines, de eius licentia, si extra dioecesim; sed Episcopus ex iusta causa potest permittere ut canonici tempore vetito ferientur. Attamen si statuta Capitularia vel consuetudo tempus citra trimestre indulgeant, iis standum erit. Canonici, remoto scandalo et divini cultus detrimento, possunt coniungere trimestre labentis anni cum trimestri anni subsequentis. Quum absunt, distributiones non lucrantur, et, si omnes praebendae proventus in distributionibus consistant, tertiam distributionum partem amittunt: nec potest Capitulum eas condonare (can. 418).

B) *De servitio chorali.* Tenentur canonici psallere in choro officium divinum, sc. elata voce et cum cantu; quod si submissa voce recitent, peccant plus minusve graviter pro materiae gravitate, et distributiones et fructus non faciunt suos. Qui *a choro* absunt, ultra trimestre, per tempus *notabile* (quale non est duorum vel trium dierum) *sine iusta causa,* peccant, nec lucrantur distributiones; qui vero residentiam illegitime deseruerint, eo ipso privantur omnibus fructibus beneficii pro rata illegitimae absentiae, Ordinario tradendis, qui ecclesiae vel piis locis vel pauperibus distribuet (CIC. can. 2381): in eos, absentia perdurante, Episcopus procedere debebit ad normam can. 2168-2175. *Excusantur a choro* et *a*) percipiunt fructus praebendae, distributiones quotidianas, et d. *inter praesentes* quoque (nisi obstet pro his expressa fundatorum voluntas), canonici qui exercitiis spiritualibus va-

cant (at semel in anno ob id excusantur); qui Episcopo sacra in Pontificalibus peragenti, ab eodem invitati, adsunt; qui causis beatificationis et canonizationis operam navant vel uti testes vocati adsunt, sed *pro diebus et horis; b*) percipiunt fructus praebendae et distributiones quotidianas canonici *iubilati;* theologus *quo die*, poenitentiarius et curatus vel vicarius vel coadiutor *quibus horis* suo munere funguntur; infirmi vel physice impediti; pontificia legatione alibi fungentes vel Pontificis personae actu inservientes; missi ab Episcopo vel Capitulo ad Concilium oecum., plenarium, provinciale vel ad Synodum dioecesanam; comitantes Episcopum in visitatione ad limina aut dioecesis, vel eam eius nomine et mandato peragentes; absentes de consensu Capituli, Episcopo non contradicente, ob Capituli vel propriae Ecclesiae utilitatem; parochi consultores, examinatores et iudices synodales, dum munere suo funguntur; c) percipiunt *tantum* praebendae fructus canonici qui, de licentia Ordinarii loci, in publicis scholis ab Ecclesia probatis vel docent disciplinas sacras (Comm. CIC. interpr. 24 Nov. 1920) vel iisdem vacant; qui Vicarium capitularem vel generalem, officialem, cancellarium agunt, dum suo muneri vacant; ii duo, quos Episcopus potest assumere et retinere, ex can. 412, § 2, ut sibi in ministerio ecclesiastico et dioecesis servitio assistant (can. 413, 414, 420, 421).

C) *De Missae conventualis celebratione.* Canonici tenentur per turnum Missam conventualem singulis diebus canere (aut legere, si id Statuta Capituli ferant vel a Sede Apostolica indultum sit) pro fundatoribus et benefactoribus, eique ceteri adesse debent: licebit tamen hebdomadario eam legere, cum in Ecclesia Episcopus vel alius Episcopi loco in Pontificalibus celebrat (can. 413, 3°; 417).

D) *De adsistentia Episcopo debita.* Canonici sive ecclesiae cathedralis sive collegiatae Episcopo sollemniter Missam celebranti aut alia pontificalia exercenti, etiam in aliis ecclesiis civitatis aut suburbii, ab eodem invitati, adsistere et inservire

debent, dummodo iudicio Episcopi sufficiens canonicorum et ministrorum in ecclesia numerus maneat: et eumdem accedentem ad ecclesiam cathedralem et redeuntem comitari ad normam Caeremonialis Episcoporum (can. 412).

397. Canonici, etsi regulariter debent per se ipsos munere suo fungi, tamen non vetantur se invicem substituere, ad normam tamen can. 419.

Quae diximus, pertinent etiam ad Canonicos Ecclesiarum Patriarchalium, basilicarum minorum etc. et collegiatarum, quoad residentiam, servitium chori et Missam conventualem; at quoad canonicos ecclesiarum collegiatarum, videndum quos inter fines eorum onera ex Statutis cuiusque Capituli contineantur.

§ 2. *De officiis parochorum.*

398. *Parochorum* nomine hic veniunt tum parochi proprie dicti, tum ii, quotquot sunt, qui animarum curae actu vacant. Eorum obligationes praecipuae sunt: residentia tum materialis tum formalis, celebratio Missae et applicatio pro populo, praedicatio verbi Dei et puerorum et rudium catechizatio, administratio Sacramentorum, visitatio infirmorum et adsistentia morientibus praestanda, nosse oves suas.

Tenentur igitur parochi:

A) *Residere.* Et *a*) *Materialiter;* sc. debent commorari intra paroeciae fines; in domo parochiali vel alia, de Episcopi consensu, quae ab Ecclesia non distet, ut aeque possint munus suum implere; nocte et interdiu; a qua residentia *nulla causa* excusat. *Possunt* tamen per duos ad summum intra annum menses sive continuos sive intermissos abesse (in quibus tamen non computantur dies, per quos ad normam can. 126 exercitiis spiritualibus vacaverint, at semel in anno), nisi gravis causa, iudicio Episcopi, vel diuturniorem absentiam requirat vel breviorem tantum permittat.

Verum *quoties* absentia ultra hebdomadam sit duratura, habeant oportet Episcopi (*et* Superioris, si de parocho religioso agatur) consensum et idoneum vicarium relinquant ab Episcopo (*et* a Superiore religioso in altero casu) probandum. *b*) *Formaliter,* sc. *per se ipsos* oves pascere ; at aliis, *quasi sociis et adiutoribus,* uti non vetantur, modo non ad eum finem et eo modo utantur ut se onere eximant ; quod si faciant, letali non carent. Parochi, qui non resideant materialiter et formaliter, non faciunt fructus suos, eosque *pro rata* restituere tenentur, impendendo in pauperes vel in causas pias.

B) *Celebrare Missam et applicare pro populo* omnibus diebus dominicis, et festis, etiam omnino abrogatis, vel translatis quando non fuit translatum officium sed festivitas tantum (1). Et *unam* quidem (die quoque Nativitatis D. N. I. C. et cum festum de praecepto incidit in dominicam) etiamsi plures forte paroecias regant (aeque principaliter unitas) vel administrent (quo in casu applicent pro *populis* sibi commissis) ; *in Ecclesia paroeciali,* nisi alibi celebrent ratione necessitatis vel opportunitatis ; *per se ipsi* at, si legitime impediti, statis diebus per alium, et si ne id quidem fieri possit, per se ipsi vel per alium alio die ; *si ipsi absint* a paroecia, vel per se ipsi ubi degunt vel in paroecia per sacerdotem qui eorum vicem gerit. — Ordinarius loci iusta de causa permittere potest ut M. pro populo applicetur extra statum diem. Ceterum haec adiuncta personae, loci, diei, non obligant sub gravi, sed grave erit si ea saepe et sine iusta causa neglegantur. Insuper tenentur Missam cele-

(1) Festa suppressa, in quibus Missa pro populo applicanda est, sunt : Purificationis B. M. V., S. Matthiae Ap., Annuntiationis B. M. V., 2. et 3. feriae Paschatis, SS. Philippi et Iacobi App., Inventionis S. Crucis, (*Romae,* S. Philippi Nerii), 2. et 3. feriae Pentecostes, Nativ. S. Io. Bapt., S. Iacobi Ap., S. Annae, S. Laurentii, S. Bartholomaei Ap , Nativitatis B. M. V., S. Matthaei Ap., Dedicationis S. Michaelis Arch., SS. Simonis et Iudae App., S. Andreae Ap., S. Thomae Ap., S. Stephani Protom., S. Ioannis Ap. et Ev., SS. Innocentium, S. Silvestri, Patroni Principalis loci.

brare quotiescumque populi intersit illam audire, vel oporteat nuptiis benedicere; in iustis funerum, si eleemosyna offeratur; denique pluries in hebdomada, at quoties, non constat; sed Ordinarius poterit eos cogere ad celebrandum bis vel ter in hebdomada, si paroecia multitudine abundet, in ea aliae Missae non celebrentur et reditus beneficii non sint tenues. Decebit tamen (etsi de obligatione non constat) parochos *quotidie* celebrare ad altare SS. Sacramenti (S. R. C. 16 Mart. 1833).

C) *Praedicare verbum Dei et pueros et rudes catechizare,* sub gravi; sc. *a*) *praedicare* omnibus dominicis ceterisque diebus festis de praecepto, praesertim intra Missam in qua maior soleat esse populi frequentia, *ipsi per se,* et nequeunt *habitualiter* per alium nisi ex iusta causa ab Ordinario probata: potest tamen hic permittere ut sollemnioribus quibusdam festis et, ex iusta causa, aliquibus diebus dominicis concio omittatur; si parochi, extra hunc casum, cessaverint uno continuo mense vel tribus discontinuis per annum, gravi non vacabunt; *b*) *catechizare* singulis dominicis ac festis de praecepto, et praeparare pueros, continenti per plures dies institutione, quolibet anno, ad sacramenta poenitentiae, confirmationis et Eucharistiae primum percipiendae. De eiusmodi obligationibus plura videsis in CIC. can. 1329-1333, 1344-1349.

D) *Administrare Sacramenta.* Et ex hoc titulo, *in necessitate gravi* (quum sc. aliquis est in periculo mortis et difficile eliciet actum caritatis et contritionis perfectae; quum infans est moriturus et difficile baptizabitur) tenentur poenitentiam, baptismum, extremam unctionem (quando morituras confiteri non potuit) ministrare etiam cum periculo vitae; *in necessitate gravi* vel *communi* (et necessitas communis adest quum aliquis est in peccato mortali vel est letaliter peccaturus), tenentur non modo baptismum et poenitentiam, sed Eucharistiam et extremam unctionem ministrare etiam cum incommodo gravi; *extra necessitatem, leve* est negare *semel* vel *iterum* poenitentiam et

Eucharistiam iis qui petunt rationabiliter et opportune, praesertim si parochi aliis parochialibus curis urgeantur: at si ii difficiles se praebeant, quum, hora non intempestiva, Eucharistia petatur a parochianis quibuslibet, vel poenitentia ab iis qui non facile redibunt, puto eos a gravi excusari non posse, ut qui parochianos arceant a Sacramentorum perceptione et a frequenti Communione, quam Ecclesia semper fovit et in praesens ardenter fovet ac cupit. — Insuper tenentur matrimoniis adesse iisque benedicere.

E) *Invisere infirmos et morientibus adesse.* De infirmorum visitatione, quae iisdem et grata et utilis evadet, res expedita est; an parochi *sub gravi* teneantur morientibus, postquam extremam unctionem administraverint, adesse et commendatione animae eos adiuvare *ad obitum usque,* non una sententia est, et S. Congr. Conc. (d. 23 Mart. 1878) noluit definire (cf. D'Annib., III, 170, [35]): at, si quid opinor, non adesse morientibus, ubi consuetudo invaluit, ut fere ubique apud nos, tum *per se,* tum *ratione scandali,* grave erit. Parochis aliisque sacerdotibus, qui morientibus adsunt, facultas et obligatio iure fit impertiendi ben. apostolicam cum indulgentia plenaria (cf. CIC. can. 468). Insuper debent mortuos efferre iisque iusta persolvere, et, si pauperes fuerint, gratuito omnino.

F) *Nosse oves suas.* Ex hoc capite tenentur tum parochianos invisere, alloqui, invigilare, ut religione et bonis moribus niteant et, si scandala oriantur, opportuna remedia adhibere, etiam consulto Ordinario; tum regesta baptizatorum, confirmatorum, matrimoniorum, defunctorum, status animarum accurate conficere et diligenter custodire.

§ 3. *De officiis Episcoporum.*

399. Referimus, ex animo adhaerentes, verba Cardinalis D'Annibale: « Agendum... esset de officiis Episcoporum, sed ab Episcopis regi ac doceri nos oportet ».

TIT. III. DE IURIBUS ET PRIVILEGIIS CLERICORUM.

CAP. I. De iuribus et privilegiis clericorum in genere.

400. Privilegia clericorum **communia** duo sunt; *fori* et *canonis*. Per privilegium *fori*, clericus eximitur a iudicio magistratus laici (cf. n. **610**, 7°; **611**, 5°; **612**, 3°); per privilegium *canonis* clericus a violentia aliena praemunitur (cf. n. **609**, 2°; **610**, 8°).

CAP. II. De iuribus et privilegiis clericorum in specie.

ART. 1. De iuribus et privilegiis parochorum.

401. Tria parochis prae ceteris sacerdotibus competunt: administratio quorumdam sacramentorum, functiones quaedam et iura parochialia. Et 1° *Administrare* sollemniter baptismum; deferre publice ad infirmos Eucharistiam; administrare Viaticum et extremam unctionem praeterquam Episcopo suo, et exceptis domibus religionis clericalis (cfr. CIC. can. 514), monialium, et, si forte accidat, earum religionum laicalium, familiarum, piarum domorum, quas a parochi iurisdictione Episcopus subduxerit. Qui haec fecerit sine parochi licentia saltem rationabiliter praesumpta, grave admittet. 2° *Functiones*, quas obire ad parochum spectat *privative* quoad alios, quippe in iis aliquid iurisdictionis inest, sunt: sacras ordinationes et ineundas nuptias denuntiare; matrimoniis assistere; nuptialem benedictionem impertiri; domibus ad normam liturgicorum librorum benedicere

Sabbato Sancto vel alio die pro locorum consuetudine; fontem baptismalem Sabbato Sancto benedicere, publicam processionem extra ecclesiam ducere, benedictiones extra ecclesiam cum pompa ac sollemnitate impertiri (nisi agatur de ecclesia capitulari et Capitulum *has* functiones peragat); mortuos efferre et iusta funebria iis persolvere, ad normam can. 1216-1218, 1230-1235, salvis exceptionibus quae in eodem cap. II, l. III, CIC. continentur. 3° *Iura* respiciunt praesertim *a*) decimas, de quibus res expedita est n. 368; *b*) praestationes quas parocho tribuit vel probata consuetudo vel legitima taxatio, etiamsi alius officium paroeciale expleverit (nisi de contraria offerentium voluntate certo constet circa summam quae taxam excedit) et modo gratuitum ministerium ne deneget iis qui solvendo pares non sint; *c*) portionem funerariam, ad normam can. 1236-1237.

Art. 2. De iuribus et privilegiis Episcoporum.

402. De facultatibus et iuribus praecipuis, quorum cognitio praxi poenitentiali inservit, vel egimus vel tractabimus postea; hic, ad studiosorum commodum, afferimus numeros, ubi ii rem enucleatam invenient. Igitur quoad iura et facultates, quae Episcopis competunt relate *ad dispensandum a*) *in legibus Ecclesiae communibus*, cf. n. **48**; *b*) *in votis*, cf. n. **208**, IV et **209**, II; *c*) *in iuramentis*, cf. n. **213**; *d*) *in impedimentis matrimonialibus impedientibus*, cf. n. **544**: in *dirimentibus*, cf. n. **564**: in *censuris*, cf. n. **480**: in *irregularitatibus*, cf. n. **627**.

De facultatibus quinquennalibus, quae a S. Poenitentiaria concedi solebant Episcopis quoad casus S. Sedi reservatos et dispensationes matrimoniales, videsis apud Oietti, *Synopsis rerum moralium et iuris Pontificii*, ed. 3ª, vol. II., col. 1963 et seqq.

SECTIO TERTIA

DE STATU RELIGIOSORUM DEQUE EORUM OFFICIIS ET PRIVILEGIIS

Cap. I. De natura status religiosi.

403. Status religiosus definitur stabile institutum ab Ecclesia adprobatum pro fidelibus, qui sub certa regula et communi vivendi modo tendere volunt ad perfectionem per paupertatis, castitatis et obedientiae vota, sive sollemnia, sive simplicia. — At in iure religiosi unice votorum sollemnium (et his accensentur professi votorum simplicium in Societate Iesu) dicuntur *regulares*. Sollemnitas votorum in quo consistat, a quo pendeat, quid secum ferat diximus n. **204.**

Cap. II. De religiosorum officiis.

Art. 1. De religiosorum officiis essentialibus.

404. Officia essentialia religiosorum ea sunt, quae e natura status religiosi profluunt et ab ea, quippe sunt ei intrinseca, separari nequeunt, sive emissa fuerint vota sollemnia sive simplicia; quare exsurgunt 1° generatim ex professionis vi; 2° in specie ex vi votorum.

1° *Vi professionis* religiosi tenentur ad perfectionem tendere, et cum ei adipiscendae subsidia essentialia et congruentia sint observantia trium votorum et observantia regularum, obligatio sectandi perfectionem non distinguitur ab obligatione servandi vota et regulas instituti sui. Quare religiosi, qui implent quaecumque sub gravi praecipiuntur et cetera neglegunt, peccant contra obligationem sectandi perfectionem sed per se leviter

tantum, nisi agatur vel de formali legis contemptu vel de periculo graviter vota infringendi vel de periculo inferendi grave communitati detrimentum per pravum exemplum.

2° *Vi votorum* tenentur: *a*) *Ex voto paupertatis* privare se potestate utendi rebus temporalibus; et necesse est intercedat Superioris consensus, ut iis frui deque iis disponere possint; at difficile est definire quando violatio voti erit gravis. *b*) *Ex voto castitatis* abstinere se a nuptiis et ab omni actu deliberato, sive interno, sive externo, contra castitatem. *c*) *Ex voto obedientiae* parere in omnibus, quae superior *praecipit* serio, iuxta regulam et constitutiones Ordinis, sive directe et expresse, sive indirecte et implicite; sed obligatio non erit gravis, nisi et materia sit gravis et Superior praecepto addiderit « in nomine D. N. I. C., vel in virtute s. obedientiae » aut iusserit sub poena excommunicationis l. s.. Obligationes eiusmodi aeque exsurgunt ex votis simplicibus atque e sollemnibus; effectus inter se discrepant. Nam *a*) votum sollemne paupertatis inhabilitat ad possidendum ex iure constituto (in quo tamen R. P. dispensat), contra ac simplex; *b*) v. sollemne castitatis irritat sponsalia et matrimonium, tum antecedens, ratum tantum, tum subsequens; non item simplex, nisi accesserit peculiaris voluntas R. P., ut factum est in votis simplicibus scholasticorum in S. I.; *c*) v. sollemne obedientiae invalidat per se obligationem quam subditus suscipiat, superioris iniussu, erga tertium quemlibet; non ita simplex, quod per se illam reddit illicitam tantum, licet Superior eam postea irritare possit vi potestatis dominativae in subditi voluntatem.

Art. 2. De religiosorum officiis non essentialibus.

405. Sunt *duo* praecipue, quae exsurgunt ex peculiaribus non omnium Ordinum constitutionibus: *a*) *lex clausurae*, quae prohibet ingressum

mulierum in monasteria virorum, virorum ac mulierum cuiusvis aetatis et condicionis in monasteria monialium, et demum egressum monialium de monasteriis: qua de re cf. CIC. can. 547, 598, 600-604, 179, 2342, et inferius n. 611, 6°; *b*) *officii divini recitatio*, quae tenet, item atque eos qui sunt in sacris constituti vel beneficio ecclesiastico aucti, religiosos utriusque sexus qui religionem profiteantur cui insit destinatio ad chorum.

Cap. III. **De regularium privilegiis.**

406. Praecipua sunt: A) *Exemptio ab Episcoporum iurisdictione;* iis tamen subsunt, quoad curam animarum, cultum divinum in suis ecclesiis et praedicationem in alienis, confessiones saecularium, expositionem *publicam*, sc. cum ostensorio, SS. Sacramenti (extra f. Corporis Christi eiusque octavam), eleemosynam Missarum manualium, admissionem sacerdotum extraneorum ad celebrandum in suis ecclesiis, peragenda quae Episcopus praescribat ob causam publicam, evangelium explicandum in Missis, diebus festis, Episcopi iussu, conferentias de re morali etc. ad normam can. 131, § 3. B) *Facultas,* a Praelato regulari (et a Moderatore supremo religionis clericalis exemptae) sui Ordinis confessariis communicanda, *a*) dispensandi *cum suis* in omnibus irregularitatibus occultis ex delicto, exceptis homicidio voluntario et procurato abortu, effectu secuto, et omni irregularitate ex delicto occulto ad forum iudiciale iam deducta; *b*) dispensandi *cum saecularibus* in votis et iuramentis, in quibus Episcopi dispensant, at in foro interno tantum, et cum coniugibus, stante matrimonio, a voto castitatis, emisso sive ante sive post matrimonium, ad petendum debitum; *c*) administrandi professis, novitiis aliisque in religiosa domo diu noctuque degentibus causa famulatus, educationis, hospitii et infirmae valetudinis, viaticum et extremam unctionem; *d*) excipiendi con-

fessiones religiosorum sui Ordinis, sine adprobatione Ordinarii: item eorum omnium de quibus supra. Religiosi vero quilibet, etsi debent, statis temporibus, apud confessarios pro communitate constitutos confiteri, si constitutiones id praescribant, possunt tamen confiteri licite et valide apud quemvis confessarium ab Ordinario loci adprobatum, qui eos absolvere potest a peccatis quoque et censuris in religione reservatis.

LIBER TERTIUS

DE MEDIIS SEU SUBSIDIIS

PARS PRIMA

DE MEDIIS SEU SUBSIDIIS A DOMINO NOSTRO IESU CHRISTO DATIS SEU DE SACRAMENTIS

SECTIO PRIMA

DE SACRAMENTIS IN GENERE

CAP. I. De natura et effectibus sacramentorum.

407. De natura et numero. *Sacramenta* N. L. definiuntur *signa sensibilia a Iesu Christo instituta ad gratiam significandam et conferendam. a*) De fide est ea, septem numero (sc. *baptismum, confirmationem, Eucharistiam, poenitentiam, extremam unctionem, ordinem sacrum, matrimonium*), fuisse a Christo Domino instituta; eum immediate omnia instituisse, longe verius est, at nondum certo constat utrum materias confirmationis, extremae unctionis, Ordinis in specie infima ipse determinaverit, an Apostolis determinandas reliquerit. *b*) Gratiam significant et conferunt (aliter ac sacramenta V. L., quae solum significabant) *ex opere operato,* sc. vi ipsius signi, *non ex opere*

operantis, sc. ex merito ministrantis vel suscipientis, licet gratia conlata, *per accidens,* maior esse possit pro maiore alterutrius vel utriusque merito atque interna dispositione. *c*) « Omnia sacramenta tribus perficiuntur, videlicet rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, et persona ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia » (Conc. Flor. decr. pro Arm.).

408. De diversa sacramentorum necessitate. E sacramentis suscipi *a*) alia *libere possunt,* ut Ordo et matrimonium ; *b*) alia *necessario debent,* et *diversa* quidem *necessitate :* idest necessitate medii et praecepti, sive in re sive in voto, baptismus a non baptizatis, poenitentia a lapsis post baptismum in letale, — necessitate praecepti Eucharistia ; *c*) reliqua duo, sc. confirmationem et extremam unctionem, esse ex praecepto necessaria non constat, ideoque ea, remoto scandalo, contemptu vel animae periculo, omitti possunt.

409. De sacramentorum effectibus. Sacramenta *conferunt :* 1° *Gratiam sanctificantem,* et quidem *per se* (sc. ex sua institutione) baptismus et poenitentia *primam* (quae sc. de statu peccati transfert in statum gratiae) : *item* primam, sed *secundario,* Extr. Unctio attritis, qui confiteri nequiverint ; cetera (et Extr. Unctio *primario*) *secundam* (quae sc. exsistenti superadditur). *Per accidens a*) baptismus et poenitentia conferunt secundam iis qui ex contritione perfecta primam habent vel confitentur venialia tantum, quia *obicem non ponunt* efficaciae sacram. ; *b*) cetera sacr. primam iis, qui, mortale obliti, attriti accedunt, quia letale implicite retractatum *obicem non ponit* efficaciae sacramenti. — 2° *Gratiam sacramentalem,* quae non est entitative diversa a sanctificante, sed est ipsamet gr. sanctificans, producens peculiares pro variis sacramentis effectus et conferens ius ad auxilia specialia, quibus obtineatur singulorum sacramentorum finis. — 3° *Characterem* (seu signum quod-

dam spirituale et indelebile in anima impressum), at tria tantum: baptismus sc., confirmatio et Ordo; quae ideo sine gravi sacrilegio iterari nequeunt, et, si iterata, nullius roboris sunt. Cetera igitur sacramenta iterari possunt; poenitentia et Eucharistia semper; matrimonium extra idem coniugium, secus graviter sacrilegum et nullum; extrema unctio extra eumdem morbum, secus perperam et cum sacrilegio iteratur.

410. De sacramentorum reviviscentia. Sacramenta dicuntur *formata,* quum, exsistentibus tum requisitis ad validitatem tum suscipientis dispositionibus, gratiam producunt; *informia,* quum valida quidem sunt, quia nihil de essentia sacramenti deest, at gratiam non conferunt propter *obicem* in suscipiente exsistentem. *Obex* est peccatum letale vel potius affectus et adhaesio voluntatis peccato letali, et in suscipiente potest esse *culpabiliter* vel *inculpabiliter,* prout ipse vel conscius vel bona fide ad sacramentum accedit. Quum sacramenta sunt informia, gratiae collatio *suspenditur* donec obex removeatur; et obice remoto, sacramenta informia dicuntur *reviviscere,* sc. gratiam praestare, quam ab initio praestitissent, si obex non obstitisset. Reviviscere tria sacramenta imprimentia characterem (*quem* etsi *informia* imprimunt, quia character cum peccato consistere potest) concedit sententia quoad baptismum communissima, quoad confirmationem et Ordinem probabilior, tum quia character reviviscentiam exigere videtur, tum quia iterari nequeunt, tum quia secus homo careret gratiis ordinariis ad salutem quam maxime necessariis et statui congruentibus; matrimonium et extremam unctionem reviviscere probabilis sententia est, quia stante eodem coniugio vel eodem morbo iterari nequeunt, et secus effectibus eorum sacramentorum propriis homo careret; at *verius* Eucharistia non reviviscit, cum iterari semper possit, nec poenitentia, quia deficiente attritione, deficit sacramenti materia. *Obex removetur* per con-

tritionem, vel attritionem cum absolutione, in confirmatione, Ordine, matrimonio; per attritionem in baptismo et extrema unctione, modo in susceptionis actu non adfuerit sacrilegium, vel grave peccatum post susceptionem non fuerit denuo admissum, quia in hoc casu vel contritio vel attritio cum absolutione requiritur (1).

Cap. II. De materia et forma sacramentorum.

411. Materia sacramenti est res sensibilis, adhibenda ex Christi institutione ad sacramentum conficiendum. *Remota* est res ipsa, ex gr. aqua in baptismo; *proxima* est remotae materiae usus in actione sacramentali, ex. gr. ablutio per aquam in baptismo. — Materia debet esse: *a*) *Ea ipsa*, quam Christus sive immediate, sive mediate determinavit. *b*) *Certa*, seu certo valida, ut validitati sacramenti, reverentiae, hominum saluti consulatur: si certa desit, in casu necessitatis (ex. gr. baptismi puero morituro conferendi) vel magnae utilitatis (ex. gr. extremae unctionis administrandae) potest etiam dubie valida adhiberi, quia sacramenta propter homines, et cessat irreverentia vel contemptus. *c*) *Applicata sine mutatione substantiali. Substantialis* erit mutatio materiae, si haec sit physice adeo corrupta ut pristinam naturam videatur amisisse (ex. gr. si vinum in consecratione adhibendum factum fuerit acetum); vel usui suo naturali inservire nequeat (ut panis crudus); vel ei alia materia extranea fuerit ita admixta, ut eius speciem immutaverit, vel usui ineptam reddiderit (ut si aquae, ad baptizandum, vinum potens in ea quantitate fuerit adiunctum, ut aqua amplius dici

(1) Id est, ad remotionem obicis requiruntur eae dispositiones, quae ad effectum singulorum sacramentorum obtinendum sunt necessariae.

nequeat; ut si aquae vinum ex aequo fuerit admixtum, quo in casu ea materia apta non est neque ad baptismum neque ad Eucharistiam). Et materia tunc substantialiter immutata dicenda est, quum hominum aestimatione alia intelligitur esse ab ea quam Christus determinavit, et alio nomine vocatur.

412. **Forma** sacramenti sunt verba a Christo determinata ad sacramentum conficiendum, significationem materiae perficientia. Forma igitur debet esse: 1° *Ea prorsus, qua Ecclesia utitur.* 2° *Non immutata substantialiter.* Et substantialiter immutatur, *a*) si verba amplius synonyma non sint nec significent adhuc eamdem actionem eumdemque effectum (ex. gr. verbis — ego te *mundo* a peccatis tuis — effectus significatur, non actio absolvendi, et *mundare* et *absolvere* non sunt synonyma); *b*) *additione*, quae sensum mutet (te absolvo *a peccato originali*) vel errorem contra ipsam formam contineat (*hoc est corpus meum aereum*); si aequivocatio incidit, res pendet a proferentis intentione (ita si quis baptizet *in nomine P. et F. et Sp. S. et B. Mariae V.*, si hoc ex devotione addiderit, baptismus valet; si intentione baptizandi in nomine B. M. V., non valet); *c*) *detractione* verborum, quae significant actionem sacramentalem (ut si quis ita baptizet — *In nomine P. et F. et Sp. S.* —) vel indicant subiectum (— *ego baptizo in nomine* etc. — quo in casu significatur potius baptizantis munus quam praesens baptismus); *non* verborum quae indicant ministrum, quia pronomen tacite inest (*te baptizo* etc.); *d*) *corruptione* verborum, quae sensum omnino auferat, non quae vitio linguae aut naturali praecipitationi debeatur; *e*) *transpositione* verborum, quae sensum mutet (ex. gr. *hoc corpus est meum*). 3° *Prolata continuo*, sc. sine interruptione; et interruptio longa obest validitati, non item brevis; quaenam longa sit vel brevis, ab aestimatione prudenti pendet. 4° *Prolata modo consecratorio*, ideoque praesentis temporis.

413. *Inter materiam proximam et prolationem formae* ea debet esse **coniunctio** (seu moralis unitas) ut, inspecta cuiusque sacramenti natura, altera ad alteram referri et unum quiddam exsurgere intelligatur iuxta moralem hominum aestimationem. Unitas haec moralis in baptismo, confirmatione, extr. unctione, Ordine habetur etsi, alterutra ex iis posita, immediate vel, brevissima mora (citra spatium unius *Pater* vel *Ave*) interiecta, alia ponitur; in Eucharistia eodem physice tempore utraque ponenda est, quia verba *hoc*, *hic* non habent sensum nisi materia sit praesens; in poenitentia, quae iudicii formam sequitur, materia semper praecedere debet, et absolutio, item ac iudicis sententia post examen causae, potest differri (cf. n. 487, *d*); in matrimonio, sicut in ceteris contractibus, unius consensus potest sequi consensum alterius quamdiu hic moraliter perseverare censetur.

414. *Materiam dubiam* adhibere, extra casum necessitatis, grave est sacrilegium quia sacramentum periculo nullitatis exponitur; *mutatio substantialis* voluntaria materiae vel formae, *item; mutatio accidentalis* voluntaria materiae vel formae erit peccatum grave vel leve, prout mutatio est notabilis vel non, sc. prout ex prudenti aestimatione gravem contineat, vel non, deordinationem erga sacramentum (ex. gr. grave erit in consecratione omittere verba quae verbis « *hoc est c. m.* — *hic est s. m.* » succedunt); grave erit illud ponere inter materiam et formam *intervallum* quod unioni morali probabiliter obsit et sacramentum exponat invaliditatis periculo.

Cap. III. De ministro sacramentorum.

415. Minister is est, qui actionem sacramentalem a Christo institutam eius nomine peragit. Quinam sit pro quolibet sacramento, v. suo loco.

416. De requisitis in ministro ad sacramenti validitatem. 1° Intentio interna *a) saltem faciendi id quod Christus intendit vel quod facit Ecclesia,* quia actio de se indifferens ad plura significanda debet ita per intentionem determinari ut sit sacramentalis; *b) determinata ad certam materiam et certam personam*, quia naturaliter obiectum et terminus actionis debent esse definita, sed error circa personam non obstat validitati nisi in matrimonio; *c) saltem virtualis*, quia haec satis influit in actionem. **2° Positio materiae et prolatio formae**, eo modo facta ac supra diximus; et quidem utriusque applicatio debet fieri ab uno eodemque ministro, ne falsa sit forma. Valide tamen et licite unus minister sacramentum pluribus simul administrat, sive baptismi per aspersionem, sive poenitentiae, in casu gravissimae necessitatis, ut incendii, naufragii, ruinae; extra necessitatem, alii tenent id leve esse, alii grave. Duo simul ministri valide sacramentum conficiunt si uterque ponit totam materiam et formam sive *pro parte* (ut si in extrema unctione unus aliquas unctiones, formam proferens, peragat et alter eodem modo reliquas), sive *ex integro* (ut si ambo una consecrent): in hoc altero casu, qui prior signum absolvit, sacramentum conficit: si ambo eodem temporis momento absolvunt, ambo pariter conficiunt. At grave est, nisi in casu necessitatis (ut si e duobus presbyteris praesentibus, ille qui extremam unctionem confert, duabus tantum unctionibus peractis, repente concidat), sacramentum duos pro parte conficere; duos ex integro conficere, grave semper est, praeter quam in presbyterorum ordinatione.

Condicio *de praesenti* vel *de praeterito,* qua sacramentum non suspenditur sed conficitur, necne, prout condicio adest vel deest, *non obest validitati* sacramenti ; at invalidum illud reddit condicio *de futuro,* si excipias matrimonium, in quo ea admittitur ut in ceteris contractibus. Ex gravi causa, quoties sc., sacramento absolute collato, adesset periculum nullitatis, absolute negato, homo careret effectu sacramenti vel necessarii vel utilissimi, licet apponere condicionem de praesenti vel de praeterito ; nunquam licebit, praeterquam in matrimonio, apponere condicionem de futuro.

417. De requisitis in ministro ad liceitatem. 1° **Attentio actualis,** ita sc. ut absit omnis voluntaria distractio, tum ob reverentiam sacramento debitam, tum ad vitandum periculum erroris substantialis. Generatim vero distractio voluntaria erit levis ; in consecratione panis et vini in Eucharistia erit gravis vel (cum Nostri non omnes conveniant) fere gravis. 2° **Status gratiae,** *certo,* saltem si agatur de ministro *consecrato* ad illud sacramentum conferendum et *simul* de collatione sollemni, sc. cum integro ritu ab Ecclesia praescripto. Quare *probabilius* gravi vacant sacerdos in letali privatim et sine sollemnitate baptizans, Eucharistiam ministrans vel tangens vel deferens ; laicus baptizans ; sponsi *qua* ministri matrimonii. Sacerdos vero, qui sacramenta debet conficere aut conferre, non tenetur confiteri (nisi sit celebraturus, de quo cf. n. **448**), sed elicere actum contritionis ; at, si tempus non sibi suppetat aut non valeat actum contritionis elicere, et simul nequeat sine scandalo recedere, gravi probabiliter vacat, quia hic irreverentia cessat. Sed haec sententia, ni fallor, non valet pro parocho, qui, cum in ea condicione versetur ut quolibet temporis momento ad sacramenta administranda vocari possit, tenetur etiam sibi continuum gratiae statum procurare. — *Unum* numero *peccatum* admittit qui una administratione pluribus successive idem sacramentum confert,

ex. gr. qui plures absolvit, qui plures, unum post alium, baptizat.

418. De obligatione et modo conferendi sacramenta. I. Minister *curam habens animarum tenetur sub gravi* et *ex iustitia* sacramenta ministrare subditis rationabiliter petentibus; imo et, in gravi subditi necessitate, vitam exponere ut conferat sacramenta quae ad eius salutem sint omnino necessaria, modo, quum agitur de vita exponenda, adsit spes moraliter certa boni exitus (cf. 398, D). *Ceteri sacerdotes* tenentur sacramenta administrare *ex sola caritate,* quae obligat sub gravi et cum gravi incommodo in gravi proximi necessitate, cum periculo vitae in extrema. II. In sacramentorum collatione, *non licet uti opinione probabili, relicta tutiore* (ex prop. 1ª damn. ab. Inn. XI), tum ob reverentiam sacramento debitam, tum ob damnum sive suscipientis (ut in baptismo) sive suscipientis et tertii (ut in ordinatione). *At licebit:* 1° si probabilis opinio sit de iurisdictione confessarii vel de validitate matrimonii, quibus in casibus Ecclesia supplet; 2° quum materia tutior nequit haberi et necessitas vel gravis proximi utilitas urget; item, quotiescumque sacramenti administratio nimiis scrupulis vel anxietatibus fieret obnoxia. Verum *condicio* de praesenti *a*) respiciens *valorem sacramenti,* quando dubitatur de materiae validitate, vel *capacitatem subiecti,* si dubitatur de subiecti capacitate, *apponi debet,* sed solum in conferendis baptismo, extrema unctione, confirmatione in casu gravis necessitatis vel magnae utilitatis; non in Eucharistia et in Ordine, quia non licet utrumque sacramentum, in dubio de validitate, conficere, tum ob necessitatis defectum, tum ob idololatriae periculum in altera, ob incommoda gravissima irritae ordinationis in altero; *b*) respiciens *dispositiones suscipientis, apponi potest* quum conferuntur baptismus, confirmatio, extrema unctio adulto, rebus vere desperatis, in articulo mortis: *non* in baptismo, confirmatione sano conferendis, quia, si

postea apparuerit dispositiones defuisse, aut sacramentum esset cum scandalo iterandum, aut eo carendum foret perpetuo ; *c*) respiciens *dispositiones poenitentis,* apponi *potest et debet,* ex gravi causa, in confessione excipienda. III. *In dubio de sacramenti collatione* (utrum ex. gr. aliquis fuerit baptizatus) vel *de sacramenti validitate, rationabili* quidem et *gravi,* sive *iuris* (ut si adhibita fuit materia vel forma, de cuius validitate hinc inde Nostri certent), sive *facti, a*) *possunt iterari* sub condicione *omnia sacramenta ; b*) *debent iterari,* ratione vel necessitatis vel damni religionis aut proximi, baptismus, absolutio vel extrema unctio morientibus, consecratio in Missa, Ordo. IV. Minister *generatim tenetur* sacramenta *indigno* denegare, ob illud I. Christi : « nolite dare sanctum canibus, neque mittatis margaritas vestras ante porcos » et quia ministrum oportet esse *fidelem dispensatorem.* Praemittimus *peccatorem* dici *publicum* (1), si eius crimen vel mala vita communiter cognoscitur ; *notorium,* quum nondum eius crimen in publicam notitiam venit, sed tamen iam ita cognoscitur ut amplius communitati celari nequeat ; *occultum,* quum abest periculum ne eius improbitas publice dignoscatur. Addimus dici eum *occulte petere,* qui petit vel coram ministro tantum vel coram aliis paucis, quorum ratio haberi non debeat ex. gr. coram puerulis. 1° *a*) *Peccatori publico petenti sive publice sive occulte,* sacramentum est denegandum, nisi de eius poenitentia et emendatione publice constet (ex. gr. per confessionem in ecclesia publice factam, et, si necesse sit, per ablationem occasionis proximae). *b*) *Peccatori notorio, publice* petenti, sacramentum dari debet, quia publicus dici nequit, possidet adhuc famam suam quoad omnes qui crimen eius ignorant, et denegatio incommodis scateret ; *occulte* petenti, denegandum. *c*) *Peccatori occulto* sacramentum denegandum est

(1) Definitiones in can. 2197 traditae videntur potius ad ius poenale referri.

quoties petat sive occulte, sive iis tantum adstantibus qui sciunt eum esse indignum, sive adstante solum uno vel altero viro probo et taciturno; publice vero petenti sacramentum non est denegandum, si excipias Ordinem, a quo Episcopus debet indignum repellere, etsi ipse solus eius indignitatem novit (cf. CIC. can 855). — Parochus vero ex gravi causa, praesertim si, ex denegata adsistentia, praevideat sponsos vitam inituros esse concubinariam, adsistere potest, consulto tamen et consentiente Ordinario (cf. CIC. can. 1065, 1066), matrimonio sponsorum, quorum uterque vel alteruter indignus sit. 2° Quaeritur utrum minister *a*) debeat indignis sacramenta denegare vel *b*) possit sacramentum invalide conficere (ex. gr. baptizare cum vino, rite baptizatum rebaptizare, extremam unctionem conferre sano vel infanti), quum ei, si neget, mors intentatur. *Resp. ad a*): ministrum in casu posse *simulare* (1) sacramentum *simulatione late sumpta* (qua quis ponit ficte aliquid, quod non est de essentia sacramenti, ut ex. gr. preces quaslibet, loco absolutionis, recitando, et benedicendo); sed si casus non est adhibendae simulationis late sumptae, alii affirmant sacramenta dari posse, quia cooperatio, licet proxima, ad sacrilegium suscipientis vetatur ex caritate, quae non obligat cum gravi incommodo; alii negant, quia sacramenta dari possunt indignis unice ad praecavendum damnum publicum, non vero privatum. At, quaeso, cur dari possunt peccatori occulto, publice petenti, ne infametur? Priori ergo sententiae indulgeri potest, modo tamen in casu praecaveatur publicum scandalum et offensio fidelium. *Omnes tamen conveniunt*, deneganda esse sacramenta, etiam cum vitae periculo, indignis qui petant in contemptum religionis vel in odium fidei. *Ad b*): id nunquam licere, nec cum vitae periculo,

(1) Simulatio *stricte sumpta*, qua quis ficte ponit aliquid quod est de essentia sacramenti (ex. gr. recitando verba consecrationis sine intentione consecrandi), *nunquam licet*, et evidens est.

quia adest religionis contemptus vel fidei odium. V. Minister *uti debet ritibus ab Ecclesia praescriptis;* si qua omittit, grave vel leve erit pro rituum momento: de quo v. ubi de singulis sacramentis.

Cap. IV. De subiecto sacramentorum.

419. Subiectum sacramenti dicitur is, qui sacramenti suscipiendi est capax: nempe *homo viator.* Et quidem omnis homo viator est capax baptismi et, baptismo suscepto, confirmationis et Eucharistiae; Ordinis sunt capaces mares tantum; poenitentiae adulti omnes, sive mares sive feminae, qui post baptismum peccaverint; extremae unctionis adulti omnes utriusque sexus letali infirmitate laborantes; matrimonii mares et feminae, qui sint generandi capaces. Haec in genere; in specie, v. ubi de singulis sacramentis.

Alia requiruntur ad validam, alia ad licitam sacramentorum susceptionem.

420. De requisitis ad validam sacramentorum susceptionem. 1° *Capacitas,* de qua in superiore numero.

2° *Intentio,* seu voluntas, in adultis: quae *pro baptismo* sufficit *habitualis,* ideoque hic valide confertur dormienti et ebrio; *pro confirmatione, habitualis implicita,* quia commoda affert et nihil incommodi: et in voluntate, quam quis in baptismo habuit, ingrediendi Ecclesiam, non retractata, includitur voluntas suscipiendi baptismi complementum, quod est confirmatio; *pro viatico, habitualis implicita,* qua sc. aliquis voluerit christiane mori; *pro poenitentia* sufficit *habitualis* (secus quomodo absolveretur sensibus destitutus?); *pro e. unct., habitualis implicita; pro Ordine* sufficeret habitualis, sed in praxi requiritur *actualis* vel *saltem virtualis,* ob onera, quibus status clericalis subest; *pro matrimonio* requiritur *actualis* vel *saltem virtualis* quia de contractu agitur.

Infantes suscipere baptismum possunt et debent, confirmationem possunt at non debent, Eucharistiam possunt et debent, ex quo eis sufficiens rationis usus suppetit. *Amentes perpetuo,* qui sc. ante rationis usum in amentiam inciderunt vel amentes sunt a nativitate, suscipere possunt ac debent baptismum, confirmationem possunt at non debent. *Amentibus, qui post rationis usum in amentiam inciderunt,* praesertim si ante amentiam christiane vixerint, ex voluntate habituali implicita, absolutio et extrema unctio dari possunt et debent in mortis periculo; si vero male vixerint ante amentiam, in articulo mortis utraque erit iis impertienda sub condicione (1). *Infirmis,* qui sunt sensibus destituti, sacramenta sunt conferenda solum in periculo mortis, dummodo *non constet* eos impoenitentes usque ad sensuum amissionem exstitisse; et ad conferendum baptismum vel poenitentiam *tenuis,* ad confirmationem vel extremam unctionem *maior* dispositionis *probabilitas* requiritur. Quoad *surdos-mutos a nativitate,* qui in scholis *instituti non sunt,* Card. D'Annibale (III, 260) scribit: « existimo posse eis dari baptismum et confirmationem, immo (cum non sit plane indubitatum, eos ignorare quae ad fidem pertinent) et absolutionem; verum omnia sub condicione: si quis autem et Eucharistiam morituris dandam putet, quasi (ut olim) infantibus, non obloquar, dummodo omne irreverentiae periculum absit; at E. U., si quid opinor, danda eis non est, cum nec sit necessaria, et vix probabile sit validam esse ».

421. De requisitis ad licitam sacramentorum susceptionem. 1° Requiritur: *a) Ad sacramenta vivorum* suscipienda, *status gratiae* et, si quis in letali sit, obtinendus per *contritionem* saltem: excepta Eucharistia, ad quam licite suscipiendam confessione opus est. At si eo temporis momento, quo suscepturus es, aliquod mortale memineris,

(1) Cf. n. 429.

conteri debes, et, si ob temporis angustiam, nec conteri queas nec sine scandalo aut infamia recedere, probabile est te posse sacramentum suscipere, quia irreverentia cessat ; item, si hostia esset profananda, nisi statim absumatur. *b*) *Ad sacramenta mortuorum, attritio.* 2° Ex causa rationabili et quando sine notabili incommodo alius minister haberi nequit, licet *petere sacramenta* a ministro etiam *notorie indigno,* modo non sit excomm. toler. post sent. declaratoriam vel condemn. aut vitandus ; et etiam ab *isto* et ab *hoc* in casu extremae necessitatis (cf. can. 2261). Qui sine rationabili causa petit ab eo, quem novit peccasse et certo vel fere certo non poenituisse, quia ex. gr. versatur in occasione proxima vel est consuetudinarius, grave admittit contra caritatem.

SECTIO ALTERA

DE SACRAMENTIS SINGULIS

Tit. I. De Baptismo.

Cap. I. De natura, materia et forma baptismi.

422. Baptismus definitur « sacramentum regenerationis per aquam in verbo ».

Non sunt sacramentum, sed ad instar sacramenti operantur *a*) *baptismus flaminis* (seu Sp. S.), qui est vera conversio ad Deum per contritionem perfectam vel caritatem perfectam erga Deum, cum voto sive explicito sive implicito baptismi aquae (seu fluminis) ; qui flaminis baptismus nec imprimit characterem neque delet semper omnem venialem culpam vel poenam culpis debitam, sed pro maiore vel minore caritatis aestu ; — *b*) *b. sanguinis,* seu

martyrium, idest mors tolerata ob fidem vel aliam christianam virtutem; qui sanguinis baptismus non imprimit characterem, sed remittit *quasi ex opere operato* (sc. ex privilegio collato ob imitationem realem mortis I. Christi) sive omnem culpam sive omnem poenam tum adultis tum infantibus; sed in adultis, ut martyrium eos effectus ad salutem operetur, requiritur mors irrogata, acceptata sine resistentia ex pia causa vel ob veritatem quae ex fide teneatur, et, si status gratiae desit, saltem attritio.

Baptismus (aquae) in re vel in voto saltem implicito necessarius est necessitate medii (Io. III, 5) ad salutem; delet omnem culpam, tum originalem tum actualem, et omnem poenam (modo in adultis praecesserit saltem attritio relate ad omnem culpam) et imprimit characterem, quo baptizatus fit membrum Ecclesiae et capax aliorum sacramentorum.

423. Materia baptismi alia *remota,* alia *proxima.* *Materia remota* est aqua naturalis et liquida. Quare materia *certo valida* est aqua, licet turbida, quae *e terra scatet,* ex. gr. fontium, mineralis, vel quae *in terram fluit,* ex. gr. aqua pluvia, fluminum, maris, puteorum, stagnorum, paludum, lacuum, ros, aqua effluens tempore nimboso e parietibus, e foliis, vel *resoluta ex iis quae aqua constant,* sc. ex glacie, ex nive, ex grandine, ex vapore, vel *effecta ex iis, quibus aqua constat,* sc. aqua chemice habita, et in genere ea, quae, ex communi hominum aestimatione et usu, habetur et dicitur aqua naturalis (1). Materia *dubie valida* sunt iusculum valde tenue, lixivium, cerevisia valde tenuis, coffea, thea (*thè*), aqua ex sale soluto, humor fluens ex arboribus, nix vel glacies nondum soluta,

(1) *Theoretice* hic aestimatio hominum non esset attendenda, at potius videndum utrum ea materia constet iisdem elementis quibus aqua naturalis; at *in praxi,* aestimatio hominum, cum rei respondeat, criterium efformare potest.

aqua cum infusione rosarum (rosacea) vel aliorum florum et herbarum etc., ea in genere, de qua ex communi hominum aestimatione dubitatur utrum aqua naturalis sit et dici possit. Materia *certo invalida* sunt lac, sanguis, sputum, lacrimae, atramentum, sudor, sucus e fructibus expressus et in genere omnes aquosae materiae quae nec nomine nec in communi hominum aestimatione aqua sunt. *In periculo mortis*, absente m. valida, dubia erit adhibenda sub condicione — si haec est m. valida —, et infirmus, si supervixerit, erit rebaptizandus cum materia certo valida sub condicione — si non es baptizatus —. De materia *licita* inferius c. IV.

Materia proxima est *ablutio* facienda, *ad validitatem*, (sive una, sive trina) vel per infusionem, vel per immersionem, vel per aspersionem; *ad liceitatem*, extra casum necessitatis, vel primo vel altero modo vel mixto ex utroque secundum probatos diversarum Ecclesiarum rituales libros (cf. CIC. can. 758). Cum abluere idem sit quam aquam in aliquem perfundere, ut baptismus valeat, necesse est 1° ut aqua *fluat* et in ea copia, qua aliquis vere ablutus dici possit; quare *a) invalidus* est baptismus, quum digito vel manu vel sudario madidis frons *tangitur*, at validus si frons *successive* tangitur; *b) dubius*, si per modum unctionis digito madefacto crux in fronte fit vel b. collatus per unam vel alteram guttam, quae cuti insideat quin fluat; 2° ut aqua *immediate* tangat baptizandum; quare *a) dubius* est b., si aqua *tantum crines* baptizandi tangat, eosque non praeterlabatur; *b) invalidus*, si aqua effunditur in membranas quae fetum involvunt, et in funiculum umbilicarem; nam membrana exterior, seu *decidua*, ex utero efformatur et est pars matris; duae interiores, quae vulgo *secundinae* vocantur (*amnion* et *chorion*), licet ex ovo efformentur et propterea aliquo modo pars infantis dici possint, non sunt tamen pars permanens fetus, sed transitoria, quia potius constituunt involucrum, quod in partu abiicitur; idem dicatur de funiculo umbilicari; 3° ut aqua tangat

corpus, immo praecipuam corporis partem, quae *caput* est, baptizandi: quare *dubius* est baptismus, collatus in quibuslibet aliis corporis partibus, licet plerique e Nostris, iique magni nominis, teneant valere baptismum in *principaliore corporis parte,* ut in collo, scapulis, pectore, collatum. At horum sententia hodie a CIC. can. 746 dissentit.

Ablutio e ministri actione procedere debet; quare *validus* est baptismus si, dum formam profers, baptizandum aquae e tecto decidenti supposueris vel in flumen inieceris; *invalidus,* si alter baptizandum aquae e tecto decidenti supponat, aut ipse baptizandus se supponat vel in flumen deiiciat, et tu formam proferas.

424. Forma baptismi haec est: « *Ego te baptizo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti* ». Forma eousque certo valet, quousque *manent* tum significatio verbi « *baptizo* » et unitatis divinae naturae « *in nomine* », tum invocatio SS. Trinitatis « in nomine » cum distinctione et invocatione nominali Trium Personarum, tum enuntiatio, saltem implicita, personae quae baptizat et explicita personae quae baptizatur. Quare *a*) forma valet, si demptae fuerint particulae *ego, in, et; b*) forma erit nulla vel dubia, prouti elementa, quae essentialia diximus, certo aut dubie deficiant; *c*) forma erit valida, si, vel ex peculiari dialecto, vel ex ignorantia, verba aliquantulum corrumpantur, modo elementa formae substantialia permaneant.

Cap. II. De baptismi ministro.

425. Minister baptismi alius *ordinarius,* alius *extraordinarius,* et hic rursus alius *sollemnitatis,* alius *necessitatis. a*) Vi Ordinis, omnis et *solus sacerdos* est *minister* baptismi *ordinarius;* sed hac potestate *sub gravi* uti nequit, nisi sit parochus vel baptizet de Ordinarii aut parochi mandato, vel, ex iusta causa, de licentia parochi rationa-

biliter praesumpta. Parochus licite baptizat, nedum natos ex iis, qui intra limites suae iurisdictionis domicilium vel quasi-domicilium habent, sed etiam eos qui casu intra eosdem limites nascuntur et eos qui e suis parochianis extra paroeciam casu nascuntur et ad eum deferuntur; non item, natos ex non subditis extra paroeciam et ad eum delatos, nisi de licentia parochi sui, quae tamen non requiritur si agatur de peregrinis, quoties facile et sine mora infans ad paroeciam propriam deduci nequeat, et de vagis (cf. CIC. can. 738). — At adulti ad Episcopum sunt deferendi, si commode possit (can. 744). *b*) Minister *extraordinarius sollemnitatis* est diaconus, qui propterea sollemniter *ex iusta causa et de Ordinarii vel parochi mandato* baptizare potest, quod in casu necessitatis legitime praesumitur. *c*) Minister *extraordinarius necessitatis* est quilibet homo ratione utens, cuiuslibet sexus vel religionis. At, si plures adsint, ordinis et iurisdictionis ratio habenda est: quare si, praesente parocho, sacerdos baptizet, gravi non caret; si, praesente sacerdote, laicus baptizet, letale admittit, nisi sacerdos sit vitandus. Ceterum *sub levi* clericus laico, vir feminae praeferendus, nisi vel pudor vel peritia in baptizando aliud suadeant; quilibet alius praeferri debet parentibus infantis, quibus non licet natos suos baptizare nisi in mortis periculo; verum, si fecerint extra mortis periculum, puto eos gravi vacare, quia baptizando, sive in casu necessitatis sive citra necessitatem, non contrahunt cognationem spiritualem (1).

(1) Antea ex communi contrahebant cogn. spiritualem in baptismo filii illegitimi tantum. At hodie (CIC. can. 768) imped. cognationis sp. in casu esset prorsus inutile; ad quid impedimentum dirimens iuris eccles. si inter parentes et filios matrimonium iam consistere nequit iure naturae? Neque adesset privatio iuris petendi debitum, quia cogn. spiritualis iam non est inter baptizantem et parentes baptizati. De cetero parentes naturâ filios habere debent spiritualiter commendatos.

Cap. III. De baptismi subiecto.

426. Subiectum baptismi est omnis et solus homo *viator*. Ideo fetus, in utero matris, ut qui est homo viator, *valide* baptizatur, *non* autem *licite* donec probabilis spes sit ut rite editus baptizari possit (CIC. can. 746); at cum de baptismi, in utero matris collati, validitate non omnes Nostri conveniant, in praxi, quum infans in lucem vivus editur, erit sub condicione rebaptizandus (cf. eund. can. § 5).

427. De baptismo fetuum. I. *De fetibus abortivis.* Cum hodie certum sit, animam rationalem in ovum infundi ab ipsa conceptione, omnes fetus abortivi, etiam minimi (sc. ova abortiva), baptizandi sunt, si eos vivere vel certum vel dubium est; et cum signa vitae ab imperitis non facile queant percipi, omnes fetus praesumendi sunt vivi, dummodo recentes sint (recenter editi), albi, sine maculis coloratis in superficie pellis (quae sunt indicium putrefactionis), et non effundant ingratum odorem. Cum certo invalidus sit baptismus collatus in externis involucris, involucra aperienda sunt — et tutius intra aquam ipsam ad baptismum adhibendam — et ovum baptizandum est, si certo vivat, absolute; secus, sub condicione « si vivis ». II. *De monstris baptizandis.* Ex hodierno disciplinarum naturalium progressu colligitur, nullum fetum ex bestialitate procreari, et, propterea, quidquid ex muliere editur, modo non agatur de molis carneis, hominem esse, quamcumque referat formam. *Monstra* alia *simplicia,* quum agitur de deformatione unius fetus, alia *duplicia,* quum agitur de duobus fetibus, quorum alter alteri adhaeret. Monstra simplicia, si vivunt, sunt absolute baptizanda. Quoad *monstra duplicia,* si ea constent uno fetu evoluto et altero acardiaco, *ille* absolute baptizatur, *hic* non baptizatur. Si constat duobus capitibus et duobus pe-

ctoribus, utrumque caput absolute baptizatur; si duobus capitibus et uno pectore, alterum caput absolute baptizatur et alterum sub condicione; si uno capite et duobus pectoribus, caput absolute baptizatur, et deinde baptizantur singula pectora sub condicione — si non es baptizatus —. III. *De baptismo in utero matris.* Quum certum est vel valde probabile fetum edi vivum non posse, *a*) aut coepit partus, et aliqua pars fetus edita fuit, et in hoc casu caput absolute baptizatur, si caput primo editur: si vero aliqua primo prodit ex ceteris corporis partibus, baptismus in ea confertur sub condicione; *b*) aut, membranis iam discissis et liquido amniotico iam effluxo, fetus, in utero baptizandus, manu vel digito tangi potest, et in hoc casu fetus sub condicione baptizetur, in capite, si fieri potest, secus in aliis membris, per siphonem aqua plenum, aut per spongiam aqua imbutam, aut manu vel digito madefactis; *c*) aut fetus est adhuc membranis involutus, et in hoc casu debent antea perforari et abscindi involucra fetus et, procurato liquidi amniotici fluxu, fetus sub condicione baptizabitur; *d*) in casu, in quo partus artificialis promovendus est, vel operatio caesarea in matre, sive viva, sive mortua, facienda est, fetus est antea in utero sub condicione baptizandus, quoties dubitatur ne extra uterum vivere possit.

428. **De baptismo infantium.** 1° *Infantes filii catholicorum,* si vitae periculum superveniat, *statim* domi baptizandi sunt, omissis quibuslibet caeremoniis, si laicus baptizet; si parochus baptizet, adhibendae sunt post baptismum chrismatis unctio et caeremoniae quae baptismum sequuntur, si chrisma adsit et tempus suppetat. Ceterae caeremoniae in Ecclesia erunt supplendae. Et baptismus domi ab obstetrice vel laico collatus non erit in Ecclesia sub condicione iterandus, nisi, post diligentem inquisitionem, dubium fundatum exstet de invaliditate. — Infantes sunt *quamprimum* ad Ecclesiam deferendi ut baptizentur; quaenam di-

latio gravis sit, inter Nostros non convenit, at videtur dilatio, etsi notabilis, non esse gravis peccati arguenda, quum parentes seriam intentionem baptizandi habent et nullum imminet periculum, modo non adsit lex dioecesana, sub gravi terminum praescribens. — Infantes expositi et inventi, nisi, re diligenter investigata, de eorum baptismo constet, sunt sub condicione baptizandi (CIC. can. 749). 2° *Infantes filii infidelium*, insciis vel invitis parentibus, licite baptizari nequeunt, quia sine violatione iuris naturalis non possunt parentibus subtrahi, et si in parentum potestate maneant, in certo periculo defectionis relinquuntur; at *possunt* ac *debent* baptizari, etiam insciis et invitis parentibus, cum in eo versantur vitae discrimine, ex quo prudenter praevideantur morituri esse ante quam usum rationis attigerint. Extra mortis periculum, dummodo catholicae eorum educationi cautum sit, *possunt* (et si possunt, cur non debeant?) baptizari si *a*) parentes vel tutores, aut saltem unus eorum, consentiant; *b*) si parentes, idest pater, mater, avus, avia, vel tutores desint, aut ius in eos amiserint, vel illud exercere nullo pacto queant. 3° Quoad *infantes filios duorum haereticorum*, vel *duorum catholicorum qui in apostasiam vel haeresim vel schisma* prolapsi sint, etsi Ecclesia ius in eos non amisit, generatim tamen servandae sunt normae quae supra pro filiis infidelium datae sunt (can. 750-751).

429. De baptismo adultorum. *Adulti*, qui obligationem baptismi cognoverunt, tenentur ex praecepto naturali et divino quamprimum praeparare se et baptismum suscipere; at, nisi scientes volentes, probe instructi et peccata sua dolentes, ne baptizentur: et sacerdotem baptizaturum et adultos sanos baptizandos decet esse ieiunos: hi vero, nisi quae graves obstent urgentesque causae, statim post baptismum Sacro adsint et ad Communionem accedant. In mortis periculo, si nequeant in praecipuis fidei mysteriis plenius instrui, satis est ut aliquo

modo ostendant se iisdem assentire et promittant serio se christianae religionis mandata servaturos: si interrogari nequeant, modo ex rerum adiunctis praesumi possit intentio et voluntas, sub condicione baptizandi sunt, et, si convaluerint et dubitetur de validitate baptismi, sub condicione rebaptizandi (can. 752-753). — Si agatur de *haereticis conversis ad fidem catholicam*, inquisitio diligentissima instauranda est de valore baptismi ab eis in haeresi suscepti; si constet de invaliditate, erunt absolute rebaptizandi; si inquisitio institui nequeat, vel, ea instituta, dubium permaneat, erunt sub condicione rebaptizandi (cf. n. **458** in fine).

De baptismo *amentium* (cf. n. **420**, 2°), addimus, amentes, qui a nativitate vel ante usum rationis tales fuerint, baptizandos esse ut infantes; qui autem habeant dilucida intervalla, tum baptizandos, si velint. Qui *lethargo aut phrenesi* laborant, vigilantes tantum et volentes baptizentur; in periculo mortis, si aliquo modo baptismi desiderium praesumi possit (cf. CIC. can. 754).

Cap. IV. **De baptismi administratione.**

(CIC. can. 755-779)

430. I. A) *In casu necessitatis,* seu in mortis periculo, licet baptismum conferre privatim, quovis loco et tempore, positis iis tantum quae ad validitatem sunt necessaria, nisi forte sacerdos vel diaconus baptizet, quo in casu, si tempus suppetat, adhibendae quoque sunt caeremoniae quae baptismum sequuntur. Ceterae caeremoniae, in baptismo privato praetermissae, supplendae sunt quamprimum in Ecclesia, nisi agatur de haereticis adultis sub condicione privato baptismo ablutis ex Ordinarii concessione, qui in hoc tantum casu, extra mortis periculum, baptismum privatum permittere potest. B) *Extra casum necessitatis,* baptismus conferendus est *sub gravi:* 1° *in Ecclesia*

vel *oratorio publico,* quae fontis baptismalis iure gaudeant, tum ex se, tum ex concessione ab Episcopo facta in fidelium commodum, aut in quibuslibet Ecclesiis vel oratoriis publicis intra paroeciae fines sitis et fonte carentibus, quoties ad Ecclesiam fontis baptizandus sine gravi incommodo aut periculo accedere vel deduci nequeat. *Licet* tamen *conferre baptismum sollemnem* in *domibus privatis* (in sacello aut alio decenti loco cum aqua baptismali de more benedicta) *a*) si agatur de baptizandis filiis aut nepotibus eorum qui vel supremum actu tenent populorum principatum vel ius habent succedendi in thronum, si id rite poposcerint; *b*) quoties, iusta et extraordinaria de causa, Ordinarius concedendum censuerit; — 2° *aqua baptismali* et *sacris oleis* eius anni, vel, his deficientibus, anni proxime superioris: aquae vero in fonte imminutae, alia non benedicta (etiam iterato, minore tamen copia) admiscenda est, et si ea corrupta sit, aut quovis modo effluxerit vel defecerit, novam aquam, in fontem bene mundatum infusam, iuxta formulam ad hoc in suis liturgicis libris praescriptam, parochus benedicat; — 3° *sollemniter,* sc. adhibitis Ecclesiae ritibus et *patrinis.*

Patrini, qui, si fieri potest, etiam in privato bapt. adhibendi sunt, et saltem in supplendis eius caeremoniis, *sub gravi* in b. sollemni requiruntur, saltem unus (sive vir sive mulier), ad summum duo, sc. vir et mulier. *Inidonei, quoad validitatem,* sunt impotes rationis et non baptizati; qui ad aliquam sectam haereticam et schismaticam pertineant; sententia condemnatoria vel declaratoria excommunicati, infames infamia iuris (CIC. can. 2292), exclusi ab actibus legitimis (1), clerici

(1) Actus legitimi in iure sunt: munus administratoris bonorum ecclesiasticorum; iudicis, auditoris, relatoris, defensoris vinculi, promotoris iustitiae et fidei, notarii et cancellarii, cursoris et apparitoris, advocati et procuratoris in causis ecclesiasticis; patrini in baptismo et confirmatione; suffragium ferre in electionibus ecclesiasticis; iuris patronatus exercitium (can. 2256).

depositi vel degradati; pater, mater, coniux baptizandi; non designati vel ab ipso baptizando vel ab eius parentibus ac tutoribus, vel, his deficientibus aut non designantibus, a ministro. *Inidonei, quoad liceitatem,* sunt adolescentes infra 14^{m} annum inceptum, nisi aliud ministro, iusta de causa, videatur; propter notorium delictum excommunicati, vel exclusi ab actibus legitimis, vel infames infamia iuris, citra tamen sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; interdicti aut alias publice criminosi vel infames infamia facti (CIC. can. 2292); qui rudimenta fidei ignorent; novitii vel professi cuiusvis religionis, nisi, urgente necessitate, de venia Superioris saltem localis; clerici in sacris, nisi de consensu Ordinarii. In dubio de utraque idoneitate, consulendus est, si tempus suppetat, Ordinarius.

In baptismo sub condicione iterato patrini non sunt necessarii, si ii adesse nequeant qui priori baptismo adfuerunt. Quomodo autem patrini munus gerere debeant et quando cognationem spiritualem contrahant, v. n. 552, 2°.

II. Parochus, ut antea, debet acta baptismi in Regesto exarare; si vero de f. illegitimis agatur, inscribat nomen matris tantum si publice de eius maternitate constet, vel ipsamet a parocho petat scripto vel coram duobus testibus; patris quoque, si is ex publico authentico documento sit notus, vel petat, uti de matre diximus; in ceteris casibus baptizatum inscribat tamquam filium patris ignoti vel ignotorum parentum.

Nota. Proles ritu parentum baptizanda est; si alter e parentibus ad r. latinum, alter ad orientalem pertineat, ritu patris, nisi aliud iure speciali cautum sit; si tamen unus tantum e duobus sit catholicus, huius ritu.

Tit. II. De Confirmatione.

(CIC. can. 780-800)

Cap. I. De natura, materia et forma confirmationis.

431. Confirmatio est sacramentum, quo, per manus impositionem et unctionem chrismatis in verbo, datur robur gratiae ad profitendam tuendamque fidem in baptismo susceptam. Confirmatio non est necessaria ne necessitate quidem praecepti (1); gratiam secundam confert ad finem, qui in definitione innuitur, et imprimit characterem, quo confirmatus signatur quasi miles Christi.

Materia *remota* confirmationis est *chrisma,* ex oleo olivarum et balsamo (cuiusvis regionis) confectum, et ab Episcopo benedictum seu consecratum speciali chrismatis benedictione ; balsamum *verius* non est ad validitatem necessarium, sed *ex gravi praecepto* commiscendum est oleo. Chrisma *sub gravi* debet esse illius anni, et, nonnisi ex urgente necessitate, licitum est uti veteri chrismate. Aliud oleum (infirmorum, cathecumenorum) ab Episcopo benedictum est materia dubia, et in casu necessitatis extremae, deficiente chrismate, licite sub condicione adhibetur. Materia *proxima* est *chrismatio,* seu unctio confirmandi in fronte per modum crucis chrismate facta et coniuncta cum manus impositione. (Prima impositio manuum, quae fit ab initio sacri ritus, non est necessaria ; eaque graeci non utuntur). Chrismatio, ut qua continentur manus impositio et unctio, pollice dextero est facienda, *sub levi ;* digito tamen, ad validitatem.

Forma confirmationis haec est : « *Signo te signo*

(1) Item Extrema Unctio (cf. n. 408), at neutram licet negligere ex can. 787, 944; ideoque qui neglexerit, *levi* difficile vacabit.

crucis, confirmo te chrismate salutis, in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti ». Ex praecepto omnia verba haec necessario proferenda esse, nemo ambiget; at quaenam essentiam formae constituant et sint ad validitatem necessaria, non conveniunt Nostri. D'Ann. putat substantialia esse sola verba « confirmo te chrismate salutis », cum priora characterem significent, quem forma significare non solet, et posterioribus non utatur Ecclesia Graeca, quae hanc formam, et quidem validam, tenet: « signaculum doni Spiritus Sancti ».

Cap. II. De confirmationis ministro et subiecto.

432. Minister confirmationis alius *ordinarius*, alius *extraordinarius*. *Ordinarius* est Episcopus, qui *valide* omnes, *licite* confirmat subditos et, nisi obstet expressa Ordinarii eorum prohibitio, non subditos in sua dioecesi petentes (1); in aliena dioecesi indiget venia Ordinarii loci saltem rationabiliter praesumpta, nisi agatur de subditis privatim confirmandis sine baculo et mitra. Ordinarius loci *tenetur* confirmationem subditis rite et rationabiliter petentibus conferre, praesertim tempore visitationis dioecesis. Si confirmandi potestate careat, aut sit legitime impeditus, debet, quoad fieri possit, saltem quinto quoque anno providere ut hoc s. suis subditis administretur. Si neglexerit, (excepto casu quo sua sede prohibeatur et alii Episcopi eum in re praesenti sufficere vetentur) puto eum a gravi peccato excusari difficile posse, etsi plures e Nostris dilationem 8 vel 10 annorum ad p. grave constituendum requirant: at singulos

(1) Presbytero quoque licet, si apostolico locali privilegio auctus sit, in designato sibi territorio confirmare extraneos quoque, nisi id ipsorum Ordinarii expresse vetuerint (CIC. can. 784): idem, haud aliter atque Episcopus, tenetur conferre hoc s. iis, quorum in favorem facultatem habuit (can. 785, 2°).

non confirmans, etsi rationabiliter petunt, *leve,* morientes, *ubi consuetudo non viget,* confirmare neglegens, *nec leve* admittet. *Extraordinarius* est, ex delegatione Rom. Pontificis, quivis presbyter, at valide et licite nonnisi intra mandati fines; et presbyter latini ritus, nisi aliud ferat Indultum, *invalide* confert fidelibus alieni ritus, presbyter ritus orientalis *valide* sed *illicite* fidelibus ritus latini. Indulto apostolico ipso iure gaudent *ubique* S. R. E. Cardinales (CIC. can. 239); Abbas vel Praelatus Nullius, Vicarius et Praefectus Apostolicus, sed *valide* intra fines territorii sui et durante munere tantum.

Subiectum confirmationis est quivis baptizatus, licet adhuc ratione carens; at infantes ratione carentes hodie confirmare non expedit (cf. can. 788), nisi metuendum sit, ne aliter sine hoc sacramento decedant, ut quum Episcopus praevideat se diu abfuturum vel pueri sint graciles aut versentur in vitae discrimine. Amentes vero, etiam perpetuo tales, licite confirmantur. In adulto praerequiritur cognitio rudimentorum fidei et status gratiae.

Cap. III. De confirmatione administranda.

433. **Confirmatio conferri potest,** quovis die (at sollemnis decentius intra hebdomadam Pentecostes), quavis hora, et nedum in Ecclesia, etiam regularium, et in privatis sacellis, sed, ex iusta causa, quovis loco decenti; et Episcopus sufficit stolam induat supra amiculum manicatum, vulgo *rocchetto,* imo stolam tantum si adsit iusta causa. Omissio alapae *levis* erit, nisi forte ratione scandali. Extra casum necessitatis, requiritur *patrinus; unus* tantum (qui tamen duos infantes et, si ministro iusta de causa videatur, plures praesentare potest), et *idoneus. Inidonei,* quoad *validitatem,* sunt non confirmati et qui inidonei, quoad validitatem, pro baptismo (cf. n. 430): quoad *liceitatem, sub levi* tamen, qui fuerunt patrini in baptismo confirmandi et qui sunt sexus diversi a confirmando, nisi in

utraque re aliud ex iusta causa ministro videatur aut confirmatio statim baptismum sequatur ; item qui inidonei, ad liceitatem, pro baptismo. — Confirmandi debent adesse primae manuum impositioni seu extensioni et non discedere nisi expleto ritu.

Tit. III. De Eucharistia.

434. Eucharistia est fidei nostrae mysterium, quo, sub speciebus panis et vini, per sacerdotis verba consecratis, ipsemet Christus offertur, continetur et sumitur. Hoc mysterium habet *sacrificii* et *sacramenti* rationem : sacrificii, dum conficitur (*in fieri*) ; sacramenti, postquam fuerit confectum (*in facto esse*) et praecipue quum sumitur. Materia, forma, minister, tum sacrificii tum sacramenti conficiendi, iidem sunt, ut patet.

Cap. I. De Eucharistia, qua est Sacramentum.

Art. 1. De sacramenti Eucharistiae natura et effectibus.

435. Sacramentum Eucharistiae definitur sacramentum quo Corpus et Sanguis Christi, sub speciebus panis et vini, ad refectionem spiritualem animarum, continetur et sumitur.

Sacramentum hoc, licet signum sit duplex, *est* tamen *unum unitate morali,* quia species consecratae panis et vini ordinantur ad unicam refectionem spiritualem, sicut cibus et potus corporalis ad unicam refectionem corporalem. — Christus *manet realiter praesens* in Eucharistia quamdiu species manent integrae et non ita corrumpuntur ut iuxta moralem aestimationem (1) non videantur

(1) Ita fere omnes ; at, si quid opinor, non hic moralis aestimationis ratio habenda, sed *physice* res attendenda est.

adhuc esse panis et vinum; speciebus corruptis substituitur eadem materia, quae pani et vino corruptis succederet. Species sumptae per S. Communionem non sunt in ore retinendae, donec pereant; gratia enim non confertur nisi *Christum manducantibus*. Traiectae vero in stomachum, quamdiu integrae maneant, alii aliud sentiunt; Capellmann (*Medic. Pastor.* ed. lat. 2, p. 121) tenet ad veram corruptionem, seu immutationem chemicam specierum, dimidium horae requiri, tum in laico tum in sacerdote (1); alii, minus, immo multo minus dimidio horae.

436. Effectus sacramenti huius sunt *a*) *augmentum gratiae sanctificantis,* ad finem adipiscendae perseverantiae in bono et gloriae aeternae, sc. gratia *secunda; per accidens, prima,* quum communicaturus, ignorans vel non cogitans se in letali versari, in bona fide et cum attritione accedit; *b*) *intima unio cum Christo* et delectatio ac dulcedo spiritualis; *c*) *remissio* culparum venialium, partis maioris vel minoris poenae temporalis peccato debitae, collatio virium ad emendationem et ad praecavenda futura peccata etc.

(1) Haec sententia, licet a perito viro procedat et cum vetere plurimorum sententia concordet, mihi *absurda* videtur. Ad hostiam quod attinet, si in eam, in ore detentam, statim actio chemica salivae agit, intelligi nequit, quomodo species in stomacho calore naturali (aliquanto maiore 37 gradibus) et liquidis gastricis concoctae, dimidium horae sine immutatione chemica permaneant et incorruptae. Id semper pro certo habui, sacram hostiae speciem minutum primum in stomacho permanere incorruptam aut *ne vix quidem;* hanc sententiam tueri alios in praesens, animadverto. Ad alteram vero speciem quod spectat, puto, cum vinum fere statim absorbeatur et in circulationem iniiciatur, praesentiam realem sub specie vini non posse regulariter protrahi ultra octo vel decem circiter minuta prima. Dixi: *regulariter;* nam hac in re absorptio plus minusve celeriter fit pro quantitate, varietate et vi alcoolica vini et pro diversa stomachorum condicione. Hoc tamen independenter ab alia quaestione; sc., cum vinum et aqua, immediate post calicis sumptionem ingesta, statim in stomacho cum specie vini commisceantur, nonne dicendum est, saltem si aqua et vinum ingesta sint in eadem aut fere eadem quantitate ac vini species, praesentiam realem sub specie vini illico cessare? Ita sentio, at sapientiores viderint.

Art. 2. De Eucharistiae materia et forma.

437. Materia alia *remota,* alia *proxima* (sc. remotae usus). Materia *remota* duplex est: 1° **Panis triticeus,** subactus aqua naturali et puro igne coctus, non corruptus, et *ad validitatem* sive azymus sive fermentatus, *ad liceitatem* azymus pro latinis, fermentatus pro graecis (utrique alium ab eo, quo uti licite possunt, illicite adhibent, nisi quum, ubi precario morantur, ecclesiam sui ritus non inveniunt). Dicitur: *a) panis triticeus;* panis igitur ex quacumque *vera* tritici sativi *specie,* aut aptius *varietate,* materia valida est; ex quacumque frumenti specie, quae *non sit triticum,* materia inepta seu *invalida* (1), at si *modicissima* alterius frumenti quantitas farinae triticeae admisceatur, materia erit illicita sed valida; *b) subactus aqua naturali:* ideo erit materia dubia triticus subactus aliquo alio liquido, velut aqua rosacea, vino, oleo, lacte, butyro, ovis nisi ex his quid modicissimum aquae naturali admisceatur, quo in casu materia erit item illicita sed valida; item dubia materia erit triticus elixus vel frictus oleo, adipe, butyro etc.; invalida prorsus, si, loco panis, e tritico facta fuerit puls, offa, laganum; *c) igne coctus;* quare erit materia invalida panis e tritico aqua naturali subacto, sed adhuc *crudus; d) panis triticeus aqua naturali subactus et igne coctus* erit item materia invalida, si ex farina corrupta factus fuerit vel postea corruptionem imbuerit, ex. gr. quia in loco humido adservatus. 2° **Vinum de vite,** ex uvis maturis expressum et potabile. Quare *a)* materia *invalida* est vinum ex uvis immaturis expressum (*agresta*), quia vini na-

(1) Sunt igitur materia invalida *far* (*spelta*), *hordeum, oryza, avena, zea* (*mais*), *siligo* (*segala*) - (at si pro siligine intelligatur non *la segala,* sed exquisita tritici sativi species, ex qua, iuxta Plinium et Columellam, laudatissimus panis conficiebatur, eam esse materiam validam patet), *solanum tuberosum* (*patata*), *castaneae, milium.*

turam nondum habet; vinum vulgo *secundum* appellatum, sc. extractum ex uvis iam expressis et aqua in eas, in maiore quantitate, effusa; vinum *artificiale,* licet constet iisdem chemice elementis ac vinum de vite; *b*) materia *valida,* sed *illicita,* est *mustum,* seu vinum ex uvis maturis *recenter* expressum et nondum perfectum; *vinum,* cui *alii liquores* vel aromata addita fuerint in modicissima quantitate (at, quum fermentatio tumultuosa coepit defervescere, ad vinum debile conservandum addi potest licite *alcool* ex uva extractum in quantitate non ultra 17 % vel 18 %, ex Resp. S. Off. 5 Aug. 1896); *vinum congelatum,* ex veriore sententia; *c*) materia *valida,* et *licita in casu necessitatis,* est vinum *paullisper acescens; d*) materia *dubia,* vinum *notabiliter acescens,* sed quod nondum acetum dici possit.

438. Forma est, in consecratione panis: « *Hoc est enim corpus meum* »; in consecratione vini: « *Hic est enim calix sanguinis mei, novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum* ». Ad *validam consecrationem a*) verba *debent* simul *significare* rem praesentem (quare *illud* pro *hoc, ille* pro *hic* invalidant) et transubstantiationem in instanti et in facto esse; sc. forma debet significare non *quod fit,* sed *quod factum est* (quare invalida consecratio, si dicas: hic panis est, hoc vinum est, hoc fit, hoc fiat etc.); *b*) verba proferenda sunt non historice et assertive tantum, sed insuper formaliter seu significative, idest sacerdos debet *affirmare* hoc esse corpus Christi; sufficit tamen verba proferre cum intentione faciendi id, quod Christus fecit; *c*) *certo* non pertinent verba « enim », nec verba « novi et aeterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum ».

439. Materia proxima ea esse debet, quam forma exigit. Sane pronomina *hoc* et *hic* exigunt rem

certo determinatam, praesentem, prope positam. 1° Materia debet esse *certo determinata,* per intentionem sive actualem sive virtualem consecrantis. Determinatio semper adest, quum consecrans intendit consecrare materiam praesentem, licet non integram sensibus percipiat (ex. gr. particulas, quae aliis subsunt in pyxide), vel praesentem putet esse minorem ac revera est (ut si putet adesse viginti particulas, vel viginti paraverit, et eo inscio, aliae additae fuerint). Contra accidit, si intentio generalis consecranti desit; quare si ex duabus hostiis unam consecrare velit, nisi determinet, neutram consecrat; si unam esse putet hostiam et alia sit ei supposita, utramque consecrat, quum utramque prae manibus tenet, quia vult consecrare id quod manibus tenet; si autem in corporali utraque iacet, consecrat eam quae apparet; si vinum consecrare intendit, probabiliter non consecrantur guttae calici adhaerentes et a massa distinctae (1). Si dubium est vel certum, particulis consecratis admisceri non consecratas, integer cumulus debet *sub condicione* consecrari, quia alio modo non haberetur materia determinata. 2° Materia debet esse *praesens* seu coram posita seu physice praesens, etsi sensibus non percipitur, modo verba *hoc, hic* sensum habeant, sc. materia per ea vere demonstrari et indicari possit. Quare valide consecras materiam positam super corporale, etiamsi in pyxide clausa vel in calice cooperto contineatur, et etiam extra corporale in altari, vel alibi (corpore nullo interposito), sc. quousque verba *hoc, hic* sensum habent. 3° Materia debet esse *prope posita;* et si exstet ultra quinquaginta circiter passus, consecra-

(1) Quum celebrans certo elicuit intentionem consecrandi (ex. gr. particulas in pyxide), certo consecrat, licet pyxis extra corporale, celebrante inscio vel inadvertente, posita fuerit; contra quam alii putant, qui in casu dicunt materiam non consecrari, quia celebrans censetur habere intentionem condicionatam, nempe consecrandi quod *licite* consecrari potest. Ex hoc principio permulta orirentur incommoda, eaque gravia (cf. Noldin, *De Sacramentis,* nn. 113, 114).

tio est certo invalida; si non ultra viginti, valida; si inter 20 et 50, dubia (1).

440. De requisitis ad licitam consecrationem. A) *Nunquam* licet consecrare materiam dubiam, nec ad mortem vitandam, ob periculum idololatriae materialis et, si alterutra tantum materia sit dubia, ob sacrificii integritatem. At, consecrata materia dubia, sive id culpabiliter feceris, sive bona fide et postea animadverteris, debes eam sumere ante purificationem. B) *Hostia consecranda* debet *a*) esse decens, munda et integra, et, si fractura vel macula sit magna, *grave* admittes consecrando, nisi forte post oblationem animadvertas; *b*) esse formae orbicularis, et maior pro Missa celebranda, minor pro fidelium communione; at hac uti ad Missam celebrandam, quando altera haberi nequit, *nunquam grave* erit, immo nec leve, remoto scandalo — et scandalum removeri potest, si agatur de sacro publice faciendo, per aptam populi monitionem — si necesse sit die festo celebrare vel, ob devotionem, nolis sacro te abstinere. C) *Vino sub gravi aqua admiscenda est,* non ultra decem circiter guttulas, et si casu nimia aqua fuerit infusa, aliud vinum erit addendum. D) *Utraque species a*) *sub gravi et semper* consecranda est, quia non licet Eucharistiam conficere extra sacrificium; *b*) super altare et corporale ponenda est *sub gravi* et ante oblationem; si particulae paulo post oblationem, imo, ex gravi causa, si incepto canone afferantur, licebit eas consecrare, oblatione mentaliter repetita. *Sub levi* pyxis et calix ante consecrationem debent aperiri seu detegi. E) *Singula verba consecrationis* praecipiuntur *sub gravi,* etiam quae ad validitatem non pertinent. Si errorem in consecratione incidisse *certo* vel *valde probabiliter,* deprehenditur in

(1) Ita omnes, vel fere omnes. At mihi id difficile est; si enim est verum, quod nemo dubitat, materiam debere posse demonstrari seu indicari per verba *hoc, hic,* nescio quomodo verba *hoc, hic,* ex communi hominum loquendi usu, demonstrare queant rem ad viginti passus positam.

ipsa consecratione, repetenda sunt verba consecrationis tantum; si aliquo tempore post consecrationem, incipiendum erit a verbis « *Qui pridie* etc. »; *item,* si sacerdotem, vix primo consecrationis verbo prolato defunctum, alius substituat.

Art. 3. De Eucharistiae ministro, seu de Eucharistia conficienda, ministranda, adservanda.

441. Minister alius *consecrationis,* alius *dispensationis;* in *eo* potestas ordinis requiritur, ad validitatem; in *hoc* potestas ordinis et iurisdictionis, ad liceitatem, ut patet, quia valide omnes ministrant.

442. Minister **consecrationis** est *omnis et solus sacerdos,* etsi haereticus, schismaticus, suspensus vel alio impedimento canonico ligatus.

443. Minister **dispensationis,** vi Ordinis, alter est *extraordinarius,* alter *ordinarius. Extraordinarius* est *diaconus,* de Ordinarii loci vel parochi licentia, gravi de causa concedenda, quae in casu necessitatis legitime praesumitur: *ordinarius* est omnis presbyter, cui licebit ministrare tum in Missa (cf. n. **444,** β), tum, de licentia saltem praesumpta rectoris Ecclesiae, extra Missam. Sed *ad parochum* pertinet, *in suo territorio, viaticum publice* et *privatim* deferre et ministrare, praeterquam Ordinario decumbenti, viris religionis clericalis et iis qui diu noctuque in eorum domo degunt, monialibus; itemque communionem *publice ad infirmos* etiam non paroecianos. Cuivis tamen presbytero licebit, in casu necessitatis aut de licentia saltem praesumpta Ordinarii vel parochi, sive *publice* sive *per modum viatici:* etiam extra necessitatem, de venia saltem praesumpta sacerdotis cui commissa est custodia SS. Sacramenti, *privatim* communionem ad infirmos deferre (CIC. 845-850). Ceterum « Diaconis

permittitur eam dare in necessitate gravi; clericis, si diaconus desit, in periculo mortis; immo et laicis, si desit clericus; maxime his, quibus nec poenitentia, nec E. U. ministrari potuit. Cui autem licet aliis dare, huic et sibi dare licet in eadem conditione rerum constituto. Ideoque licet sacerdoti, si alius sacerdos desit, seipsum communicare etiam sola devotionis causa: hoc idem licet diaconis, quoties sacerdotibus licet: clericis vero in extrema necessitate, si diaconus desit; immo et laicis, si clericus desit » (D'Ann., III, 394). Ratio est, quia praeceptum divinum sumendae Eucharistiae in gravi necessitate spirituali praevalet ecclesiastico, quo laicus tangere et deferre Eucharistiam prohibetur.

Quoad *obligationem,* quae parochum tenet Eucharistiam ministrandi, cf. quae diximus n. 398, D). *Sacerdos quilibet* ex caritate tenetur *sub gravi,* parocho deficiente, Eucharistiam morituris ministrare, sed sine gravi incommodo.

444. Eucharistia administrari: 1° **Debet** pollice et indice, et qui chiragra laborat nequit eam aliis digitis ministrare nivi in gravi necessitate. *Sub levi* illicitum est particulas grandiores singulis vel plures simul eidem dare, devotionis causa; contra, licet, si necessitas adsit, particulas dividere et, his omnino deficientibus, tum in casu viatici infirmo deferendi, tum ne aliqui fideles aegre communione priventur, ex maiore hostia partem detrahere vel plures maiores hostias consecrare, quae postea dividantur. — Grave est eam ministrare sine superpelliceo aut alba; sed sine stola, sine lumine, omissis precibus antecedentibus vel subsequentibus, leve est. — Quid agendum sit si sacrae species cadant vel evomantur, v. in Missali (in rubr. de defectibus in Missa occurr.). 2° **Potest** «) Tam in *azymo* quam *in fermentato,* promiscue, fidelibus cuiusvis ritus, pietatis causa communicantibus, ea lege, ut non modo sacerdotes ritus latini (vel orientales azymis utentes) possint in sua propria

ecclesia ministrare in azymo fidelibus alterius ritus, et vicissim orientales in sua ministrare in fermentato fidelibus ritus latini, sed *illis,* absente sacerdote alterius ritus, liceat ministrare in ecclesia ipsius ritus in fermentato, adhibita tamen forma quae habetur in Rit. Romano, *his* liceat, absente sacerdote ritus latini, ministrare in ecclesia huius ritus in azymo, servata forma ministrandi sui Ritualis. Proprio ritu sumenda est *de consilio* comm. Paschalis, ex obligatione viaticum: quod tamen, urgente necessitate, fas est a quolibet accipere sacerdote, qui ritu suo ministrabit (CIC. can. 851, 866). *β) In Missa,* tum post sacerdotis communionem, tum immediate ante vel post Missam, sed in Sabbato Sancto nonnisi inter Missarum sollemnia vel continuo ac statim ab iis expletis (can. 867, 3°); sed omissa benedictione, quum E. administratur immediate ante vel post Missam defunctorum. *γ) Extra Missam.* Et *a) sanis* ministrare licet in Ecclesia tantum (quo nomine veniunt oratoria publica vel semipublica, et etiam privata in quibus licet Missam celebrare nisi Ordinarius vetuerit in casibus particularibus iusta de causa), quolibet die (excepto d. Parasceves), iis tantum horis quibus celebrare licet, nisi aliud rationabilis causa suadeat (can. 867, 4°). *b) Infirmis ex devotione* sumentibus (1) vel *praeceptum Paschale* impleturis *E. manifeste et honorifice* deferenda est, nisi periculum irreverentiae adsit, et ministranda servatis omnibus, quae superius diximus; sed, si longe absint, permittitur parochus vel sacerdos delegatus ire equo, et, extra civitatem vel oppidum, caput operire si aer inclemens sit. *c)* Si de *morituris* agatur, licet viaticum deferre, etiam feria VI Parasceves, noctu, sine luminibus et sacris vesti-

(1) Attamen *his,* ex iusta et rationabili causa, poterit deferri *privatim,* praesertim si plures petant vel unus petat frequenter; servato saltem hoc ritu, ut sacerdos stolam sub propriis vestibus et bursam cum pyxide ibi recondita collo appensam in sinu gerat, et procedat clerico, vel uno saltem fideli, comitante (S. C. de Sacr. 23 Dec. 1912).

bus, imo et currendo, si scandalum absit, et reticitis verbis « accipe viaticum », si ea moerorem allatura sint morienti.

445. **Eucharistia adservari:** α) *debet* (modo adsit qui eius curam habeat et ibi saltem semel in hebdomada celebretur) in qualibet ecclesia cathedrali; in ecclesia principe Abbatiae vel Praelaturae *nullius,* Vicariatus et Praefecturae apostolicae; in quavis ecclesia paroeciali vel quasi paroeciali, et in ecclesia adnexa domui religiosorum exemptorum sive virorum sive mulierum (non tamen intra chorum vel septa monasterii); *potest,* de licentia Ordinarii loci, in ecclesia collegiata et in oratorio principali sive publico sive semipublico tum domus piae aut religiosae (1), tum collegii ecclesiastici quod a clericis saecularibus vel religiosis regatur; in ceteris ecclesiis vel oratoriis *non potest* nisi ex Apostolico privilegio, sed licentiam concedere potest Ordinarius ex iusta causa et per modum actus ecclesiae aut oratorio publico (can. 1265); β) debet *sola* in ciborio seu tabernaculo mundo, bene clauso; in pyxide decenti, benedicta, super corporali posita et albo velo cooperta; lampade coram accensa et nutrita oleo olivarum vel, ubi hoc haberi nequit, etiam oleis vegetalibus de Episcopi licentia (S. R. C. 14 Iul. 1864), et *gravis* aut *fere gravis* neglegentia erit per integrum diem eam exstinctam relinquere (cf. can. 1269-1271). — **E. renovari** *debet frequenter* (et hac in re Ordinarii praescripta serventur), et *sub gravi* non ultra mensem, quum hostiae non recentes consecratae fuerunt; secus, letale admittitur si ad duos menses differatur renovatio: criterium tamen absolutum in hac re statui nequit, quia si Euch. in loco humido adservetur, renovatio saepius, sub gravi, facienda erit (can. 1272).

(1) Cf. Responsum Pont. Consilii CIC. interpretando in *Act. Ap. Sedis* 1 Aug. 1918.

Art. 4. De Eucharistiae subiecto.

446. Subiectum Eucharistiae est quivis homo baptizatus, licet, si indispositus accedit, sacramentaliter quidem recipiat, at vel sine fructu vel sacrilege ; non baptizatus Eucharistiam non reciperet sacramentaliter, sed materialiter tantum.

447. De necessitate Eucharistiae. *Eucharistiae sumptio necessaria est* **non necessitate medii,** *quia ad acquirendam gratiam non ordinatur, ad conservandam etiam alia media suppetunt, sed* **praecepti divini,** *ex verbis Christi : « Nisi manducaveritis etc. », et quidem* **sub gravi, per se,** *saepius in vita (quod* **Ecclesiastico praecepto** *determinatur) et in quovis probabili mortis periculo,* **per accidens,** *quum ad graves tentationes superandas ea omnino opus sit, pro omnibus fidelibus utriusque sexus, ubi primum ad annos discretionis pervenerint, dummodo eam reverenter et cum debitis dispositionibus accipere possint.* Ad singula.

1° *Per se, saepius in vita:* at cum Ecclesia praeceptum divinum sit interpretata et moderata, satisfit tum divino tum ecclesiastico praecepto per communionem Paschalem, de qua satis n. **367.** 2° *Per se, in quovis probabili mortis periculo,* et si quis viaticum sacrilege accepit, non satisfacit et, salva fama, denuo illo muniri debet. Qui paucis ante diebus, imo mane, ex devotione communicavit, *non tenetur*, instante mortis periculo, viaticum suscipere, sed *potest;* et qui in mortis periculo, sive culpabiliter, sive inculpabiliter, non accepit viaticum, non cogitur, periculo transacto, supplere; nec bis communicare qui, post viaticum, in grave peccatum reciderit. 3° *Per accidens*, quum Communione omnino opus sit ad graves tentationes superandas ; licet enim *theorice* alia media suppetant ad vitam christianam in se tuendam fovendamque, certum est *in praxi* difficile posse a peccato se abstinere et christiane vivere eum qui a

Communione se abstineat. 4° *Ubi primum ad annos discretionis pervenerint.* Aetas discretionis tum ad confessionem tum ad S. Communionem ea est, in qua puer incipit ratiocinari, hoc est circa septimum annum, sive supra, sive etiam infra; in mortis periculo, satis est ut puer sciat Corpus Christi a communi cibo discernere, illudque reverenter adorare; extra mortis periculum, cognitio in eo tantum requiritur, qua fidei mysteria necessaria necessitate medii pro suo captu percipiat, et ea devotione, quam ipsius fert aetas, ad SS. Eucharistiam accedat; obligatio praecepti, quae puerum gravat, praecipue recidit in parentes, in confessarium, in institutores et in parochum; iudicium de dispositionibus puerorum ferre debent sacerdos a confessionibus, eorumque parentes aut qui loco parentum sunt: sed parochus debet, pro opportunitate, etiam per examen, de dispositionibus eiusmodi inquirere, itemque curare ut pueri usum rationis assecuti et sufficienter dispositi ad S. Synaxim quamprimum accedant. 5° *Dummodo eam reverenter accipere possint.* Quo ex capite ab Eucharistia arcendi sunt: *a) infantes,* qui nondum aliquem rationis usum et eam mysteriorum cognitionem attigerint, de qua supra; *b) perpetuo amentes; c) surdi-muti a nativitate* et *surdi-muti-caeci* a nativitate, at cf. n. 420; *d)* in genere *semifatui,* at, si aliquam huius sacramenti reverentiam concipere possint, aliquoties tantum iis, extra mortis periculum, E. dari poterit: *e) aegri tussi laborantes* frequentiore et vehementissima, praesertim si haec vomitum pariat; sed, si vomitus periculum absit et tussis non sit nec frequens nec vehementior, communicari poterunt, quia tussis non e stomacho et aesophago, sed e trachia oritur; *f) vomitu laborantes;* sed licebit eos sacra Synaxi reficere nonnullis horis a postremo vomitu transactis, facto antea experimento cum aliquo cibo vel potu, et praebendo iis, post communionem, parum glaciei vel aquae frigidae; *g) amentes;* qui tamen, si ante amentiam vel in lucidis intervallis E. desiderium

et dispositiones debitas patefecerunt, communicari *poterunt*, remota irreverentia, in mortis periculo ; utrum debeant, non satis constat ; *h*) idem, ac de amentibus, tenendum est de iis, qui sunt *sensibus destituti* vel *deliri*, dummodo *isti* ante sensuum amissionem dispositi fuerint, *hi* item, at in lucidis intervallis, facto cum utrisque experimento cum particula non consecrata utrum *decenter* recipere ac deglutire possint. 6° *Dummodo cum debitis dispositionibus accipere possint :* de quibus illico et separatim.

448. De dispositionibus ad conficiendam et sumendam Eucharistiam requisitis. Aliae *quoad animam*, aliae *quoad corpus* requiruntur.

I. **Quoad animam** requiritur **status gratiae** (1) ; si quis enim *certus sit* se *mortale admisisse* quod *nondum* sit confessus, etsi contritus, *confiteri cogitur* (Trid, sess. XIII, c. 7 ; CIC. can. 807, 856) ; quare *in dubio* utrum mortale admiserit vel sit confessus, et quum conficiens vel sumens confessionem praemisit, in qua tamen mortale confiteri est oblitus, lex non tenet. Excipitur casus (cf. eosd. can.), quo *urgeat gravis necessitas celebrandi vel communicandi* et simul *copia confessarii desit.* 1° *Necessitas gravis censetur adesse ; a) pro sacerdote,* quum *ex officio* celebrare tenetur, sc. ut die

(1) Si quaeratur utrum celebrans *scienter* in letali *semel* peccet ; an *bis,* quia indigne consecrat, indigne communicat ; an *ter,* quia indigne consecrat, indigne communicat, *indigne ministrat* sibi ; an *quater,* quia ministrat sibi *indigne ;* sepositis duabus posterioribus sententiis, quia probabilius ministrare in letali letale non est (cf. n. **417**), et ministratio sacramenti indigno non distinguitur in casu a susceptione sacramenti ; vel iis adhaerendum est, qui tenent celebrantem in letali duo letalia committere, quia indigne consecrat et indigne suscipit, vel sententiae Card. D'Annibale (eaque mihi adridet), qui tenet, ex iis omnibus unam actionem coalescere (III, 413, [47]). Et sane si Nostri unum idemque peccatum asserunt adesse in confectione sacrificii et sacramenti, cum sacerdotis communio sit iuxta alios pars essentialis, iuxta reliquos pars integralis sacrificii, difficile intelligitur, cur heic peccatorum distinctio sit quaerenda.

festo (de praecepto vel devotionis) populus sacrum audiat, ut exsequiae vel nuptiae haberi possint, ut viaticum, quum particulae consecratae desunt, moribundo impertiri possit, quum *infamia* vel *populi scandalum* vitari nequit, ut si sacerdos sacris iam vestibus indutus vel sacro inchoato letale admittat vel antea admissum recordetur ; *b*) *pro laico*, quum adest *infamiae periculum* ut ex. gr. si laicus iam ad altare sistens vel in eo, ut a manibus sacerdotis viaticum recipiat, peccatum mortale patret vel recordetur antea patratum. 2° *Confessarii copia deesse censetur : a*) *ab extrinseco*, si confessarius *absit*; et, spectatis circumstantiis distantiae, brevis intervalli, aeris, negotiorum, aetatis, debilitatis virium, vel adiri nequeat vel nonnisi cum gravi difficultate ; si *adsit*, et *nolit* confessionem excipere, vel *non possit*, ex. gr. quia surdus aut carens iurisdictione in reservata vel complex, quum agitur de poenitente confessuro peccata reservata aut complice ; *b*) *ab intrinseco*, *probabiliter* si sacerdos extraordinariam patiatur erubescentiam, quia ex. gr. confessarius est nepos suus, et ipse rem valde probrosam confiteri deberet ; at a lege difficile excusabitur parochus, qui iuveni vicario suo peccatum probrosum manifestare teneretur. — Ipsa Trid. et CIC. lex obligat *sacerdotem* (non laicum communicantem), qui *urgente necessitate non potuit* (non igitur eum qui noluit confiteri vel celebravit sine necessitate) *confiteri ante Missae celebrationem*, ad confitendum *quamprimum*, sc. *saltem intra triduum*, *etiamsi nolit celebrare* nisi post hebdomadam, quin immo ante triduum *si velit denuo* celebrare (cf. can. 807).

II. **Quoad corpus** requiritur duplex dispositio, nempe *ieiunium naturale* et *exterior corporis decentia*. Et 1° **ieiunium naturale** (sub gravi et sine materiae parvitate) servandum a media nocte praecedenti usque ad Communionem. Ad ieiunium naturale frangendum necesse est ut id, *quod sumpsisti : a*) *habeat rationem cibi vel potus ;* omne liquidum, licet non nutriat, habet rationem potus ;

rationem cibi ea tantum habent, quae aliquo modo digeri et in hominis substantiam converti possunt; *b*) *ab extrinseco* sumpseris et deglutiveris; quare ieiunium non frangis, si sanguinem e gengivis manantem, e capite in gulam fluentem, vel reliquias cibi pridie sumpti et inter dentes haerentes deglutiveris; *c*) *ad instar cibi vel potus* sumpseris et deglutiveris: non igitur si *per modum respirationis* (ex. gr. si aspirando nivem cadentem attraxeris) vel *per modum salivae* in minima quantitate (ut si guttae aquae inter lavandum in os incidant) indeliberate traieceris. « Ceterum omnes conveniunt non oportere hic scrupulis abundare » (D'Ann., vol. III, 410, [32]). **Causae a ieiunio naturali excusantes** sunt: A) *Pro sacerdote a*) *integritas sacrificii*, quae quovis praecepto ecclesiastico praestat; ut si sacerdos post consecrationem recordetur se ieiunum non esse; aut, sumptis speciebus, advertat alterutram vel utramque materiam esse ineptam; aut, sumpta ablutione, hostias vel reliquias hostiarum inveniat quae nec in alia Missa consumi possint vel nequeant decenter in ciborio reponi et servari; aut non ieiunus debeat Missam continuare abruptam ex repentino celebrantis morbo post consecrationem unius vel utriusque speciei; *b*) *reverentia Sacramento debita*, ut si immineat vel inciderit ecclesiae incendium vel improborum vastantium incursus; *c*) *viaticum morituro ministrandum*, etsi sacerdos antea iam celebravit, ex sententia iuxta alios certa, quia praeceptum divinum praestat lege ecclesiastica, iuxta alios probabili; *d*) *periculum infamiae* vel *scandali publici;* ut si sacerdos, sacro incepto, recordetur se non esse ieiunum; si populus die festo, cum gravi eius scandalo et offensione, sacro carere debeat. Resp. S. Officii 2 Dec. 1874, solam causam, ne populus, die festo de praecepto, sacro carere debeat, non excusare a lege ieiunii, quia haec praecepto sacrum audiendi praestat, est iustissima, et, nisi fallor, omnino applicanda, quum publice constat sacerdotem non esse ieiunum: at, si id lateat, et scandalum et infamia removeri nequeant,

Nostri tenent sacerdotem celebrare posse. B) *Pro laico a) sano, reverentia Sacramento debita,* ut supra, et *periculum infamiae*, ut ex. gr. si in eo est, iam ad altare sistens, ut particulam sacram recipiat et recordetur se non esse ieiunum ; *b) infirmo*, non modo *susceptio viatici* et repetita Eucharistiae sumptio ad devotionem fovendam, durante eodem mortis periculo, praesertim si infirmus quotidie communicare consueverat, sed *devotionis causa*, ob quam conceditur infirmis, qui iam a mense *decumbant*, absque certa spe ut cito convalescant, vel qui (ex declaratione S. C. C. d. 25 Mart. a. 1907) in lecto decumbere *nequeant* aut ex eo surgere possint per aliquas horas interdiu, at, ex medici iudicio, naturalem ieiunium servare non possint, ut, licet aliquid per modum potus antea sumpserint, communicare valeant semel vel bis in hebdomada, de prudenti confessarii consilio (CIC. can. 858, § 2). C) *Pro utroque, dispensatio Summi Pontificis,* quae hodie aegra valetudine laborantibus haud raro conceditur, ut aliquid per modum potus sumant. — Diximus : **a media nocte** praecedente, ad Communionem usque, ieiunium obligare : ad tempus computandum quod attinet, si nullum horologium habes et nullius publici horologii horas percipere potes, quum nescis utrum post mediam noctem cibum vel potum produxeris, necne, et utrumque est vere probabile, libertas possidet ; si plura habeas vel personare audias horologia dissona, licebit tibi segnius seu ultimum sequi, modo non sit de iis quae plerumque errant ; at si post primum ictum horae duodecimae cibum vel potum sumpseris, debebis a Communione te abstinere. — 2° **Exterior corporis decentia,** de qua nihil in specie dicendum. Huc referri possunt pollutio involuntaria, et copula inter coniuges habita, et menstruatio, vel purgatio post partum in muliere, quae minime a Communione prohibent. Nonnulli e Nostris tenent coniuges, post copulam, levem irreverentiam admittere, si ad sacram Synaxim accedant, modo non excuset eos rationabilis causa ; at quaenam, nisi

fallor, causa rationabilior, quam fructus spiritualis, quem licet a sacra Synaxi sperare?

449. De dispositionibus requisitis ad frequentem et quotidianam Communionem (1). Non requiritur, licet optanda sit, immunitas ab affectu erga venialia, prout antea theologi, ducibus S. Francisco Salesio et S. Alphonso, exigebant; sed unice *mens recta ac pia* (ex decr. S. C. C. « Sacra Tridentina Synodus » 20 Dec. 1905). « Recta autem mens in eo est ut qui ad sacram mensam accedit non usui aut vanitati aut humanis rationibus indulgeat, sed Dei placito satisfacere velit, ei arctius caritate coniungi, ac divino illo pharmaco suis infirmitatibus ac defectibus occurrere » (ex eod. decr.). Ad Communionem frequentem et quotidianam promovendam, concessum est ut qui quotidie vel quasi quotidie communicant lucrari queant omnes indulgentias plenarias (2) occurrentes (ad quas lucrandas confessio requirebatur antea absolute, postea singulis hebdomadis) sine obligatione confitendi singulis hebdomadis (cf. CIC. can. 863, 931 § 3°).

Cap. II. De Eucharistia, qua est Sacrificium.

Art. 1. De efficacia Sacrificii Missae.

450. Supervacaneum putamus hic tradere quae sit notio sacrificii et quomodo in Missa ratio sacrificii adsit; item omittimus plures alias notiones,

(1) Curandum est ut non modo pueri (quod Decr. « Quam singulari » enixe commendat), postquam primum ad S. Synaxim accesserunt, frequenter, imo quotidie communicent, sed omnes fideles, uti primaevis Ecclesiae temporibus, per frequentem et quotidianam Communionem arctius Christo adhaereant et a divina mensa puriores fortioresque redeant, ad vitam sancte componendam Ecclesiamque virtutibus illustrandam. Eo spectat Decr. S. C. C. 20 Dec. 1905.

(2) Exceptis indulgentiis iubilaei tum ordinarii tum extraordinarii vel ad instar iubilaei, pro quibus confessio absolute requiritur.

quae ex th. dogmatica clericis iam cognitae perspectaeque esse debent.

In sacrificio Missae considerari possunt *finis, valor, fructus.*

Finis sacrificii Missae est quadruplex: *latreuticus, eucharisticus, satisfactorius, impetratorius;* idest Missae sacrificium offertur ad Deum adorandum et recognoscendum eius dominium super omnes creatas res, ad gratias ei agendas, ad eum placandum et ad peccatum expiandum, ad beneficia obtinenda. Huic quadruplici fini respondet quadruplex *effectus*, seu *fructus latiore sensu*, quem sacrificium Missae producit respectu Dei et respectu hominum.

Valor, seu vis, quam sacrificium Missae habet ex natura et dignitate sua, producendi certos effectus respectu Dei et in hominibus potest considerari *in actu primo* seu in se, vel *in actu secundo,* sc. quoad efficaciam quam ex voluntate et institutione Christi habet. Valor sacrificii Missae *a) in se* seu *in actu primo* est infinitus sive intensive sive extensive, quia, cum illud sit idem ac sacrificium crucis, nunquam exhauriri potest, sc. vim habet producendi effectus indefinite intensos in numero hominum indefinito; *b) in actu secundo*, relate ad Deum, est infinitus, quia ratione tum offerentis tum rei oblatae plene satisfacit iuri, quod Deo competit, adorationis, gratiarum actionis et expiationis; relate ad homines, qui Missae adsistunt, est extensive infinitus, ita ut, quotcumque intersunt, singuli eosdem fructus percipiant ac si unus interesset; relate ad eos pro quibus offertur vel quibus applicatur est intensive et extensive finitus; quare si sacrificium Missae pro pluribus offertur, fructus inter eos dividitur, et eo minor est quo plures ii sunt. Sententia, quae id tenet, praxi Ecclesiae respondet, quae nedum sollicita fuit et est ut ad eumdem finem obtinendum plura sacra offerantur, sed ut pro *singulis* defunctis sacrum fiat, imo plura sacra celebrentur.

Fructus *strictiore sensu* tripliciter considerari et

dividi possunt: *ratione modi* quo producuntur; *ratione rei,* quae confertur; *ratione personarum,* quibus applicantur. *a*) *Ratione modi,* alii *ex opere operato,* qui sc. profluunt ex ipso sacrificio, independenter a maiore vel minore sanctitate et dispositione offerentis, et *infallibiliter* conferuntur nisi obicem inveniant; alii *ex opere operantis,* sc. qui conferuntur intuitu offerentis. *b*) *Ratione rei,* fructus quadruplex est: alius *meritorius* gratiae et gloriae, et confertur ex opere operantis, sc. intuitu dispositionum sacerdotis offerentis et offerentium secundariorum; alius *impetratorius* bonorum spiritualium et temporalium quae saluti animae expediant, et confertur ex opere operato; alius *satisfactorius,* quo sc., Deo placato, remittuntur tum peccata mortalia et venialia *mediate* (sc. disponitur per gratiam anima ad remissionem obtinendam), tum poena temporalis peccatis iam remissis debita, *immediate* et *mediate,* pro maiore vel minore mensura a Deo constituta et dispositione fidelium: et hic fructus confertur ex opere operato. *c*) *Ratione personarum,* fructus alius *generalis,* cuius participes fiunt omnes fideles vivi ac defuncti, modo obicem non ponant, *praesertim* vero qui Missae intersunt; alius *specialis* seu *medius* seu *ministerialis,* qui obvenit iis, pro quibus sacerdos applicat et qui, Missa non applicata, congeritur in Ecclesiae thesaurum; alius *specialissimus,* proprius seu personalis ipsius sacerdotis offerentis, et qui ex veriore et communiore sententia nequit aliis applicari, etiamsi id fieri velit sine stipendio; opinio vero eorum qui censeant licere pro eo stipendium accipere, damnata est (propos. 8 ab Alex. VII d.).

Art. 2. De celebratione Missae.

451. Videndum hic quo loco, quo tempore, qua sacra supellectili, quibus ritibus Missa sit celebranda.

I. Quo loco. Missa celebranda est: *a*) *Sub gravi*

in ecclesia (orat. publico vel semipublico), saltem benedicta, quae non sit polluta, exsecrata, interdicta. Quomodo ecclesia polluatur, v. n. 183, C); exsecratur, si tota destructa sit aut in profanos usus ab Ordinario loci redacta, vel parietibus maiore ex parte collapsis (can. 1170). In oratorio privato licet celebrare ex Apostolico Indulto; in eodem privato oratorio vel in alio loco decenti [non tamen in cubiculo (1)], etiam de Ordinarii licentia ex iusta et rationabili causa, in aliquo casu extraordinario et per modum actus transeuntis (cf. CIC. can. 822). Ad celebrandum in navi requiritur licentia S. Sedis: ad celebrandum sub dio, ex gravi causa, licentia Ordinarii (2). *b*) *Sub gravi in altari*, sive fixo, sive portatili, non exsecrato (exsecratur autem altare fixum, si sit enormiter fractum vel scissum, aut si mensa altaris a suo stipite submoveatur; exsecratur tum fixum tum portatile, si amoveantur reliquiae, aut sigillum tantum amoveatur vel frangatur); quo in medio (*sub levi*) stet crux cum crucifixo, qui tum a celebrante tum a populo videatur, nisi expositum sit SS. Sacramentum (quo in casu crux ad libitum ponitur vel removetur) vel nisi in altari sit magna Crucifixi imago sive sculpta sive picta; cooperto tribus linteis seu mappis, ex lino vel cannabe, quarum si desint una vel duae, plus minusve *leve* erit celebrare, si nulla adsit, *grave*, nisi in gravi necessitate; — super quo ardeant, dum Missa celebratur, duo candelae ex apum cera; *leve* erit *una tantum* candela uti; *nulla*, *grave* erit, nisi ad viaticum morituro deferendum. Relate vero ad cerae qualitatem, uti, ex rationabili causa, cera decenti, sc. vegetali, quam vocant, leve est vel nec leve; sebacea, grave; lampadibus ex oleo, una vel

(1) *Cubiculum* heic intelligitur locus, ubi cubilia seu lecti sunt.

(2) Non licet celebrare: *a*) in templis haereticorum vel schismaticorum, etsi olim rite consecratis aut benedictis; *b*) in altari alterius ritus, nisi a. proprii ritus desit, at, in hoc casu, proprio ritu et graecorum *antimensiis* semper exceptis (cfr. can. 823).

altera vice, leve. At exstinctis cereis post consecrationem, vel, ceu putant nonnulli, post offertorium, Missa continuari debet, etsi, quum intra horae quadrantem alia lumina haberi possunt, erit exspectandum.

II. **Quo tempore.** Missa celebrari potest: A) **Quotidie,** excepta feria VI Parasceves. At *feria V in Coena Domini a)* unum sacrum sollemne permittitur in omnibus ecclesiis in quibus adservatur SS. Sacramentum et functiones tridui sacri vel iuxta Missale Romanum vel iuxta parvum rituale Ben. XIII peraguntur; *b)* in ecclesiis parochialibus, si fiunt functiones sacri tridui, Missae sollemni, de licentia Episcopi, praemitti potest Missa privata pro infirmis qui sollemni adesse nequeunt; si functiones non fiunt, parochus, de licentia Episcopi, potest Missam privatam celebrare in fidelium commodum; *c)* sive de Episcopi consensu sive ex consuetudine Missa privata celebrari potest in omnibus ecclesiis communitatum, locorum piorum, in quibus SS. Sacramentum adservatur. — *Sabbato Sancto* unica Missa sollemnis permittitur et in solis ecclesiis in quibus tridui sacri functiones locum habent. B) De iure communi (cf. CIC. can. 821) non citius quam *una hora ante auroram,* nec serius quam *una hora post meridiem:* et grave erit hos terminos antevertere vel protrahere. Exceptio in iure communi adest pro festo Nativitatis Domini, in quo licet media nocte (non ante) Missam sollemnem canere. Attamen, *ex iusta causa,* citra dispensationem vel privilegium, licebit plus quam una hora ante auroram vel post meridiem celebrare: nempe, si die feriali, ob peculiarem alicui mysterio vel Sancto devotionem, populus, qui postea agris excolendis vel industriae in opificiis vacare debet, consuevit vel velit sacro adesse; si sacerdos ex itinere arripiendo vel arrepto prohibeatur die festo ne debita hora celebret; in funeribus sollemnibus, in matrimoniis, occasione ordinationis, praedicationis, publicae supplicationis; si Missa sollemnis post meridiem protrahitur, licet ex consuetudine Missam privatam post eam cele-

brare, ne populi pars Missa careat; ad moriturum communicandum, licebit statim post mediam noctem celebrare. Ex privilegio in CIC. can. 821, § 3, confirmato, in omnium communitatum oratoriis, in quibus SS. Sacramentum adservatur, licet in nocte Nativitatis Domini tres Missas privatas vel unam tantum, pro opportunitate, celebrare, quibus praecepto Missam audiendi satisfit, et omnibus pie petentibus S. Synaxim ministrare (1). *Dispensandi* facultas Episcopis et praelatis regularibus in casibus particularibus competit. C) **Semel in die** (ex praecepto ecclesiastico, non ex divino), exceptis diebus Nativitatis Domini et Commemorationis omnium defunctorum, in quibus ter litari potest, et casu necessitatis. *In casu necessitatis*, cui tunc tantum est locus, quum parochus unus duas paroecias regit vel populus unus eiusdemque paroeciae ob angustiam ecclesiae vel ob alias causas *unicae Missae* interesse nequit, Episcopus iure suo facultatem binandi concedere potest; at binationis facultas parocho collata cessat, si alius sacerdos casu, vel vocatus, adsit. Si vero in aliquo loco una paroecia sit, cui - cum parocho - alius tantum sacerdos provideat, vel plures paroeciae sint, quibus singulis singuli tantum parochi adsistant, quum aliquis ex iis repente aegrotat ex. gr. vespere Sabbati, alter e conlegis poterit, ex praesumpto Episcopi consensu, ieiunus binare, rem postea ad Episcopum deferens. *Extra casum necessitatis*, ex. gr. si die feriali - magnae devotionis - populi maior vel magna pars nequeat sacro adesse, Episcopus licentiam binandi dare poterit solum ex Ap. Sedis concessione. Sed, excepto die Nativitatis Domini, in quo pro singulis Missis stipendium accipi potest (2), *binantes*, etsi

(1) Haec concessio non extenditur ad ecclesias religiosorum, quae publico fidelium usui inserviunt, neque ad oratoria in quibus Missae celebrantur apertis ianuis (Congr. S. O. d. 26 Nov. 1908).

(2) Ex Const. Ap. *Incruentum Altaris* (10 Aug. 1915), die Commem. omnium defunctorum sacerdos unam quamlibet ex tribus potest applicare, accepto stipendio: debet vero ex duabus reliquis alteram pro omnibus defunctis, alteram ad

compensationem pro altera Missa accipere queant, *non possunt duplex stipendium* accipere, nisi id a S. Sede ratione paupertatis vel in favorem piae causae concedatur; at possunt et debent applicare bis pro populo, si duas regant paroecias. Possunt item per alteram Missam satisfacere cuilibet obligationi *ex caritate* (ex. gr. ex statutis alicuius sodalitatis, applicare sodali defuncto) vel *ex gratitudine*. D) **Decenti temporis spatio**; et qui citra tertiam horae partem Missam absolverit, difficile a letali excusabitur.

III. **Qua sacra supellectili.** *Quoad vasa sacra,* utendum est calice et patena (ex auro vel argento vel saltem metallo solido ac decenti), in interiore parte inauratis [sine iis celebrare erit letale, nisi *gravissima* causa excuset (S. Alph., VI, 388, 389)], ab Episcopo, sub gravi, consecratis. Velum et bursa ad meram decentiam spectant; ideo iis non uti vel leve vel nullum peccatum est. *Quoad linteamina sacra*, utendum est corporali et palla, ab Episcopo vel alio facultatem habente benedictis (et corporali *sub gravi*), et purificatorio, ex lino vel cannabe confectis; sine corporali celebrare grave, nisi ex gravi causa; sine palla et purificatorio, leve est. *Quoad vestes sacras*, amictu, cingulo, manipulo non uti leve est et, ex iusta causa, ne leve quidem; stola non uti, grave, nisi in gravi necessitate; sine alba vel casula celebrare, grave, nisi ex gravissima causa et remoto scandalo; sine ulla veste sacra litare gravissimum est, et, iuxta plures e Nostris, non licet nec ad mortem vitandam. Quibus non uti leve vel grave est, iisdem uti non benedictis (a fa-

mentem R. P. applicare sine stipendio. Et pro stipendio illius unius Missae standum taxae dioecesanae vel consuetudini: maius stipendium licet accipere si *ultro oblatum*, at non petere, nec aperte, nec subdole. Neque licet celebrare ter eo die, acceptis tribus stipendiis, duarum Missarum pro defunctis et ad mentem R. P. celebratione, per se aut per alios peragenda, ad alium diem dilata: quam prohibitionem urgere Ordinarius potest inflictis suspensione etiam latae sententiae et poena non faciendi sua tria stipendia (S. C. Conc, 15 Oct. 1915).

cultatem habente) leve vel grave erit. Amictus et alba debent esse ex lino vel cannabe confecti, cingulum potest etiam esse laneum vel sericum; vestes ceterae debent esse coloris officio diei respondentis, sed, remoto scandalo, leve est eas ex alio colore adhibere et in magno sacerdotum concursu vel ex alia rationabili causa ne leve quidem (1).

IV. **Quibus ritibus.** 1° Standum est Calendario Ecclesiae, in qua sacrum celebratur (S. R. C. 3 Dec. 1895), at *suo* in oratorio privato proprio. 2° Missa in ecclesia latina celebranda est *a*) iuxta rubricas Missalis Romani; ex iis, quae indicant ritus in celebratione servandos, sunt *praeceptivae* sub gravi vel sub levi, prout gravis vel levis est materia; quae respiciunt ritus extra Missam adhibendos, sunt *directivae*, at non ideo neglegendae nisi qua rationabilis causa excuset; *b*) adhibito Missali Romano, eoque non uti grave erit nisi gravis causa excuset et sacerdos celebraturus sit memoriae paene infallibilis. 3° Minister adhibendus est, isque masculus. Nullum adhibere grave erit, nisi ex necessitate morituri communicandi vel sacri in die festo celebrandi; at Missam cum ministro coeptam licebit prosequi sine ministro, si hic casu vel ex necessitate abeat. In qualibet necessitate muliere ad altare uti non licebit, nec in gravissima, quia tunc nullo uti ministro expediet; at potest mulier e suo loco respondere; *hoc* vero, extra necessitatem, leve erit (cf. can. 813). 4° Quae secreto dicenda sunt elata voce proferre, quae alta voce dicenda submisse recitare, leve regulariter est, nisi magna canonis pars elate dicatur, quia rubrica

(1) Vestes sacras *debet* sacerdos induere super ordinariam suam decentem, quae *ad talos* pertingat (can. 811). — Sacram supellectilem (CIC. can. 1304) benedicere possunt Cardinales et Episcopi omnes; locorum Ordinarii charactere episcopali carentes et parochi pro ecclesiis et oratoriis in territorio suo sitis; rectores ecclesiarum pro suis eccl.; sacerdotes a loci Ordinario delegati intra fines iurisdictionis delegantis et delegationis; superiores religiosi, et religiosi ab iis delegati, pro eccl. et oratoriis tum suis tum monialium sibi subditarum.

praeceptiva notabiliter laeditur, vel nisi consecrationis verba tam submisse dicantur ut celebrans ne seipsum quidem audiat, quia consecratio exponitur nullitatis periculo. 5° In Missae celebratione considerari possunt omissio, additio, variatio, interruptio. *a*) *Omissio* directa et voluntaria in nemine facile supponitur; si indirecte incidat, de ea iudicandum erit tamquam de voluntario in causa. Ceterum omittere partes Missae *variabiles* (gloria, credo, commemorationes, sequentiam, additiones nonnullis festis proprias in canone) leve erit; *invariabiles*, grave esse potest, praesertim in canone. *b*) *Addere* aliquid, grave erit, si id fiat vel in notabili quantitate vel animo novitatem in ritus sacros inducendi; at leve erit addere *gloria, credo* (nisi forte cum deliberatione in Missa de requie) *collectas*, iaculatorias (nec leve si hae tunc interponantur quum preces non dicuntur sed actio fit ex. gr. genu flectitur etc.) [cf. can. 818]. *c*) *Variare*, grave erit, si deformitas non levis inducatur, ut si quis evangelium ante epistolam legat: secus leve. *d*) *Interruptio* Missae alia *essentialis*, alia *accidentalis; essentialis* habetur quum fit post consecrationem unius speciei, vel inter consecrationem utriusque speciei et communionem; *accidentalis*, quum Missae partes, interposita actione extranea, altera ab altera seiunguntur. *Interruptio* Missae *essentialis a*) *licite* fieri potest in duobus casibus; quum sc. imminet ab extrinseco mors celebranti vel sacramento periculum profanationis; *b*) *potest casu accidere*, si sacerdos morte, vel morbo gravi corripiatur, et tunc sacrificium integrari et suppleri debet; et, si sacerdos convalescat post non longam interruptionem, ipse debet, etsi non ieiunus, Missam perficere; secus, quilibet sacerdos ieiunus et, ieiuno absente, non ieiunus, immo et irregularis, et excommunicatus. Obligatio cessat, si sacerdos desit et ultra horam interruptio protrahatur; at D'Ann. putat Missam semper supplendam esse si consecratio utriusque speciei facta iam fuerit, ne vini species vaporet neve in vappam convertatur.

Interruptio Missae *accidentalis licite* fieri potest *a) post evangelium*, ad concionem habendam, ad proclamandum matrimonium, ad excipiendam processionem etc.; *b) ante offertorium*, in adventu principis, peregrinorum, processionis etc. et, si Missam audire debent, licet eam iterum inchoare; *c) ante canonem*, si ex. gr. vitandus supervenerit et abire nolit; *d) canone coepto*, et a fortiori *peracta consecratione*, unice si morituro conferenda sint vel baptismus vel poenitentia vel (infirmo sensibus destituto) extrema unctio; *e) immediate post communionem celebrantis* ad habendum brevem sermonem coram communicantibus; *f) ante et post consecrationem*, quolibet momento, ob morbum brevi transiturum vel necessitatem exonerationis in celebrante. — Missa, si celebrans brevi redeat, resumenda est ab eo loco, in quo fuit interrupta; si post horam, consecratione iam facta, resumenda est a loco, ubi interrupta, et consecratione non facta, ab initio, cum nova materia: quo in casu materia iam oblata sumitur post communionem utriusque speciei.

Art. 3. De applicatione Missae.

§ 1. *Quibus Missa applicari possit.*

452. Sacrificium Missae **applicari potest** omnibus, qui alicuius fructus sunt capaces, nisi relate ad eos Ecclesia vetet. Et 1° **Quoad vivos**, nedum pro catholicis, sed offerri potest *a) pro infidelibus*, tum omnibus, tum singulis, et non modo ad eorum conversionem interpretandam, sed etiam, accepto stipendio ad eorum intentionem, modo desit scandalum et satis constet nihil superstitionis in eorum intentione contineri (S. Off. 12 Iul. 1865); *b) pro haereticis et schismaticis*, ut supra pro infidelibus; limitatio enim per resp. S. Off. d. 19 Apr. 1837 inducta (sc. *unice* ad eorum conversionem impetrandam) iam non conciliatur cum CIC. can. 809; *c) pro principibus aca-*

tholicis regnantibus, etiam sollemniter, vel ad eorum conversionem vel pro eorumdem et regni prosperitate; *d*) *pro excommunicatis,* privatim et remoto scandalo: sed pro vitandis *unice* ad eorum conversionem (cf. can. 2262). 2° **Quoad defunctos**: *a*) non *pro* sanctis, sed in eorum honorem et ad eorum intercessionem obtinendam; non pro parvulis sine baptismo defunctis; non pro damnatis; *b*) *pro animabus in Purgatorio detentis*, licet non constet utrum Missae fructus illi animae applicentur pro qua offertur, et si applicantur, ignoretur qua mensura ei prosint; *c*) privatim et remoto scandalo, at sine speciali oratione liturgica in Missa de requie, pro catechumenis, haereticis et schismaticis, excommunicatis sive toleratis sive vitandis (nam can. 809 non distinguit quoad defunctos, cum contra canon 2262 distinguat quoad vivos) et pro iis qui sepultura ecclesiastica caruerint; etiam accepto stipendio: scandalum vero sacerdos removere poterit, declarando, velle se pro omnibus fidelibus defunctis celebrare cum intentione iuvandi etiam illam animam, si Deo placuerit.

§ 2. *Quomodo Missa applicari debeat.*

453. Missa applicari *debet:* 1° *a sacerdote, saltem ante consecrationem secundae speciei*, sc. vini; quia, facta utraque consecratione, sacrificium est completum, et fructus Missae applicantur *quum* sacrificium *completur;* 2° *certae personae vel certo fini* explicite vel implicite *determinatis*. *a*) Sacerdos debet *determinare*, saltem implicite, personam vel finem: valet igitur non modo applicatio facta *ei,* cui *Deus vel B. Virgo vult me applicare*, sed etiam facta *ad intentionem B. M. V.*, quia sacerdos actualem B. M. V. intentionem facit suam. *b*) Si sacerdos duas diversas intentiones fecerit, prima valet si non debet censeri revocata per posteriorem. Revocata non censetur, si voluerit primam valere etiamsi, immemor prioris, aliam efformaturus esset; revocata censetur, si, memor prioris, aliam efformavit.

Extra hos duos casus, valet praedominans, sc. illa, quam fecisset, si priorem recordatus esset; et, si nulla praedominans censeri potest, valet posterior, quia actualis. In dubio, sufficit ut sacerdos secunda vice applicet pro eo, pro quo nondum applicavit. *c*) Quum stipendia dantur a pluribus ignotis, sufficit ut sacerdos applicet *ad intentionem dantis,* qua implicita intentio continetur applicandi iuxta ordinem, quo stipendia data sunt. *d*) Valida censetur applicatio, quum stipendium offertur ut celebretur Missa pro aliquo defuncto, qui, contra, in vivis est, quia e Missae sacrificio vivus uberiores percipit fructus quam defunctus, et ipsae Purgatorii poenae elui possunt *indirecte. e*) Valida est, sed *illicita,* applicatio pro eo, qui primus stipendium obtulerit (cf. can. 825). *f*) Indulg. *altaris privilegiati* nequit applicari alteri animae ab ea, pro qua Missa applicatur (cf. n. 655).

§ 3. *Quibus e causis oriatur obligatio Missam applicandi.*

454. De obligatione celebrandi vel ex Ordine vel ex officio vel ex obedientia diximus, ubi de officiis presbyterorum et parochorum; *de obligatione Missam applicandi,* quae *beneficiarium* tenet, v. n. **395.** Nunc de obligatione Missam applicandi, quae oritur *ex obedientia, ex promissione, ex accepto stipendio.*

I. **Ex obedientia.** Quum Ecclesia possit praecipere actus mere internos (cf. n. **46**), sequitur tum *Summum Pontificem* tum *Ordinarium iniungere posse* interdum sacerdotibus, non modo Missae celebrationem, ut vidimus, sed *Missae applicationem;* quod tamen raro faciendum est, ne sacerdotibus temporale detrimentum obveniat. At praelati regulares et superiores institutorum religiosorum multiplici titulo Missae applicationem praecipere possunt, nempe *ex iustitia,* quum stipendia ea condicione accipiunt ut Missas per subditos curent applicandas; *vi potestatis dominativae; vi constitutionum.*

II. **Ex promissione.** Si sacerdos serio promiserit se Missam pro aliquo vel ad alicuius intentionem oblaturum et promissio fuerit acceptata, *ex fidelitate* tenetur Missam applicare, at, cum fidelitas non obliget sub gravi, sub levi tenetur, nisi expresse voluerit se obligare sub gravi.

III. **Ex stipendio.** Licitum est pro Missae applicatione exigere et recipere iustum stipendium, non ut pretium sacrificii, quod simonia esset, sed ut medium ad honestam sustentationem; nam qui altari inserviunt de altari vivere debent. Ex stipendio accepto oritur obligatio applicandi *ex iustitia*. Missae, quae ex stipendio oblato celebrari debent, dicuntur *manuales*, etsi gravant alicuius familiae patrimonium quin tamen sint constitutae in aliqua ecclesia; dicuntur *ad instar manualium*, quae sunt ita in aliqua ecclesia constitutae vel alicui beneficio adnexae, ut celebrari possint in qualibet ecclesia vel a quolibet sacerdote, aut, etsi fundatae, *de facto* applicari non possunt in proprio loco aut ab iis sacerdotibus qui ex tabulis fundationis deberent; *fundatae*, quae ex tabulis fundationis in aliqua ecclesia vel a beneficiario celebrari debeant in perpetuum. De his v. n. **395** et in nota (1).

De Missis manualibus vel ad instar manualium.
(CIC. can. 824-844)

A) Pro Missis manualibus *non licet exigere* stipendium ultra taxationem dioecesanam (cui stare debent etiam regulares), at potest plus accipi, si plus offeratur, et plus exigi ratione laboris extraordinarii, ut si quis debeat serius vel cum cantu vel loco dissito celebrare. Regulariter non debet

(1) Missae *fundatae* vel beneficiis adnexae, quibus intra annum satisfactum non fuerit, in fine cuiuslibet anni Ordinario tradi debent ut eas aliis committat celebrandas, eo stipendio pro *fundatis*, quod in fundatione vel iuxta legitimas reductiones sit constitutum; pro Missis beneficio adnexis, eo stipendio quod respondet taxationi dioecesanae loci, ubi beneficium est erectum.

accipi stipendium infra taxationem dioecesanam, ne aliis sacerdotibus damnum oriatur, sed potest, nisi Ordinarius loci vetuerit. *Nec licet* stipendium recipere pro Missa quae alio titulo debetur et applicatur; nec alterum pro sola celebratione, alterum pro applicatione eiusdem Missae, nisi certo constet unum stipendium oblatum esse pro celebratione sine applicatione.

B) Tot Missae celebrandae sunt, quot stipendia oblata fuerunt: *numero* non indicato, tot Missae celebrandae, quot respondeant summae oblatae iuxta taxam dioecesis oblatoris, nisi aliud oblator voluerit aut voluisse legitime praesumi possit; et *graviter* peccat qui *unam Missam* ex stipendio debitam non celebret, non ob quantitatem stipendii (quae non obligaret sub gravi, nisi ab homine valde paupere data), non ob damnum spirituale dantis (de quo constare nequit, quia de eius capacitate relate ad Missae fructus non constat), sed ex voluntate Ecclesiae. Restitutionis onus, deficiente Missarum celebratione, non urget sub gravi, nisi quando ad materiam relative gravem fuerit perventum. *Obligatio celebrandi non cessat* si stipendia iam percepta perierint, licet sine culpa illius cui inest celebrandi onus [cf. C) in fine].

C) Quum ab eo, qui Missae celebrationem petit et stipendium tradit, determinantur *adiuncta* loci, qualitatis, temporis, ea *ex iustitia* servanda sunt. Igitur: *a*) Qui ex stipendio tenetur celebrare *ad altare privilegiatum,* non satisfacit si celebret in alio altari, nisi gaudeat privilegio *personali* altaris; neque potest supplere lucrando indulgentiam plenariam, quia non constat vel eum certo indulgentiam lucraturum esse, vel indulgentiam certo profuturam esse defuncto; nisi id ex errore *in bona fide* egit. *b*) *Qualitas* Missae servanda est, sed *non sub gravi,* discrimen enim inter unam vel alteram Missam ratione sacrificii non adest; quare Missa de requie potest vivo applicari, Missa de Sancto defunctis; Missa de die dici loco votivae; potest applicari, ob stipendium, ad diversam intentionem

Missa in die Commemorationis Omnium Fidelium Defunctorum, Missa pro sponsis pro qua sponsi non contulerint eleemosynam, et Missa exsequialis, si non fuit datum stipendium ut ea applicaretur defuncto, cuius exsequiae fiunt. c) *Si tempus fuit praefixum,* debet servari et, si praefixum fuit ad certum finem obtinendum, ex. gr. ad sanitatem aegro obtinendam, grave admittitur et restitutio urget, quum, dilata celebratione, finis amplius obtineri nequit, ex. gr. si aeger e vivis cesserit. Si vero *tempus non fuit praefixum,* Missae pro urgenti causa oblatae quamprimum tempore utili (cf. supra) celebrandae sunt; in aliis casibus, sunt litandae intra modicum tempus pro maiore vel minore Missarum numero. Si vero oblator *arbitrio* sacerdotis tempus celebrationis *expresse* reliquerit, sacerdos poterit tempore quo sibi magis placuerit eas celebrare, at non ultra annum. Eadem regula valet si cui committantur Missae ab Ordinario celebrandae, sed tempus utile currit a die commissionis ab Ordinario factae, licet hic committat Missas sibi traditas eo quod intra annum non fuerunt celebratae. Sed sacerdoti non licet Missas colligere vel accipere plures, quam intra annum a die susceptae obligationis applicare possit, nisi offerentes maius temporis spatium concedant; et nisi de diversa offerentium voluntate constet, vel agatur de Missis numero paucis, sacerdos tenetur Ordinario suo tradere Missas quibus intra annum a die susceptae obligationis non satisfecerit. At intra annum poterit eas celebrandas committere sacerdotibus sibi notis et omni exceptione maioribus vel testimonio proprii Ordinarii commendatos. Ad idem tenentur laici, et administratores causarum piarum, a fine anni intra quem onera impleri debuissent. Verum qui Ordinario tradiderint, ab omni obligatione liberantur; qui aliis, ut supra, non liberantur nisi post acceptum testimonium acceptatae obligationis et recepti stipendii.

D) Quum sacerdos obligationem celebrandi, ex accepto stipendio, per alium sacerdotem adimplere

vult, debet sub gravi stipendium tradere *ex integro et in sua specie,* nisi excessus (ultra taxam dioecesanam) ei datus fuerit *intuitu personae,* aut oblatoris ipsius voluntate retineatur. In Missis ad instar manualium, nisi obstet mens fundatoris, legitime retinetur excessus supra taxam dioecesanam, si pinguis eleemosyna locum tenet dotis beneficii aut causae piae.

E) Omnis negotiationis et mercaturae species hac e re arceri debet. Quapropter *a*) non licet colligere Missas maioris pretii, et, cum suo lucro, curare celebrandas ubi taxatio minor est. *b*) Non licet bibliopolis vel mercatoribus — etiam sacrorum utensilium et instrumentorum — colligere Missarum stipendia, easque sacerdotibus celebrandas committere, rependendo iis libros vel merces, etiamsi *aa*) agatur de sacerdotibus pauperibus et qui stipendiis Missarum careant, *bb*) nulla imminutio fiat nec in Missarum numero nec in earum stipendio, et iis respondeat pretium venale librorum ac mercium, *cc*) lucrum, quod hauriatur ex mercium et librorum permutatione, in pios usus convertatur. *c*) Non licet sacerdotibus vel clericis acceptas a fidelibus vel a piis locis eleemosynas Missarum tradere bibliopolis aut mercatoribus aut aliis Missarum collectoribus, sive ab iis aliquid titulo compensationis aut praemii accipiant, sive non; neque ab iis recipere libros vel merces pro Missis celebrandis, pretio sive imminuto sive integro. *d*) Non licet tum sacerdotibus tum laicis ex eleemosynis Missarum, quas fideles offerunt celebrioribus sanctuariis, quidquam detrahere ut sanctuarii decori et ornamento consulatur. *e*) Missas, sive manuales, sive ad instar manualium, non licet in quasvis alias res commutare. At licet vicariis, cum parocho conviventibus, pro victu et servitio cedere parocho eleemosynam Missae quotidianae sive lectae sive cantatae, dummodo et quousque non sit excessus in modo et alii abusus non oriantur, in quo Ordinarii erit evigilare. Item, sustinetur consuetudo, vi cuius, ubi parochus victum et ser-

vitium vicariis suppeditat et ad hunc finem impar de Ecclesiae reditibus ei salarium constituitur, vicarii, retento ex pinguioribus Missarum eleemosynis ordinario stipendio, cedunt excessum parocho usque ad honestam compensationem et non ultra modum.

Qui in hisce rebus deliquerint, aut tot Missas non applicaverint quot stipendia acceperint, vel e stipendiis Missarum aliis traditarum aliquid detraxerint exceptis casibus de quibus sub 1. D), ab Ordinario puniri debent pro gravitate culpae, non exclusa pro *clericis* suspensione aut officii et beneficii privatione, pro *laicis* excommunicatione.

F) Non modo Rectores ecclesiarum, administratores piorum locorum (pro suis oneribus), sed etiam omnes sacerdotes, tum saeculares, tum religiosi, debent accurate adnotare receptas Missarum intentiones, et peractam celebrationem.

Tit. IV. De Poenitentiae Sacramento.

Cap. I. **De sacramenti poenitentiae natura.**

455. Poenitentia considerari potest qua virtus et qua sacramentum. Qua *virtus,* definitur « virtus moralis inclinans ad peccati detestationem, quatenus hoc est offensa Dei, et ad efficax propositum illud vitandi et iustitiae divinae satisfaciendi ». Quae virtutem poenitentiae respiciunt tractationem nostram effugiunt, eo quod ad tract. dogmaticam pertinent; hic innuimus tantum, *praeceptum poenitentiae,* quod est ab aliis praeceptis *distinctum* et quo non servato *peccatum impoenitentiae* admittitur, obligare *non modo in mortis periculo,* quo instante, tempus implendo praecepto vix suppetit, sed *in vita,* ita ut peccet qui poenitentiam differat per notabile tempus. S. Alph. censet poenitentiam ultra mensem sine peccato differri non posse; at commu-

nior sententia est, eum poenitentiae praecepto satisfacere, qui praecepto annuae confessionis satisfacit.

456. Poenitentiae sacramentum definitur « Sacramentum N. L. per modum iudicii a Christo Domino institutum ad peccata post baptismum commissa homini contrito et confesso per absolutionem sacerdotalem remittenda ». Sacramentum poenitentiae **necessarium est** ad salutem omnibus post baptismum in letale lapsis: *a) Necessitate medii,* sive *in re,* sive *saltem in voto* tum explicito, tum implicito quod in actu contritionis perfectae continetur; et sane, si ad salutem necessaria est remissio peccati mortalis post baptismum admissi, cum ex voluntate Dei haec nequeat obtineri nisi per implementum praecepti confessionis, sequitur reconciliationem cum Deo fieri non posse nisi per sacramentum *re* perceptum, vel per contritionem perfectam qua votum sacramenti includitur. *b) Necessitate praecepti,* tum *divini* (ex verbis Christi: « Accipite Sp. S.: quorum remiseritis peccata etc. »), tum *ecclesiastici* de annua confessione, lati in Later. IV et in Trid. et CIC. can. 906 confirmati (cf. n. **366**). Praeceptum *divinum* urget *per se* in periculo mortis, ut patet, et quandoque in vita (v. supra n. **455**); *per accidens a)* quum aliud praeceptum urget, cui implendo status gratiae sit necessarius, et simul elici nequit actus contritionis perfectae; *b)* quum Eucharistia suscipienda est; *c)* quum ea premit gravis tentatio, quae aliis mediis superari non possit.

457. Sacramenti partes sunt: *materia remota* seu *circa quam,* peccata post baptismum commissa; *materia proxima,* seu *ex qua,* actus poenitentis, id est contritio, confessio et satisfactionis acceptatio; *forma,* absolutionis verba; *minister,* sacerdos. Ut inferius patebit, in tractatione huius sacramenti enucleanda, alium ordinem sequimur. At quaestio incidit, *quaenam poenitentiae partes sint essentia-*

les, sc. quibus sacramenti essentia consistat. Et *certo essentialem* esse absolutionem, *certo integralem tantum* satisfactionem (quia si *essentialis* est satisfactionis acceptatio, ea virtualiter contritione continetur), conveniunt omnes, nam absolutio valet etiamsi satisfactio non imponatur vel, imposita, a poenitente postea non praestetur; essentiam in absolutione simul et in contritione et confessione (sc. in confessione dolorosa) consistere thomistae tenent et plerique e recentioribus doctoribus; in absolutione tantum, praesupposita confessione dolorosa uti condicione necessaria, scotistae.

458. Materia remota sunt omnia peccata *post* baptismum commissa; quare *verius* non sunt sacramenti materia peccata commissa in ipsa baptismi susceptione. *Materia* remota *necessaria* sunt omnia mortalia post baptismum admissa et nondum *directe,* sc. *vi potestatis clavium,* absoluta. Quare non sunt materia necessaria peccata mortalia, quae dubitetur, dubio tum positivo tum negativo, an fuerint commissa; nec *per se* peccata certo commissa, de quorum gravitate solide dubitetur; nec — relate ad eos qui timoratae sunt conscientiae — peccata obiective gravia, quum serio dubitatur de praestito consensu et de sufficienti advertentia; nec peccata, quae quis positive dubitet utrum confessus fuerit necne; nec peccata, quae quis ut dubia confessus sit et postea certa fuisse agnoverit. *Materia* remota *sufficiens,* sed interdum *libera,* interdum *necessaria ad validitatem,* sunt *sine dubio* *a*) omnia venialia post baptismum admissa, et omnia mortalia aut venialia iam rite clavium potestati subiecta; *b*) *in casu necessitatis,* quum sc. specifica peccatorum confessio est impossibilis et absolutio omnino necessaria, peccata in genere tantum accusata ex. gr. me accuso de omnibus mortalibus vitae ante actae, quae iam confessus sum, — me accuso de omnibus venialibus; *c*) *extra casum necessitatis,* peccata in genere tantum accusata, sive mortalia iam remissa sive venialia;

at plures negant (e quibus inter recentiores Noldin et Lehmkuhl), genericam venialium accusationem licitam esse, eo quod ea specifice facienda est ex praecepto Ecclesiae per legitimam consuetudinem introducto. Materia remota libera *dubie sufficiens* sunt defectus et imperfectiones; quae cum proponatur, materia *certo sufficiens* ex vita praeterita inquirenda est; secus absolutio dari nequit, sed potest dari *sub condicione* in casu necessitatis tantum.

Licet nonnulli auctores contrarium docuerint, nunc certum est ex duobus decretis S. Officii, altero a. 1715 in causa Caroli Wippermann, altero ad Angliae episcopos dato d. 17 Dec. 1868, et ex Resp. S. C. de Prop. Fide data d. 12 Iul. 1869 et promulgata a. 1899, peccata post baptismum dubium commissa esse materiam remotam confessionis, et propterea haereticos ad fidem conversos, ante quam rebaptizentur in dubio de validitate prioris baptismi, ad confessionem teneri, iisque absolutionem sub condicione dandam esse (1).

459. Effectus sacramenti poenitentiae sunt: *a*) *remissio peccatorum* per infusionem gratiae sanctificantis; *b*) *condonatio poenae aeternae*, quia gratia ius confert ad vitam aeternam; quare poena aeterna commutatur in temporalem; *c*) *condonatio partis poenae temporalis*, pro minore vel maiore poenitentis dispositione, et etiam *totius poenae temporalis*, si Deo placuerit, quum dispositiones poenitentis sunt extraordinariae; *d*) *reviviscentia meritorum*.

(1) *Qui negabant, ita:* Aut prior baptismus fuit validus, et peccata, ante conversionem admissa, in prima subsequenti confessione remittentur indirecte; aut fuit invalidus, et per secundum baptismum remittentur. *Affirmantes,* contra, praeter cit. decreta: Aut prior bapt. fuit validus, et peccata, a. c. a., in confessione ante 2um bapt. condicionatum peragenda remittentur directe; aut fuit invalidus, et sacram. poenitentiae, stante absolutione sub condicione, non conficitur; quare ex confessione illa bonum, nec quidquam mali, oritur.

460. In sacramento poenitentiae tum administrando tum suscipiendo **licet sequi opiniones vere probabiles,** *praeter quam in iis quae respiciunt valorem sacramenti* (quod tamen licet in casu necessitatis), et *sigillum sacramentale.*

Cap. II. De iis quae ad poenitentem pertinent.

Art. 1. De contritione.

461. Contritio generice accepta definitur a Conc. Tridentino: « animi dolor et detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero ». Duplex distinguitur: altera *perfecta* quae simpliciter *contritio* dicitur, altera *imperfecta*, quae *attritio* vocatur.

462. Contritio perfecta habetur quum animi dolor et detestatio peccati elicitur ex motivo caritatis, quod constituere possunt tum bonitas Dei infinita, seu complexus omnium perfectionum divinarum, tum singulae divinae perfectiones, ut ex. gr. potentia, sapientia, iustitia, misericordia etc., quae a Dei essentia non distinguuntur. Ea *iustificat* peccatorem *extra sacramentum*, quia si caritas iustificat (ex Io. xiv, 23), item contritio, quae caritatem *saltem virtualiter* continet, at *non sine voto sacramenti*, in Nova Lege, quia ea, post institutionem sacramenti poenitentiae, ex divina voluntate peccata non delet nisi in ordine ad claves Ecclesiae, sc. nonnisi cum obligatione peccata subiiciendi potestati clavium per confessionem sacramentalem. Sed, cum, qui Deum diligit, eius voluntatem diligat eiusque praecepta servare velit, in perfecta contritione votum sacramenti implicite continetur. Contritio perfecta **necessaria est** necessitate tum medii tum praecepti naturalis et positivo-divini quoties praeceptum poenitentiae (n. **455**) vel sacramenti (n. **456**) urget *sub eadem necessitate*, et *simul deest* occasio suscipiendi sacramentum.

463. Attritio habetur quum animi dolor et detestatio peccati elicitur non proprie ex motivo caritatis, sed ex alio motivo inferiore, supernaturali tamen, sc. habente relationem ad Deum; nempe *ex turpitudine peccati*, et *ex metu gehennae* (sc. tum amissionis meritorum et beatitudinis aeternae, tum poenarum inferni aeternarum) et *poenarum* (temporalium, sive huius vitae, sive Purgatorii, et earum quidem, non quatenus e peccato naturaliter sequuntur, sed quatenus a Deo offenso iuste irrogantur). Quare ex. gr. attritionem is non habet, quem poeniteat actionum inhonestarum unice quia ex iis morbum contraxit. — Cum attritione, ita intellecta, nequit profecto non coniungi ille *amor initialis*, qui ad iustificationem ex doctrina Tridentini requiritur. Attritio **iustificat cum sacramento coniuncta**, quia ea dispositio, qua attritus a creaturis recedens ad Deum tendit eique reconciliari cupit, simul proponens se nolle amplius peccare, sufficit ad veniam obtinendam per sacramentalem absolutionem.

464. Contritio generice accepta ad validitatem absolutionis requiritur: *a*) *vera* seu *interna*, sc. ex corde seu voluntate concepta (1), et *formalis*, sc. non virtualiter in alio actu contenta (ex. gr. in actu caritatis perfectae), quia probabiliter constituit partem essentialem sacramenti, ideoque debet explicite adesse; *b*) *supernaturalis*, tum ratione principii, sc. elicita sub influxu gratiae actualis, tum ratione motivi, ut diximus; *c*) *universalis*, quoad *peccata mortalia*, sc. quae se extendat ad omnia letalia, nondum remissa, vel *explicite* (quum poenitens singula recordatur et singula dolet vel unico doloris actu omnia et singula dolet quae recordatur) vel *implicite* (quum poenitens, cogitans se tot letalium reum esse, *ex motivo universali* vel de

(1) Non ex. gr. *existimata*, quam poenitens putet bona fide se habere: haec praeservat a sacrilegio, at non reddit validam absolutionem.

omnibus dolet in confuso vel de uno in particulari licet alia actu non consideret); quoad *venialia* universalis non requiritur, quia unum potest sine alio remitti; *d*) *appretiative summa*, qua sc. poenitens peccatum aestimat ut maximum malum et paratus est omnia mala pati potius quam peccare iterum; non *intensive*, quia contritionis essentia in quolibet gradu verae contritionis adest; *e*) *signo aliquo sensibili manifestata*, quia partem essentialem sacramenti probabiliter constituit, etsi non necessario *vocalis*; sufficit ut ex ipsa devota, humili et dolorosa confessione reveletur; *f*) *elicita ante sacramentalem absolutionem*, licet mane vel pridie vel biduo ante concepta, dummodo moraliter perseveret (ex. gr. in effectibus, ut in voluntate confitendi, in frequentiore oratione, in fuga peccati), et non fuerit per letale retractata; at *non* requiritur ut sit elicita *ex intentione confessionis*, dummodo, quum confessio peragitur, moraliter perduret. Si vero poenitens, statim vel paulo post confessionem, accuset letale, ex oblivione omissum, novus doloris actus non necessario requiritur, at utilius et tutius elici poterit.

465. Propositum est voluntas non peccandi de cetero, et dicitur *formale* seu *explicitum*, si constat actu a contritione distincto, *virtuale* seu *implicitum*, quum ipsa contritione continetur. Ad iustificationem obtinendam, sive extra sacramentum, sive per absolutionem, requiritur ut sit: *a*) *firmum* (*affective* seu quoad *praesentem* voluntatem, licet effective seu in futuro violetur), et firmitatem propositi non destruunt nec dubium, nec timor, nec persuasio futuri relapsus, quia actus hi sunt intellectus, dum, contra, propositum est voluntatis; *b*) *saltem implicitum*, quum contritio, qua propositum continetur, procedit ex motivo universali: *explicitum*, si contritio procedit ex motivo particulari; sed semper emissio expliciti propositi consulenda erit; *c*) *efficax*, sc. quod coniungatur cum voluntate tum id faciendi, cuius onus poenitentem gravat ex. gr.

reparandi damna illata, condonandi iniurias, restituendi etc., tum media necessaria adhibendi ad peccatum praecavendum; *d) universale*, sc. vitandi in posterum omnia letalia; quod ceterum non debet necessario extendi ad singula (nisi agatur de peccatis, quae onus speciale important, ut ex. gr. restituendi, auferendi scandalum vel occasionem proximam etc.), sed potest generice concipi, et est implicitum in contritione concepta ex motivo universali. Quoad *venialia*, sicut non est necessaria contritio universalis, ita nec universale propositum.

Art. 2. De confessione.

466. Confessio definitur accusatio peccatorum facta sacerdoti legitime adprobato cuiusvis ritus (can. 905) in ordine ad absolutionem.

Confessio igitur erit *sacramentalis* quum fuerit facta sacerdoti, qui sit adprobatus vel talis a poenitente existimetur (*non* si fiat *scienter* non sacerdoti vel sacerdoti non adprobato), cum intentione absolutionem recipiendi (*non* solacii vel consilii *unice* petendi), licet sacrilega vel incompleta seu inchoata tantum.

Confessio omnium letalium, quae post baptismum fuerunt admissa, est ex praecepto divino *ad salutem necessaria;* potestas enim Apostolis a Christo Domino collata nequit exerceri sine peccatorum cognitione, quae confessionem exigit.

467. *Confessio* debet esse:

A) **Vera**, i. e. sine mendacio peracta. Ex quo capite *a)* confessio erit *sacrilega et invalida*, si poenitens *scienter* reticeat grave peccatum ab ultima confessione admissum; aut interrogatus neget, dumne habeat iustam tacendi causam (v. inferius); aut ita tegat, ut a confessario vel non intelligatur omnino vel apprehendatur ut veniale; aut reticeat et neget peccata iam accusata et remissa, quum

confessarius de iis interrogat ut de consuetudine vel occasione peccati iudicet; aut accuset peccatum grave non admissum vel plura letalia quam revera fecerit; aut mentiatur in re gravi, quae confessionem non respiciat (ut si quis proximo graviter calumnietur), quia dispositionibus necessariis ad absolutionem validam caret, et *addit* aliud sacrilegium, per se leve, ex parte mendacii, quia iudicium sacramentale non alterat. *b*) Confessio erit *valida*, licet *leviter sacrilega*, si poenitens mentiatur in re non necessaria, vel de qua confessarius sine iusta causa interrogat (ut ex. gr. de peccato letali iam remisso, quum casus consuetudinis vel occasionis detegendae non est), quia iudicium sacramentale non alteratur.

B) **Secreta;** non ex natura sacramenti (quare confessio publica valida est), sed ex institutione Christi et ex usu Ecclesiae (Conc. Later. IV in c. *Omnis utriusque* habet: « *solus* confiteatur »). Nemo igitur *tenetur* confiteri publice seu non secreto; aut ideo *interprete* uti quia confessarius linguam ignorat, quamvis licite possit, interprete ad secretum adstricto; sed qui nolit interprete uti, potest nutus et signa adhibere.

C) **Vocalis,** ex consuetudine vim legis obtinente, nisi gravis causa excuset. Valida sane est confessio per scripturam facta confessario praesenti; et licita erit *a*) in casu maximae verecundiae vel gravis morbi gutturalis; *b*) si confessarius surditate laboret et adsit periculum ne adstantes audiant; *c*) quum poenitens gravem patitur tentationem reticendi letalia aut gravibus angitur scrupulis num integritati suae confessionis bene consulat. Quibus in casibus poenitens esset consulendus ut postea declaret voce, se accusare quae scripsit. Surdi et muti, nisi possint aut velint scripto uti, signis et nutibus confiteri possunt et debent.

D) **Integra,** cum ius, causa ex integro non cognita, rite dici nequeat. *Integritas*, alia *materialis*, quae consistit in accusatione omnium letalium, vel de facto admissorum, vel post diligentem excus-

sionem menti occurrentium; alia *formalis*, consistens in accusatione omnium letalium, quae poenitens, spectatis adiunctis, in actu confessionis moraliter confiteri potest et tenetur. Cum integritas materialis sit quandoque impossibilis, ut videbimus, necessaria est ad validitatem integritas formalis tantum.

Ad integritatem confessionis accusari debent: *a*) *omnia letalia*, nondum *directe* remissa, secundum *speciem infimam* (qui furatus est, debet declarare furtum et materiae gravitatem, nec integre confitetur si dicat se peccasse *contra iustitiam*, vel *graviter* tantum); et si id impossibile sit, secundum *speciem superiorem*, aut denique *genus*; *b*) etiam *actus externus*, ut qui internum integrat; *c*) *effectus* peccati imputabiles in causa, qui ex confessione causae non appareant vel quorum reticentia certo noceat integritati confessionis, quia ex. gr. cum iis censura vel reservatio certo cohaeret vel de iis confessarius interrogat; *d*) *circumstantiae*, quae vel speciem mutant seu addunt, vel aggravant in infinitum (sc. peccatum e levi faciunt grave), non autem simpliciter aggravantes; *hae etiam*, si eas censura vel reservatio afficiat vel de iis confessarius interroget ex iusta causa; *e*) *numerus*; et si accusari nequit numerus determinatus, debet approximativus; si neuter possit, dici debet quoties circiter per diem, hebdomadam, mensem etc. peccatum fuerit admissum. Sed hac in re tum confessarius tum poenitens debent a nimia anxietate cavere.

Ab integritate materiali excusant: 1° Impotentia physica, idest *a*) *infirmitas extrema;* sed moribundi, qui vires recipiant, debent omissa supplere, si valeant; *b*) *defectus loquelae et auditus;* ex quo capite muti tenentur confiteri quomodo possunt; surdos confessarius nequit diu interrogare, si adest periculum revelationis et nimia in interrogando difficultas; *c*) *ignorantia idiomatis*, cum ignarus idiomatis non teneatur interprete uti; *d*) *defectus temporis vel vitae periculum*, ex. gr. ob

imminentem pugnam, ob imminens naufragium etc. 2° **Impotentia moralis,** quum sc. sine gravi damno spirituali aut temporali vel suo, vel proximi, vel confessarii, confessio integra fieri nequit. Ut tamen ob moralem impotentiam peccata licite omitti possint, requiritur, ut confessio sit hic et nunc necessaria et differri nequeat (sc. urgeat vel annua confessio et communio, vel necessitas celebrandi, vel periculum infamiae, vel necessitas se liberandi a statu peccati in quo quis a die vel biduo vel triduo est constitutus), alius confessarius non habeatur et ea tantum peccata omittantur quae nequeunt declarari sine gravi incommodo. Impotentiam moralem constituunt: *a*) *periculum famae ipsius poenitentis*, ex. gr. sacerdotis celebraturi, et indigentis longa confessione, dum populus sacrum exspectat; *infirmi*, qui in eo, ut viaticum sumat, revelet confessario, se iamdudum sacrilege semper confessum fuisse etc.; *b*) *periculum violationis sigilli*, ut quum confessarius nequit integre confiteri, quin peccata in confessione audita manifestet, vel poenitens apud illum confitetur, qui voce nimis elata interroget, loquatur: *c*) *periculum scandali vel lapsus,* quum poenitens ex confessione alicuius peccati timet ne confessarius, cuius fragilitatem novit, ad peccatum inducatur, vel vicissim, confessarius damnum poenitenti fragili obventurum timet ex interrogationibus circa sextum; *d*) *grave damnum spirituale* ex. gr. in scrupulosis; *e*) *grave damnum temporale*, ex. gr. si quis timeat iniustam persecutionem, officii vel sustentationis privationem in hypothesi, ceterum ardua, quod confessarius notitia usurus sit; *f*) *periculum famae alienae*, sc. manifestatio complicis, de qua tamen v. n. **502. At peccata licite ex his causis omissa** *debent clavibus in alia confessione subiici.*

Ab integritate materiali confessionis non excusat *difficultas* ipsi confessioni *intrinseca*, quantumvis gravis, ut ex. gr. verecundia vel repugnantia notabilis, gravis, maxima; periculum amissionis propriae famae apud confessarium.

Cum integritate confessionis conciliantur *a) accusatio peccati recentis tamquam olim commissi* et oblivione inculpabili omissi, sive fiat in confessione ordinaria, sive in confessione generali, licet levis mendacii sacrilegi culpa admittatur, excepto tamen casu quo confessarium edoceri necesse sit de circumstantia temporis ut prudenter iudicet de relapsibus vel de neglecto restitutionis onere; *b)* iuxta nonnullos, *accusatio peccati recentis tamquam* iam in altera confessione *declarati et remissi*, quia, aiunt, peccatum quoad substantiam non mutatur; at plures *verius* id non tenent, quia, dicunt, confessarius decipitur in re gravi ad confessionem spectante, et iudicium alteratur, cum confessarius aestimet materiam non necessariam quae necessaria est; *c) confessio praecedens* letalium facta alteri confessario, et *subsequens venialium* facta confessario ordinario; *d) simulatio vocis*, ne poenitens a confessario agnoscatur, dummodo per eam confessarius non impediatur ab iis interrogationibus faciendis, quae relapsus, occasiones, consuetudinem, obligationem reparandi damni etc. respiciant.

468. Confessio generalis est *a) necessaria*, quum de praecedentium confessionum invaliditate certo constat; *b) suadenda*, si graviter de earumdem validitate dubitetur; *c) permittenda*, si existimetur poenitentem ab ea *notabilem* fructum percipere posse; *d) vetanda* in reliquis casibus, ut inutilis, et interdum noxia, ex. gr. quum agitur de scrupulosis.

Cap. III. De iis quae ad ministrum pertinent.

Art. 1. De iurisdictione.

469. *Ad valide absolvendum* tria in ministro requiruntur: *a) iure divino* potestas *ordinis*, quia ex voluntate Christi soli sacerdotes sacr. poenitentiae administrant; *b) iure naturali* potestas *iurisdictio-*

nis, quia, cum remissio peccatorum fiat in hoc sacramento per sententiam iudicialem, haec ferri nequit in non subditos; *c*) *iure ecclesiastico* (ex Conc. Trid. sess. XXIII, c. 15 de Ref.) *approbatio Ordinarii*, sc. iudicium authenticum superioris ecclesiastici de idoneitate sacerdotis ad audiendas confessiones; ea tamen datur semper una cum iurisdictione.

§ 1. *De iurisdictione in genere.*

(CIC. can. 872-875, 877-882)

470. Iurisdictio hic intelligitur potestas remittendi vel retinendi peccata subditis in sacramento poenitentiae. Iurisdictio: *a*) alia *ordinaria*, quae alicui ex iure competit *vi officii* quod exercet, alia *delegata*, quae confertur legitime ab habente ordinariam; *b*) alia *a iure*, quae vel ex iure scripto vel ex iure consuetudinario alicui competit; alia *ab homine*.

Iurisdictio *ordinaria competit: a*) *Summo Pontifici* pro universa Ecclesia; *b*) *Cardinali Maiori Poenitentiario* item pro universa Ecclesia; *c*) *S. R. E. Cardinalibus*, cuius vi possunt audire ubique terrarum confessiones etiam religiosorum utriusque sexus et absolvere ab omnibus peccatis et censuris etiam reservatis, exceptis tantum censuris tum Apostolicae Sedi specialissimo modo reservatis, tum adnexis revelationi secreti S. Officii; *d*) In sua dioecesi *Episcopis; vicariis generalibus; vicariis capitularibus*, sede vacante; *e*) *Canonicis poenitentiariis* ecclesiae tum *cathedralis* tum *collegiatae*, in foro interno tantum: cuius vi possunt absolvere etiam a peccatis et censuris Episcopo reservatis, in dioecesi extraneos quoque, et dioecesanos etiam extra dioecesim; *f*) *Parochis*, in foro interno tantum, in suos parochianos; *g*) *Superioribus religionis clericalis exemptae* in suos subditos. *Cessat* per *dimissionem officii* vel *amotionem* ab eo, et, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam, per

excommunicationem, per suspensionem ab officio, per interdictum.

Qui habent iurisdictionem ordinariam subditos suos valide absolvunt ubique. Sed *delegare* eam potest *a*) *Ordinarius loci*, in quo confessiones excipiendae sunt, sacerdotibus, tum saecularibus, tum religiosis etiam exemptis (qui ea licite non utuntur sine venia saltem praesumpta Superioris sui, firmo tamen legis praescripto, ex quo quilibet religiosus valide et licite confitetur apud quemvis confessarium ab Ordinario loci adprobatum, etsi a Superiore non designatum), ad audiendas confessiones quorumlibet tum saecularium tum religiosorum ; sed Ordinarius habitualiter eam ne conferat nisi religiosis a Superioribus praesentatis, praesentatos vero sine gravi causa ne repellat, si idoneos repererit ; *b*) *Superior religionis clericalis exemptae*, ad normam constitutionum, sacerdotibus subditis suis, et saecularibus quoque vel alius religionis, ad audiendas confessiones professorum, novitiorum aliorumque qui diu noctuque in domo degunt causa famulatus aut educationis aut hospitii aut infirmae valetudinis. — In religioni laicali exempta Superior proponit confessarium, qui tamen debet obtinere iurisdictionem ab Ordinario loci ubi domus sita est.

Iurisdictio delegata ab homine a) *dari debet* ab Ordinario non poenitentis nec confessarii, sed loci ubi confessiones sunt excipiendae, et quidem *explicite*, seu scripto vel verbis expresse ; *b*) *dari potest* vel *praevio examine* vel *sine examine* (si agitur de sacerdote qui in aliena dioecesi, periculo facto, iurisdictionem obtinuerit, vel cuius doctrina theologica aliunde comperta sit). At Ordinarius potest confessarios adprobatos, etiam regulares, ad examen revocare, sive per generalem dispositionem, quae stato quoque tempore effectum habeat, sive quum prudens de eorum imperitia dubitatio oriatur, et in hoc altero casu parochos quoque et can. poenitentiarios ; *c*) *denegari potest* ab Ordinario, quin teneatur denegationis rationem reddere,

et, si deneget sine iusta causa, *illicite* quidem, sed *valide* agit; *d*) *circumscribi aut limitari potest*, at cavendum ne nimis ea coarctetur sine rationabili causa; *e*) *incipit*, ex quo eius concessio *authentice* (non ex privata notitia) delegato innotescit et ab eo acceptatur (1); modus notificandi *authenticus* ille est qui a superiore eligitur; *f*) *cessat, per revocationem* authentice notificatam; et ea, si Ordinarius sine gravi causa id fecerit, *illicita* quidem est, sed *valida*, salvo recursu in devolutivo ad Apostolicam Sedem (2); non tamen licet Episcopo inconsulta S. Sede, omnibus alicuius religiosae *domus formatae* confessariis una simul iurisdictionem revocare; *per exspirationem temporis praefiniti: morte delegantis* vel *eius amotione ab officio* tunc *unice*, quum delegatio data est pro casu particulari et res sit adhuc integra, sc. confessio nondum coeperit; per *excommunicationem* aut *suspensionem ab officio* vel *a iurisdictione*, post sententiam condemnatoriam vel declaratoriam. — Quae de Ordinario in genere diximus, valent quoque de Superiore religioso quoad suos subditos.

Iurisdictio delegata a iure scripto a) *indirecta* competit Regibus, sc. facultas sibi in confessarium eligendi quemvis sacerdotem adprobatum eumque secum, quocumque eant, ducendi; S. R. E. Cardi-

(1) CIC. nihil in re immutavit, et valet quod, ad ius vetus, D'Ann. (I, 74): « Et si datur absenti, non antea mihi data intelligitur, quam cum id a te *directe* mihi, vel procuratori meo, fuerit renunciatum ». Casui, ob analogiam, applicari posse videtur can 53. Hinc si sacerdos, ex privata notitia concessae iurisdictionis, coeperit confessiones audire, Ecclesia supplet *solum* in errore communi.

(2) Etsi recursus videtur a CIC. can. 880, 2°, concedi tantummodo parochis et canonicis poenitentiariis, puto id valere pro quibusvis confessariis, nam, praesertim in oppidis, revocatio aut suspensio iurisdictionis, quae in se gravis est, gravior fit quia necessario aut fere necessario in vulgus diffunditur cum maximo existimationis confessarii detrimento et cum fidelium scandalo. Et iniustum prorsus esset, non concedi a iure aliquod remedium ad tuendam propriam famam, contra errorem saltem, ne dicam — quod vix credibile est — contra arbitrium iudicantis. — Quod habet Arregui (*Summ. th. mor.* p. 367, nota 3), adprobari nequit.

nalibus, Episcopis, titularibus quoque, ex qua possunt sibi suisque familiaribus eligere sacerdotem confessionibus excipiendis, qui, si iurisdictione careat, eam ipso iure obtinet, quoad peccata omnia, etiam reservata, et quoad censuras, reservatas quoque speciali modo, exceptis reservatis specialissimo modo et adnexis revelationi secreti S. Officii (can. 239, 2° et 349, 1°); *b*) *directa* competit *sacerdotibus omnibus,* relate ad absolutionem a peccato et a quibuslibet censuris (Conc. Trid. sess. XIV, c. 7), *in omnes fideles, in articulo vel periculo mortis constitutos;* periculum vero mortis adesse censetur in morbo periculoso, tempore pestis et belli, ante partum difficilem, arduam operationem chirurgicam, periculosam navigationem; et competit, etiamsi sacerdos adprobatus adsit; et, deficiente alio sacerdote, competit etiam haeretico, schismatico, excommunicato tolerato vel vitando etc.; *directa* quoque competit sacerdotibus iter transmarinum arripientibus quoad navigantes, de quibus v. n. **475.**

Iurisdictio delegata a iure consuetudinario competit *directa cappellanis militum,* qui (nisi ex privilegio iurisdictionem accipiant a Maiore Cappellano) audire possunt confessiones militum, etiam extra dioecesim Episcopi adprobantis, quum ii sunt in castris vel in itinere.

Iurisdictio delegata ex Ecclesiae consensu (quam sc. **Ecclesia** dicitur **supplere**) competit sacerdotibus: *a*) qui *per errorem communem* (*non* privatum, sc. unius vel alterius vel paucorum) putantur habere iurisdictionem *ex titulo* tum *colorato* (ex. gr. parochi simoniace electi), tum simpliciter *existimato* (ex. gr. eius qui, non approbatus, talis existimetur vel eius qui confessarium se fingat vel cuius iurisdictio exspiravit); *b*) *in dubio positivo et probabili sive iuris sive facti,* in quo postremo (ex. gr. cum confessarius dubitat de exspiratione iurisd.) *licite* poen. absolvitur in casu tantum necessitatis (CIC. can. 209).

§ 2. *De iurisdictione in specie.*

I. *De iurisdictione regularium.*

471. Ordinaria iurisdictione gaudent Superiores religiosi exempti pro suis subditis ad normam constitutionum : et eam delegare possunt *ad excipiendas suorum confessiones* non modo suis, sed etiam sacerdotibus e clero saeculari aut alius religionis. Sed regulares et religiosi quilibet exempti Ordinarii loci adprobatione indigent ad audiendas saecularium confessiones. Cuinam regulares confiteri debeant vel possint, n. **406**, *d*) diximus (cf. can. 873, 2° et 874).

II. *De iurisdictione in moniales et religiosas.*

472. Firmo praescripto (CIC. can. 876), ex quo ad audiendas domi confessiones quarumlibet religiosarum vel novitiarum requiritur peculiaris iurisdictio, concedenda ab Ordinario loci in quo domus sita est : 1° Confessarii excipiendis Monialium (votorum sollemnium) et Sororum confessionibus deputandi *possunt* esse tum e clero saeculari, tum, de Superiorum licentia, regulares, dummodo nullam habeant in easdem religiosas in foro externo potestatem ; *debent* morum integritate et prudentia eminere, et quadraginta aetatis annos explevisse, at poterit Ordinarius, iusta de causa et onerata eius conscientia, eos etiam ad id munus eligere qui nondum ea aetate sint, modo tamen memoratis animi laudibus excellant. 2° Unicuique Monialium et Sororum communitati assignari *debent* ab Ordinario, sive ab ipso electi quum religiosae sunt Ap. Sedi vel ei subiectae, sive ab eo facultatibus necessariis donati quum a Praelato regulari, habente in religiosas iurisdictionem, praesentantur : *a*) Confessarius *ordinarius*, unus, vel plures quum plures dari expedit ob magnum religiosarum numerum vel alia iusta de causa ; ordinarius perdu-

rat in munere *triennium,* et nequit eligi neque extraordinarius neque denuo ordinarius in eadem communitate nisi post annum ab expleto munere. Sed Ordinarius loci eum poterit et ad alterum et ad tertium triennium confirmare, si nequeat aliter providere ob idoneorum sacerdotum penuriam, vel etiam quum maior religiosarum pars, earum quoque quae in aliis negotiis ius non habent ferendi suffragium, in eiusdem confessarii confirmationem per secreta suffragia convenit: quo in casu dissentientibus, si id petant, debebit aliter consulere. — *b*) Confessarius *extraordinarius* saltem quater in anno, eique monasterium adeunti omnes religiosae se sistere debent, si non ut confiteantur, saltem ut benedictionem accipiant; extraordinarius vero poterit, cessante munere, eligi immediate ordinarius in eadem communitate. — *c*) Confessarii aliquot [eos *adiectos* (*aggiunti*) recte dixeris], quos religiosae in casibus particularibus arcessere facile possint ut confessionem apud eos peragant. — *d*) Si qua vero religiosa, ad animi sui quietem et maiorem in via Dei progressum, aliquem *specialem* confessarium vel moderatorem spiritualem postulet, erit facile ab Ordinario concedendus, cauto tamen ne abusus irrepant et ut, si irrepserint, eliminentur, salva conscientiae libertate. 3° Si qua religiosa, ad conscientiae quietem, confessarium adeat pro mulieribus approbatum, confessio, in quavis ecclesia, vel oratorio semipublico (*suo* quoque), aut in loco ad audiendas confessiones mulierum *legitime* destinato (Comm. CIC. interpr. d. 24 Nov. 1920) peracta, valida et licita est, nec licet Antistitae id quovis modo prohibere vel de re inquirere, nec religiosae id Antistitae referre tenentur; *item,* tum Moniales tum Sorores, quum gravi morbo detinentur, quamdiu hic perduret, quemvis sacerdotem adprobatum arcessere possunt eique, quoties voluerint, confiteri. 4° Ordinarius loci potest, gravi de causa, confessarios religiosarum ordinarios et extraordinarios amovere, etsi ii regulares sint et agatur de monasterio regularibus subiecto, monito tamen in hoc

casu Superiore regulari; nec amotionis rationem tenetur cuiquam significare, praeterquam Apost. Sedi, si haec requisiverit (cf. CIC. can. 520-527).

473. Sequitur: *a*) legem *triennii* non spectare *per se* nisi ad confessarios ordinarios; *b*) haec omnia non esse extendenda ad puellas quae in monasteriis vel in Sororum communitatibus vivunt.

III. *De iurisdictione in peregrinos, in vagos et in catholicos orientales.*

474. Sublata iamnunc antiquissima quaestione theoretica, ex iure ipso, omnes utriusque cleri sacerdotes ad audiendas confessiones adprobati in aliquo loco, sive ordinaria sive delegata iurisdictione instructi, possunt etiam *vagos* et *peregrinos* ex alia dioecesi vel paroecia, et catholicos cuiusque ritus orientalis sive incolas sive peregrinos et vagos, valide et licite absolvere (CIC. can. 881).

IV. *De iurisdictione in navigantes.*

475. Sacerdotes quilibet maritimum iter arripientes, dummodo vel a proprio Ordinario vel ab Ordinario portus ubi navim conscendunt vel etiam cuiusvis portus interiecti per quem in itinere transeunt, facultatem acceperint confessiones audiendi, *a*) possunt, toto itinere, quorumlibet fidelium secum navigantium confessiones in navi excipere; *b*) quoties vero navis in itinere consistat, confessiones excipere tum eorum qui ad navim quavis de causa accedant, tum eorum qui apud ipsos obiter in terram descendentes confiteri petant, et absolvere etiam a casibus eorum Ordinario reservatis (CIC. can. 883).

§ 3. *De iurisdictionis restrictione*

I. *De reservatione casuum.*
(CIC. can. 893-900, 2246-2247)

A) *De reservatione casuum in genere.*

476. Casus reservatus dicitur peccatum, cuius absolutionem Superior sibi vel suo delegato reservat, dempta ceteris potestate ab eo absolvendi. **Ecclesiam,** tum ratione disciplinari, ex qua expedit ut atrociora crimina superioribus iudicibus dignoscenda reserventur, tum ad puniendos fideles ob graviora peccata eosdemque ab iis deterrendos, **posse** casus **reservare,** constat sive ex doctrina et canone Conc. Tridentini (sess. XV, cap. 7, can. 11), sive ex natura sacramenti, quod per modum iudicii exercetur; qui enim potestatem confert et competentiam statuit, potest eam restringere et circumscribere. **Reservare** vero **possunt** quotquot ordinario iure possunt licentiam concedere audiendi confessiones et ferre censuram, nisi iure prohibeantur: quare *a*) *Summus Pontifex* pro tota Ecclesia; *b*) *Episcopi* in sua dioecesi, re tamen in Synodo dioecesana discussa vel, extra Synodum, auditis Capitulo Cathedrali et aliquot ex prudentioribus ac probatioribus suae dioecesis animarum curatoribus, ut constet de vera reservationis necessitate et utilitate: *Vicarius capitularis,* et *Vicarius generalis sine mandato speciali,* nequeunt casus reservare; *c*) *Superior generalis religionis clericalis exemptae* et *Abbas in monasterio sui iuris* cum suo cuiusque Consilio, firmo praescripto, ex quo plures confessarii deputandi sunt in singulis domibus cum potestate absolvendi a casibus in religione vel monasterio reservatis, et religiosi absolvi possunt a quovis confessario ab Ordinario loci adprobato, etiam a casibus et censuris in religione vel monasterio reservatis.

Summo Pontifici reservatum est, ratione sui, unicum peccatum, sc. falsa denuntiatio sacerdotis innocentis de crimine sollicitationis apud iudicem ecclesiasticum (1). *Ordinarii, Superiores generales religionis clericalis exemptae* et *Abbas in monasterio sui iuris* nequeunt reservare, nisi *peccata: a*) numero *tria* vel ad summum *quatuor ; b*) *atrociora* et *graviora ; c*) *externa,* etsi occulta ; *d*) *specifice determinata ; e*) quae *non* sint Sedi Apostolicae reservata etiam ratione censurae vel, regulariter, *non* habeant adnexam iure censuram etsi nemini reservatam. — Reservatio vigere non debet ultra quam necessarium sit ad publicum aliquod inolitum vitium exstirpandum et collapsam forte christianam disciplinam restaurandam.

Reservatio peccatorum **cessat** : *a*) cum confessionem peragunt tum aegroti qui domo egredi nequeunt, tum sponsi, matrimonii ineundi causa ; *b*) quoties vel legitimus Superior petitam pro aliquo determinato casu absolvendi facultatem denegaverit, vel, prudenti confessarii iudicio, absolvendi facultas a legitimo Superiore peti nequeat sine gravi poenitentis incommodo aut sine periculo violationis sigilli sacramentalis ; *c*) extra territorium reservantis, etiamsi dumtaxat ad absolutionem obtinendam poenitens ex eo discesserit.

Reservatio peccatorum **non incurritur,** nisi peccatum, a poenitente admissum, fuerit : *a*) *mortale* et *perfectum* ratione actus tum interni tum externi, sc. si adsit imperfectio actus vel parvitas materiae ; *b*) *consummatum,* sc. *non simpliciter attentatum,* excepto casu quo expresse reservatum sit peccatum attentatum, ex. gr. abortus procuratus, etiam effectu non secuto (at utrum peccatum attentatum reservari queat, ex supra dictis, viderint sapientiores) ; *c*) *certum,* nam in dubio sive iuris (utrum lex ad aliquem casum se extendat), sive facti (utrum peccatum fuerit revera

(1) Habet tamen adnexam censuram speciali modo R. P reservatam (cf. n. 610, 11°).

admissum, vel sit grave aut consummatum etc.) reservatio non tenet; *d) formale,* sc. peccator debet cognovisse specialem malitiam ob quam peccatum fuit reservatum, ex. gr. si est reservatus incestus in 2° consanguinitatis gradu, oportet ut peccator distinguat malitiam incestus a fornicationis malitia.

Casus reservati possunt esse et *dicuntur* **papales,** quos Summus Pontifex reservat sibi vel Ordinariis reservat, et hi ubique locorum tenent nec morte Pontificis cessant; **episcopales,** quos sibi Episcopus reservat, et tenent in territorio et, resoluto iure Episcopi, cessant (sive auditis sive inauditis iis, de quibus supra, reservaverit), nisi in Synodo dioecesana ii fuerint reservati. *Utrique,* sive papales, sive episcopales, reservari possunt **sine censura** vel **cum censura;** et, quando reservantur *cum censura,* videndum utrum reservetur *directe et primario censura,* an *directe et primario peccatum:* in primo casu, modo agatur de censura impediente sacramentorum receptionem (1), si quis a censura excusatur vel ab eadem fuit absolutus, reservatio peccati penitus cessat; in altero casu, peccatum manet reservatum, etiamsi censuram quis non incurrerit (CIC. can. 2246, § 3).

Ignorantia *reservationis* excusat ab incurrenda reservatione: *a) in casu papali* (cf. supra) *reservato,* sc. in crimine *falsae accusationis de sollicitatione apud iudices ecclesiasticos,* quia reservatio est heic pure poenalis et medicinalis, ut constat ex intentionis declaratione a Bened. XIV facta in ipsa Const. *Sacramentum Poenitentiae; b) in casibus papalibus cum censura reservatis,* dummodo ignoretur censuram adesse; qui enim scit aliquod peccatum excommunicatione papali plecti, licet ignoret eius absolutionem reservatam esse, reservationem incurrit; *c) in casibus episcopalibus cum*

(1) Censurae impedientes sacramentorum receptionem sunt excommunicatio et interdictum personale; non impedientes, suspensio et interdictum locale.

censura reservatis, modo censura, ut supra, ignoretur, nisi aliud Episcopus expresse declaraverit, quia non videtur hac in re distinguendum inter casus papales et episcopales. — Si **confessarius, ignorans censurae reservationem,** poenitentem a censura ac peccato absolvat, absolutio censurae valet, modo ne sit ab homine aut specialissimo modo Ap. Sedi reservata (can. 2247, § 3).

B) *De absolutione a casibus reservatis episcopalibus.*

477. Quinam absolvere possint. Extra casum necessitatis: *a) Potestate ordinaria* Superior, qui in Episcopi fideles iurisdictionem habeat (ex. gr. Archiepiscopus in casu visitationis vel appellationis); Episcopus reservans; eius Successor, si agatur de casibus in Synodo dioecesana ab Episcopo reservatis; vicarius generalis; vicarius capitularis, sede vacante, in casibus in Synodo reservatis, nam reliqui, iure Episcopi resoluto, cessant. *b) Potestate delegata,* quotquot eam ab Episcopo habent, et, in casibus a iure reservatis Ordinario, quotquot habent a S. Poenitentiaria facultatem absolvendi « a censuris *etiam* Romano Pontifici reservatis ». *Regulares* absolvere possunt a casibus iure reservatis Ordinario, si facultatem habeant absolvendi a casibus papalibus, at non a casibus quos sibi Ordinarius reservavit, nisi ab eo facultatem acceperint (1). *Ipso iure* facultatem habent *canonicus poenitentiarius* tum cathedralis tum collegiatae Ecclesiae; *parochi* vel qui parochorum nomine in iure censentur, toto tempore ad praeceptum paschale adimplendum utili; *missionarii,* quo tempore missiones ad populum haberi contingat. *Simplex confessarius, carens* facultate absolvendi a casibus reservatis episcopalibus, *a*) si *scienter* absolvat, graviter peccat, sed valide absolvit, si cum

(1) Casus a iure Ordinariis reservatos Episcopi vocant *Nobis* reservatos; quos sibi ipsi reservant: *a Nobis* reservatos.

reservatis alia materia sufficiens accusetur; hac enim directe remissa, peccata reservata indirecte remittuntur; et confessarius debet monere poenitentem, ut hic directe absolvatur a potestatem habente in reservata, nisi *expediat* ex rationabili causa eum in bona fide relinquere; *b*) si *ex inadvertentia* absolvat, debet, si fieri potest, facultatem sibi comparare, et curare ut poenitens redeat, directe absolvendus; vel, nisi *expediat* eum in bona fide relinquere, mittere ad alium confessarium, qui possit directe absolvere. — **In casu necessitatis**: *a*) *quoties facultas peti nequit et necessitas urget* (ut si sacerdos *debeat* celebrare, et laicus, qui debet ad communionem Paschalem accedere, adire parochum nequeat; si alias poenitens diu, etiam per diem vel biduum, manere deberet in statu peccati gravis et id aegre ferret; in periculo scandali vel infamiae), reservatio cessat (cf. superius n. **476**, ubi de cessatione reservationis); *b*) *in articulo mortis* quilibet confessarius potest absolvere a quibusvis peccatis et censuris reservatis, etiam praesente confessario qui potestatem habeat in reservata.

478. Quinam absolvi possint. Dioecesani seu subditi, in primis, ut patet. *Peregrini* vero, etiamsi de industria migraverint, possunt absolvi a quolibet simplici confessario a peccatis reservatis *in sua dioecesi*, quae reservata non sint in loco confessionis; a peccatis vero reservatis in loco confessionis nequeunt absolvi nisi a confessario privilegiato (Comm. CIC. interpr. 17 Aug. 1919).

479. Quali confessione tollatur reservatio. Reservatio tollitur: *a*) per confessionem *validam*, in qua reservatum *accusatur*, factam apud confessarium, qui potestate in reservata gaudet; *b*) ex probabili sententia, proinde practice tuta, per confessionem *validam*, in qua reservatum *ex oblivione non accusatur*, factam apud confessarium qui habet in reservata potestatem, quia praesumendum est, confessarium velle poenitentem *indirecte* absolvere a reservatis, cum eum absolvat in quantum ipse

potest, is indiget; at poenitens cogitur quaerere absolutionem directam, ut de ceteris peccatis ex oblivione omissis, a quovis confessario; *c*) etiam *per confessionem invalidam et sacrilegam,* in qua tamen reservatum accusatur, facta apud confessarium facultate praeditum; ipse enim iam de reservato iudicium tulit et poenitentiam congruam imposuit, cui a poenitente, etsi confessio est nulla, satisfaciendum est; *d*) peccati *dubie reservati* per confessionem factam simplici confessario, quia, etiamsi postea constet casum fuisse certum, peccatum directe remittitur, Ecclesia iurisdictionem supplente.

C) *De absolutione a casibus papalibus.*

480. Quinam absolvere possint.

Extra casum necessitatis. *a*) Potestate *ordinaria* Summus Pontifex et Maior Poenitentiarius; S. R. E. Cardinales, exceptis censuris specialissimo modo reservatis et censura adnexa revelationi secreti S. Officii; Episcopi, vicarii generales, vicarii capitulares, sede vacante, qui absolvere possunt ab omnibus casibus occultis, simpliciter reservatis, et in publicis, exceptis casibus ad forum contentiosum deductis et censuris Apost. Sedi reservatis; *b*) potestate *delegata,* et, intra fines delegationis, *quotquot* a S. Poenitentiaria vel ab alio Superiore facultatem subdelegandi habente delegati sunt; *c*) *a censura non reservata,* in foro sacramentali quilibet confessarius, in foro externo qui habet iurisdictionem in reum; *d*) a censura *ab homine,* qui censuram inflixit vel sententiam tulit, eiusve Superior competens vel successor aut delegatus, etsi censuratus a territorio abierit.

In casu necessitatis. *a*) *In casibus urgentioribus* (CIC. can. 2254), in quibus sine poenitentis gravi incommodo absolutio differri nequit (quales sunt *periculum scandali, vel infamiae poenitentis, necessitas celebrandi* pro sacerdote, vel pro laico *satisfaciendi praecepto annuae communionis, diuturna permanentia in peccato,* quum sc. poenitenti gra-

vissimum est in peccato permanere per tempus necessarium petitioni et concessioni facultatis absolvendi), quilibet confessarius absolvere potest *directe ab omnibus* casibus papalibus ; iniuncta tamen obligatione sive denuo absolutionem petendi a confessario habente facultatem absolvendi a casibus papalibus, sive recurrendi intra mensem, epistola mediante, vel per se, vel per confessarium qui eum absolvit, vel per quemlibet alium confessarium, ad Summum Pontificem (ad S. Poenitentiariam) vel ad Episcopum aliumve Superiorem facultate praeditum eorumque mandatis obediendi ; sub poena reincidentiae in eamdem censuram (at non reincidit qui recursum fecit et *sine gravi culpa* non redit ad recipienda mandata ; nec qui mandata recepit et non implet, licet graviter peccet). Sed nihil impedit quominus poenitens, etiam post acceptam, ut supra, absolutionem, facto quoque recursu ad Superiorem, alium adeat confessarium facultate praeditum, ab eoque, repetita confessione saltem delicti cum censura, consequatur absolutionem et mandata accipiat, quin teneatur postea stare aliis mandatis ex parte Superioris supervenientibus. — Quod si in casu aliquo extraordinario recursus ad Superiorem sit moraliter impossibilis, tunc ipsemet confessarius (modo non agatur de censura *specialissimo modo* reservata, de qua paulo infra, n. 484) potest absolutionem concedere sine onere de quo supra, iniunctis tamen de iure iniungendis, et imposita congrua poenitentia et satisfactione pro censura, intra certum tempus a confessario praefinitum praestandis sub poena reincidentiae in censuram. *b*) *In articulo mortis* omnes *sacerdotes* absolvere possunt ab *omnibus* casibus papalibus (praesente etiam adprobato vel facultatem habente absolvendi a casibus papalibus, quia in articulo mortis cessat omnis reservatio), iniuncta infirmis obligatione, si agatur de censuris *ab homine* vel de censuris *specialissimo modo* reservatis, recurrendi, si convaluerint, sive per se, sive per confessarium qui absolvit, sive per

alium confessarium, ad eum qui censuram tulit in primo casu, et in altero ad S. Poenitentiariam vel ad Episcopum aliumve facultate praeditum eorumque mandatis obediendi, aut denuo absolutionem petendi a confessario privilegiato, sub poena reincidentiae. Et hic omnia, quae superius exposuimus, valent.

II. *De absolutione proprii complicis in re turpi.*

(CIC. can. 884)

481. Celebris Constitutio *Sacram. Poenitentiae* Bened. XIV (quam aliae duae eiusd. Pontif. *Apostolici muneris* et *Inter praeteritos* interpretantur) de crimine sollicitationis in confessione, de quo alibi, et de absolutione proprii complicis in re turpi agit. **Complicitas** in casu habetur quum sacerdos, etsi nondum susceperat sacerdotium vel quemlibet ordinem sacrum, commisit quodvis peccatum contra sextum, consummatum vel non consummatum, sed *certum* (non si *dubium* dubio iuris vel dubio facti), *externum, grave* (tum ratione actus interni tum ratione externi), cum persona *sui compote* (secus, ut in dormiente, invita, ebria, amente, non haberetur complicitas *formalis*), sive femina, sive viro, sive pubere, sive impubere; tum si uterque operatus est, tum si alter operatus est et alter consensit et consensum externe (saltem externe non resistendo) manifestavit.

482. *Confessarius, relate ad proprium complicem, privatur iurisdictione quoad peccatum complicitatis, et insuper quoad alia peccata, quae, una cum peccato complicitatis accusentur,* **quamdiu** *peccatum complicitatis accusatur ut materia directae absolutionis.* Igitur: α) Si *sacerdos* complicem absolvat, etiamsi *hic* sit in *bona fide*, illicite et invalide absolvit. β) Si sacerdos *bona fide* absolvit, sive quia *a*) ignorat se carere iurisdictione, sive quia *b*) non animadvertit poenitentem esse suum com-

plicem: *aa*) Alii tenent absolutionem esse *validam,* tum quia iurisdictionis privatio habet rationem poenae et poena ab ignorantibus non incurritur, tum quia iurisdictione privatur sacerdos qui *ausus fuerit* complicem absolvere (i. e. *scienter* absolverit). *bb*) Alii tenent absolutionem esse *invalidam: in primo casu,* i. e. si confessarius ignorat se carere iurisdictione, tum quia hic privatio iurisdictionis non habet *unice* rationem poenae, imo nec *primario,* cum potissimum dirigatur ad tuendam sacramenti dignitatem; tum quia Pontifex primo prohibet, ne quis *audeat* absolvere etc., et ex hoc sequitur grave peccatum admittere confessarium qui *scienter* absolvat, deinde *pure et simpliciter* adimit iurisdictionem confessario; *in altero casu,* quum sc. confessarius novit se iurisdictione carere, at non animadvertit poenitentem esse suum complicem, quia falsa confessarii existimatio nihil mutat. Et haec posterior sententia mihi *longe verior* esse videtur, eique adhaereo; eaque *a fortiori* videtur amplectenda, si confessarius *dubitet* ne poenitens sit suus complex. *γ*) Si peccatum complicitatis nondum directe remissum poenitens *bona fide* reticeat, vel ex oblivione, vel quia putet se debere vel posse alii confessario illud separatim confiteri, vel quia eum ipse sacerdos complex falso persuaserit de necessitate reticendi, *valide* absolvitur a confessario complice ab aliis peccatis, quia in casu peccatum complicitatis, cum non accusetur, non est materia directae absolutionis. *δ*) Si *a*) *simul cum aliis peccatis* vel *b*) *solum,* complicitatis peccatum *iam directe remissum* poenitens sacerdoti complici confiteatur, *in primo casu* omnes tenent sacerdotem complicem *licite et valide* absolvere, quia illud complicitatis peccatum non est materia necessaria; *in altero casu,* alii tenent *invalidam* esse absolutionem, quia confessarius complex ex voluntate Pontificis omni iurisdictione in peccatum complicitatis privatur in perpetuum; alii tenent, et *verius* [D'Annib., III, 324, (36)], *validam* esse, quia, peccato semel *directe* absoluto, reservatio cessat.

483. *Sacerdos licite et valide absolvit proprium complicem: α) In periculo vel articulo mortis, a)* si nullus alius sacerdos, etsi non adprobatus, vocari potest, aut vocari quidem posset, sed non sine gravi scandalo vel infamia sacerdotis complicis; at si periculum scandali vel infamiae revera desit (quia ex. gr. sacerdos complex posset facile alio divertere cum aliquo praetextu) aut sit simpliciter a sacerdote complice fictum, ipse *valide* absolvit, sed *illicite* et censuram, de qua inferius, incurrit; *b)* si alius sacerdos morientis confessionem audire recuset (ex. gr. quia complex est parochus, et tenetur morientibus sacramenta ministrare), vel moribundus alteri confiteri nolit et iure timeatur ne sacrilege confiteatur. *β) In gravissima necessitate* (licet Pontifex de extrema tantum loquatur), ex epikeia, quum ex. gr. complex nequeat *absolute* alio divertere ad quaerendum alium confessarium, et spes non adsit fore ut alius confessarius eo sit adventurus; qui casus tunc tantum dari potest, si quid opinor, quum paroecia, in qua complex moratur, est *longe dissita* ab aliis paroeciis, et urget praeceptum annuae confessionis et communionis, quae sine gravi scandalo aut infamia omitti nequeat.

484. Sacerdos complex, qui, etiam in periculo mortis, *extra casum verae* (*non* confictae) *gravis infamiae vel scandali,* absolvit complicem, incurrit *excommunicationem R. P. specialissimo modo reservatam.* De quo cfr. n. 609, 3°.

Art. 2. De forma, seu de absolutione.

485. Forma sacramenti poenitentiae quaenam sit, ex Rituali Romano videamus: « Cum igitur poenitentem absolvere voluerit, iniuncta ei prius et ab eo acceptata salutari poenitentia, primo dicit: *Misereatur tui omnipotens Deus et, dimissis peccatis tuis, perducat te ad vitam aeternam. Amen.* Deinde, dextera versus poenitentem elevata, dicit: *Indul-*

gentiam, absolutionem et remissionem peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens et misericors Dominus. Amen. Dominus noster Iesus Christus te absolvat, et ego auctoritate ipsius te absolvo ab omni vinculo excommunicationis, suspensionis et interdicti, in quantum possum et tu indiges. Deinde ego te absolvo a peccatis tuis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen. Si poenitens sit laicus, omittitur verbum *suspensionis. Passio Domini nostri Iesu Christi, merita beatae Mariae Virginis, et omnium Sanctorum, quidquid boni feceris, et mali sustinueris, sint tibi in remissionem peccatorum, augmentum gratiae, et praemium vitae aeternae. Amen.* In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus, omitti potest *Misereatur* etc. et satis erit dicere : *Dominus noster Iesus Christus* etc., ut supra usque ad illud : *Passio Domini nostri* etc. Urgente vero aliqua gravi necessitate in periculo mortis, breviter dicere poterit : *Ego te absolvo ab omnibus censuris, et peccatis, in nomine Patris †, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen* ».

486. De ipsa forma. Forma a Rit. Rom. exhibita duplicem absolutionem continet, alteram a censuris, a peccatis alteram. Utramque praecedunt verba : « *Misereatur tui* etc. *Indulgentiam* etc. » ; subsequuntur verba : « *Passio Domini nostri* etc. ». Cum haec ex more Ecclesiae, ut ait Tridentinum, *laudabiliter* adiungantur, ea omittere omni culpa vacat ; at verba « *Passio* etc. » convenientius adiunguntur, quia, ex probabili sententia, per ea, bona opera poenitentis, saltem quoad poenas debitas peccatis in praesenti confessione remissis, elevantur ad meritum satisfactionis sacramentalis, ideoque addere ea decet, saltem dum poenitens recedit (1).

Absolutio a censuris continetur iis verbis : « *D. N.*

(1) Consonat CIC. can. 885 : « Etsi preces, ab Ecclesia formulae absolutoriae adiunctae, ad ipsam absolutionem obtinendam non sint necessariae, nihilominus, nisi iusta de causa, ne omittantur ». Et iusta causa erit ea, de qua Rit. Rom. (v. supra, n. 485).

I. C. te absolvat..... et tu indiges ». Quum *est certum*, poenitentem esse censuris innodatum, tum *a*) omittere absolutionem a censuris, tum *b*) eam postponere absolutioni a peccatis, tum *c*) ambas simul dare, intentione concepta, per unicam formam absolutionis a peccatis, vel per formam « ego te absolvo a censuris et peccatis », etsi absolutio a censuris item et valide habetur, tamen *grave est*, quia ex gravi Ecclesiae praecepto duae absolutiones sunt seorsum dandae, et primo a censuris, deinde a peccatis ; nisi periculum sit in mora, quo in casu brevior forma licite adhibetur et etiam forma tantum absolutionis a peccatis cum intentione absolvendi quoque a censuris. Quum tantum *levis suspicio* adest poenitentem incurrisse censuram, omittere absolutionem a censuris leve est ; si *nulla probabilis suspicio*, nec leve. — Verbum *suspensionis debet* omitti in laici absolutione.

Verbum *deinde*, quod antea in pluribus Rit. Rom. editionibus colore rubro impressum, videbatur ad rubricam pertinere, ad formam contra pertinet et pronuntiari debet *sub levi*.

Absolutio a peccatis, quae est vera forma sacramenti, continetur iis verbis « *Ego te absolvo a peccatis tuis in nomine P. et F. et Sp. S. Amen* ». Omittere ea quae ad substantiam certo vel probabiliter pertinent, vel ea immutare in verba quae non significent remissionem iudicialem, grave est: cetera, leve. Quare omittere verba *ego*, *amen*, invocationem SS. Trinitatis, ut quae non sunt de essentia, leve est: omittere verba *a peccatis tuis* (licet probabiliter non sint essentialia), verbum *te* in forma *absolvo a peccatis tuis* (quia forma haec est tantum probabiliter valida), *grave est*. Immutatio formae, quae validitatem tamen retineat, ut ex. gr. ego remitto tibi peccata tua, letalis est; invalidae fere certo sunt formae *ego condono tibi peccata tua*, *ego mundo te a peccatis tuis*, quia utraque sententiam iudicialem non redolet.

Elevatio manus, a Rituali praescripta, licite omittitur.

487. Quomodo absolutio dari debeat. Absolutio *debet dari a*) *Voce*, ex voluntate et institutione Christi, quae eruitur ex perpetuo Ecclesiae usu; nunquam enim absolutionem nutu, scripto datam, licitam et validam agnovit. *b*) *In moraliter praesentem*, et praesentia moralis habetur, quum poenitens ibi est aut eousque recessit, unde confessarium communi vel altiore voce loquentem audire potest; communiter Nostri tenent poenitentem, qui circiter viginti passus distet, modo impedimentum (ex. gr. murus) non intercedat, valide absolvi. Sed in casu necessitatis poenitens, etiam ultra distans, sub condicione absolvendus erit (1). *c*) *Absolute;* at cum absolutio sub condicione de praeterito vel de praesenti sit certo valida, licita item erit ex iusta causa, de quo v. inferius nn. **490**, III, **491**, II. *d*) *Saltem intra horam* a confessione peracta, quatenus *forma* sacramenti est, etsi, prout est sententia iudicialis, dari posset etiam post hebdomadam; id postulat unitas moralis quae inter materiam et formam intercedere debet.

Art. 3. De officiis confessarii.
(CIC. can. 888)

§ 1. *De officiis confessarii in ipsa confessione.*

488. De officio patris. Confessarius est pater spiritualis poenitentium iisque vitam spiritualem vel restituit vel auget, Christi gerens vicem, qui pro peccatoribus Sanguinis sui pretiosissimi prodigus fuit. Quare caritate aestuet confessarius, sive in poenitentibus benigne excipiendis, praesertim rudibus, patribusfamilias, matribusf. et iis omnibus

(1) S. Poenitentiaria (1 Iul. 1884) ad quaesitum: « *utrum in casu extremae necessitatis dari possit absolutio per telephonium* », respondit: « nihil est respondendum ». Nescio quomodo haec responsio *ita intelligatur*, uti dici possit (Tanquerey et Quevastre, *Brevior Synopsis*, p. 381) hac de re nihil auctoritatem ecclesiasticam decrevisse.

qui implexam conscientiam habent et maiore indigent auxilio, sive in iis ad contritionem peccatorumque detestationem, ad fervorem excitandis. At tamen, ut S. Alph. hortatur, « summe cautus debet esse confessarius in excipiendis confessionibus mulierum... ipse regulariter cum iunioribus sit potius rigidus quam suavis ». Si interrogetur de negotiis temporalibus, regulariter consilia ne proferat, nisi quando cum spiritualibus rebus cohaerent, quo in casu prudentissimus sit oportet.

489. De officio doctoris. Qua doctor, confessarius tenetur: 1° *scire* quae ad sacramentum rite administrandum; 2° *docere* poenitentem quae ad illud hic et nunc rite suscipiendum requiruntur.

Ex 1° capite, confessarius tenetur theologiam moralem ita callere ut in casibus communiter contingentibus valeat iudicare et in difficilioribus saltem dubitare, quin tamen teneatur de singulis peccatis discernere an sint letalia necne, quod saepe difficillimum, interdum impossibile est. Sufficit ut de iis iudicet sine anxietate animi iuxta principia moralia et poenitentis adiuncta, et ut remedia opportuna contra relapsum indicet.

Ex 2° capite, confessarius debet docere poenitentem, si animadvertat eum ignorare, quae scitu necessaria sunt necessitate medii et quae ad dolorem et propositum et ad relapsum cavendum pertinent. Tenetur insuper ex caritate et, si parochus sit, ex officio, docere poenitentem ea quae ad fidem et mores spectant; quare tenetur *semper* **monere** poenitentem qui *ex ignorantia formaliter* peccet, sc. putet illicitum quod licitum vel grave quod leve est; si quis vero *materialiter* peccet, sc. putet licitum quod illicitum, vel leve quod contra grave est, vel *ignoret obligationes* quibus devincitur, tunc *certo* monere *debet* quando peccatum est certo grave, obligationes sunt certae et *simul* spes adest monitionem magis profuturam quam obfuturam esse, quia praeferendum est ut poenitens peccet materialiter quam formaliter. Quare ex. gr. ante petitam

dispensationem coniux non est monendus de invaliditate matrimonii ob occultum impedimentum a confessario detectum.

490. De officio iudicis et ministri. Qua *iudex et minister* confessarius tenetur *causam instruere, de dolore et proposito iudicare, sententiam ferre.*

I. *Causam instruere.* Et A) credendum est poenitenti, tum contra se tum pro se dicenti, etiamsi confessarius didicerit ab aliis peccatum a poenitente reticitum vel negatum, excepto tamen casu, quo confessarius certo evidenterque cognoscat — ex. gr. quia vidit — peccatum poenitentis, et certo ei constet poenitentem non potuisse illud peccatum alteri confiteri. Quo in casu convincere debet poenitentem et, si hic in negatione obfirmetur, inabsolutum dimittere, quia est indispositus. Si confessarius peccatum poenitentis coniecerit e complicis confessione, poterit generaliter interrogare, ne sigillum violetur; at, eo negante, poterit absolvere sive absolute, quia notitia uti non tenetur, sive sub condicione, quia ea *hactenus* uti potest, vel inabsolutum dimittere aliquas preces recitando, ne sigillum violetur. B) Confessarius in interrogando de iis omnibus, quae ad iudicii integritatem conferunt, diligentiam saltem ordinariam adhibeat et difficile dimittat poenitentes, ut diligentius se excutiant, quia plerumque non sunt reversuri. Interroget vero *moderate,* cavendo a nimia anxietate, quae tum confessario tum poenitenti confessionem reddit onerosam; *discrete,* ne ea prosequatur, quae non est verisimile poenitentem admisisse; *caute,* «ne aliquis, et pueri cum primis, male discant quae bene ignorant, maxime in lubricis... ...De his igitur interroget generatim: si poenitens minime intelligat, ad alia caute divertat; si intelligat, sensim ad peculiaria descendat; verum interroget sobrie et paucis, etiam cum *integritatis* detrimento, quia spurcitiae huiusmodi quo magis moventur, eo magis foetent» (1); *op-*

(1) *D'Ann.,* III, 333 et (13).

portune, sc. quaestionibus circa condicionem, statum, aetatem etc., data occasione et in decursu confessionis, propositis, et ita, ut omnis suspicio curiositatis et levitatis evitetur. Quae ad confessionem non pertinent ne inquirat, et in primis nomen ipsius poenitentis aut complicis; et si absolutionem deneget reticenti nomen complicis, gravi non vacat.

II. *De dolore et proposito iudicare.* Sufficiunt indicia probabilia, ex quibus confessario innotescat dolorem non deesse omnino: est tamen confessarii, maiore qua possit patientia et caritate, dolorem poenitentis excitare. Relate ad propositum, poenitenti serio promittenti credendum est; quare generatim non est cogendus satisfacere suis obligationibus ante absolutionem, excepto casu quo promissionibus antea factis non steterit pluries vel frequenter.

III. *Sententiam ferre.* A) *Absolutio* **deneganda** *est* quoties poenitens certo appareat omnino indispositus et recuset implere obligationes graves, postquam confessarius nihil intentatum reliquit ut eum disponeret. B) *Absolutio* **concedenda** *est* **absolute** quoties confessarius probabiliter iudicet nihil deesse ex iis quae ad sacramenti valorem pertinent; quia inter poenitentem et confessarium initur velut quasi-contractus, vi cuius poenitens, omnibus rite positis, ius habet ad absolutionem. C) *Absolutio* **dari debet** *sub condicione* quoties absolute concessa exponeret sacramentum periculo nullitatis et absolute negata exponeret poenitentem periculo gravis damni spiritualis. *Absolutio* **dari potest** *sub condicione* quoties absolute concessa exponeret sacramentum eidem nullitatis periculo, et absolute negata privaret poenitentem aliquo bono spirituali notabili, licet non necessario. Exempla ad utrumque: *a*) quando dubitatur ne poenitens sit plane compos sui vel ne sit vere dispositus: ut quum agitur de pueris, semifatuis, apoplectico morbo correptis; de moribundis, qui sint sensibus destituti, sive ii ante sensuum amissionem desiderium confitendi ostenderint sive non, sive christiane sive parum christiane vixerint;

imo *probabiliter* etiamsi agatur de iis, qui in actu ipso peccati (ex. gr. in duello) sensibus destituti sunt; de sponsis dubie dispositis, matrimonium proxime contracturis; de omnibus poenitentibus dubie dispositis, qui in mortis periculo versentur; *b*) quando adsit materia sacramenti dubie sufficiens; *c*) quando dubitatur prudenter, utrum data fuerit absolutio poenitenti qui in letali versetur. D) *Absolutio* **differri potest** interdum in dubio ne poenitens sit dispositus, sed caute procedendum, ne poenitens recedat et redeundi animum abiiciat; si dubium desit, et poenitens absolutionem petat, ea nec deneganda nec differenda est.

491. De officio medici. Qua medicus, confessarius morbis poenitentium spiritualibus mederi debet. Morbi eiusmodi sunt habitus, relapsus, occasiones: unde *habituati* seu *consuetudinarii, recidivi, occasionarii*. *Habituati* seu *consuetudinarii* sunt (prout eos a recidivis recentiores distinguunt) qui contraxerunt pravam inclinationem seu habitum peccati, quod nunc *primum* accusant et confitentur; contraxisse vero dicuntur qui quinquies in mense (in nonnullis peccatis ex. gr. luxuriae, semel vel bis in mense) in idem peccatum labuntur. *Recidivi* sunt qui, habitum vere contraxerint necne, tamen post plures confessiones, licet admoniti, nullo emendationis studio adhibito, in idem peccatum recidunt. *Occasionarii* sunt, qui versantur in aliqua externa circumstantia, quae vel natura sua, vel ob fragilitatem eorum qui in ea versantur, ad peccatum allicit et inducit. Nostri *occasionem* distinguunt in *proximam*, in qua homines communiter et plerumque peccant, quia ea grave periculum continet, et *remotam*, in qua homines, ob leve periculum, communiter non peccant. Proximam vero subdistinguunt: *a*) In *proximam per se* seu *absolute*, quae talis est pro omnibus, et in *proximam relative* seu *per accidens*, quae sc. talis est solum pro aliquo determinato homine. *b*) In *voluntariam* seu *liberam*, quae sc. facile et cum levi incommodo removeri

potest, et in *necessariam* quae sc. vel physice vel moraliter removeri nequit (*physice necessaria* est ex. gr. illius, qui in navi cum inhonestis sociis iter conficit; concubinarii in articulo mortis constituti relate ad concubinam; *moraliter necessaria,* quum removeri nequit nisi cum magna difficultate vel cum magno detrimento tum spirituali, tum in bonis vitae, fortunae, famae, ex. gr. ancillae, quae domum relinquere difficile posset, vel ratione famae, vel ratione damni, vel quia, quum pulcherrima sit, idem vel gravius periculum in alia domo inveniret; domini, qui, statim post missionem, ancillam sine scandalo eiicere nequeat; filii, qui domum paternam relinquere non possit). *c*) In *continuam* seu *praesentem,* quum occasionem aliquis secum domi habet, et *interruptam* seu *non praesentem,* quam secum non habet, sed facile potest oppetere, ex. gr. cauponam, ludum, amasiam.

Hisce praehabitis, en regulae, ad quas confessarius debet intentus esse, ut rite medici spiritualis munere fungatur:

I. **Habituatus** seu **consuetudinarius** *absolvi potest et debet, licet nulla emendatio antecesserit, dummodo serio proponat, se a prava consuetudine recessurum;* sc. nequit iuste exigi, ut consuetudinarius *ante absolutionem* se pravo habitu exuat.

II. **Recidivis** confessarius *a*) *debet absolutionem denegare* quoties vere indispositi sint; *b*) *potest tuto et debet absolutionem concedere,* quoties prudenter iudicet eos esse sufficienter dispositos; et sufficienter dispositi sunt ii, qui ex fragilitate recidunt, at peccatum detestantur eique ad tempus aliquo modo resistunt; *c*) *potest absolutionem tuto differre,* quum ii, licet satis dispositi, non sunt tamen inviti, et est magis iis profutura dilatio quam absolutio statim data; sed *utilitas,* quae e dilatione speratur obventura esse, debet esse *notabilis,* et *dilatio fieri ad breve tempus,* ex. gr. non ultra quindecim dies; secus, valet eadem regula ac sub *b*); *d*) *debet absolutionem differre,* quoties ii sint dubie dispositi; sed, si *ex dilata absolutione* grave poenitentis

damnum sequeretur, *debet dare absolutionem sub condicione.* Ceterum, ut potissimum remedium, habituatis et recidivis confessarius consulat ut quam frequenter ad poenitentiae et S. Eucharistiae sacramenta accedant.

III. **Occasionariis,** *a*) qui *in occasione proxima voluntaria* seu *libera* sint, confessarius, *debet absolutionem denegare,* quoties nolint occasionem vitare; *potest absolutionem concedere una vel altera vice,* si promittant serio se occasionem derelicturos, sive occasio sit continua, sive interrupta; *debet absolutionem differre, donec occasionem dimiserint,* quum, absoluti, non steterunt promissis; *b*) qui *in occasione proxima necessaria* sint, confessarius *potest absolutionem concedere,* etiam si, in morali necessitate, nolint occasionem removere (in physica enim non possent, quantumvis vellent), *dummodo serio promittant* se apta remedia non peccandi esse adhibituros; et tunc quoque, quum, post plures confessiones, in eadem peccata relabuntur, modo vere promittant se media adhibituros, per quae occasio e proxima fiat remota. At, quum nulla emendationis spes affulget, *debet absolutionem denegare,* nisi occasionem, etiam cum gravissimo incommodo, deserant, ex verbis Christi: « *quod si oculus tuus scandalizat te* etc. »

§ 2. *De officio confessarii post confessionem seu de sigillo sacramentali.*

(CIC. can. 889-891)

492. Sigillum sacramentale definitur religiosa obligatio servandi secretum de iis, quae ex confessione sacramentali cognita sunt et quorum revelatio sacramentum redderet odiosum.

493. De sigilli sacramentalis obligatione. I. Quo ex iure exsurgat. Obligatio sigilli sacramentalis oritur *ex triplici iure: a) naturali;* tum quia pactum velut implicitum inter confessarium et poe-

nitentem intercedit de secreto servando, tum quia alterius fama iniuste laedi non debet: at ex iure naturali non exsurgit obligatio secretum servandi etiam cum gravi damno et vitae discrimine; *b*) *divino,* saltem implicito; Christus enim sacramentum instituens voluit praecipere, ut finem, ita et media; sed certo homines a sacramento absterrerentur, praesertim in gravioribus, si scirent peccata sua palam fieri posse; *c*) *ecclesiastico;* Conc. enim Later. IV canonizavit (cap. *Omnis utriusque*) ius consuetudinarium, statuta duplici poena ferendae sententiae, sc. depositionis ab officio sacerdotali, et detrusionis in arctum monasterium ad perpetuam poenitentiam peragendam. II. **Qualis sit.** Duplex: *a*) *ex religione*, quia bono sacramenti consulit; *b*) *ex iustitia,* tum ratione pacti impliciti, tum ratione damni famae poenitentis obventuri. III. **Quanta sit.** *Gravissima*, ita ut *a*) usum sententiarum probabilium excludat; *b*) parvitatem materiae non admittat; *c*) ab ea non excusent nec periculum propriae confessarii vitae, nec rei publicae interitus, nec damnum gravissimum aut mors tertii. Confessarius potest unice obligare poenitentem, sub poena absolutionis negandae, ut rem manifestet, vel ipsi confessario concedat loquendi facultatem. IV. **Quousque teneat.** Etiam post mortem poenitentis; confessio enim odiosa redderetur et homines ab ea retraherentur, si post eorum mortem peccata possent manifestari et publici iuris fieri. V. **Qua ex confessione oriatur.** Oritur ex *omni* et *sola confessione sacramentali.* Igitur non exsurgit: *a*) ex confessione facta *scienter* laico, vel clerico, vel sacerdoti non habenti iurisdictionem; *b*) ex confessione facta quidem ministro poenitentiae, sed non ad absolutionem vi clavium obtinendam, ut ex. gr. ad eum illudendum, decipiendum, sigillo ex ioco obstringendum, consulendum, aut ad fingendam praecepti Paschalis satisfactionem etc.; at in aliquibus casibus exsurget obligatio secreti naturalis vel commissi, et, si neque hoc adsit, ad cautelam, secretum erit servandum, ne offensio

eorum incidat, qui putent revera confessionem intercessisse. *Confessio erit sacramentalis*, dummodo ad absolutionem obtinendam facta, etiamsi poenitens sit sacrilege confessus vel inabsolutus discesserit. VI. **Quosnam obliget.** Obligat *per se* et *primario* confessarium, *per accidens* et *secundario* omnes, quibus materia sacramentalis confessionis quomodolibet innotuerit. Et 1° obligatur *confessarius*, sive verus, sive fictus at legitimus per errorem existimatus, etiamsi laicus sit, cui poenitens bona fide sit confessus. 2° Obligantur *a*) interpres; *b*) qui audiverit confitentem, licet casu et nolens; *c*) qui sive a confessario, sive ab interprete, sive ab eo, qui casu audiverit, rescivit; *d*) superior, a quo petita est facultas absolvendi a casu reservato, vel cui se sistit absolutus a casu reservato; *e*) doctor seu theologus, quem *confessarius* de poenitentis licentia consuluerit, vel *poenitens* consulat circa confessionem ipsi theologo seu doctori faciendam, quia talis consultatio haberi debet ut confessio inchoata: si vero poenitens consulat theologum de confessione alteri facienda, theologus tenetur tantum ad secretum commissum; *f*) qui legit, sive casu, sive data opera, *confessionem alterius scriptam*, quousque ea considerari potest et debet tamquam medium actualis confessionis (ut ex. gr. litterae ad superiorem directae, reservationis causa), aut tamquam actualis vel perdurans confessio (ut si quis introspiciat chartulam, dum poenitens aut confessarius legit, vel eam legit a confessario in sede confessionali relictam, amissam). In ceteris casibus secretum naturale erit servandum. **Poenitens** erga confessarium tenetur secreto commisso; at confessarium prudentem esse oportet, quia facile poenitentes, praesertim mulierculae et puellae, loquuntur de rebus in confessione auditis. VII. **Quibuscum obliget.** Obligat sigillum sacramentale *a*) cum ipso poenitente extra confessionem, nisi ipse prior de arcanis confessionis cum confessario sermonem commisceat vel confessario dederit *expressam* et *liberam* licentiam; *b*) cum

omnibus, etiam aliunde scientibus, ex. gr. cum complice, cum alio poenitentis confessario. VIII. **Quando cesset.** *Ex licentia,* non *praesumpta*, sed *libera*, sc. ne reverentiali quidem metu extorta, et *expressa* poenitentis, *per se* obligatio cessat, et confessarius loqui poterit, *intra fines* licentiae concessae. Diximus: *per se;* nam quandoque, etiamsi poenitens confessarium ab obligatione solvat et cogere velit ad loquendum, confessarius poterit loqui, necne, prout damnum tertii praecavendum, dignitas sacramenti servanda, prudentia, aliud vel aliud suadeant.

494. **De sigilli sacramentalis materia.** *Materia directa* sigilli sacramentalis *sunt* peccata omnia, etsi levissima vel materialia tantum, etiam notoria et publica: ne confessarius periculum incurrat aut faciendi publica quae minus publica sunt, aut confirmandi quae, licet publica, minus certa videantur. Materia *indirecta* ea omnia, quae ad melius confitenda vel explicanda peccata poenitens addit vel quomodolibet obtrudit, licet impertinentia et ineptissima, quia eorum revelatio odiosum redderet sacramentum. Ad materiam propterea directam pertinent *circumstantiae*, sc. tum finis, aliaque adiuncta cum peccatis connexa (ex. gr. consilium petitum circa modum defectus corrigendi), tum circumstantiae confessionis (ex. gr. satisfactio imposita, absolutio denegata); *obiecta* (sc. id quod occasionem dedit) peccati, etiam post absolutionem declarata; *peccata complicis*, licet non necessario declarata (ut si quis confiteatur: furatus sum simul cum patre meo). *Materia accidentalis* sunt peccata admissa in actu confessionis, eaque omnia quae confessarius ex confessione intelligit vel animadvertit; et eatenus dicuntur materia accidentalis seu per accidens, quatenus involvunt revelationis periculum. Ex. gr. impatientiae, contumeliae in confessarium prolatae per se non essent sigilli materia, si postea non accusantur; sed sub sigillo cadunt, in quantum eorum revelatio in gravamen

poenitentis cedit et praebet occasionem suspicandi, confessarium noluisse poenitentem absolvere vel acrius increpasse. Revelationes et Sp. S. charismata, si fuerint manifestata ad peccatum explicandum (ex. gr. ingratitudinem erga divina beneficia), cadunt sub sigillo; secus sub secreto naturali, et tantum post mortem poenitentis revelari possunt ad aliorum aedificationem, vel ad beatificationem obtinendam. *Defectus*, si sint proditi vel quasi peccata vel quasi occasiones peccati, sunt sigilli materia; si non sunt ex iis, vel sunt defectus *corporis* ex. gr. surditas, caecitas, vel *status* ex. gr. paupertas, illegitimitas, vel *animi* ex. gr. hebetudo, nonnulli tenent eos adhuc sigillo contineri, si lateant; alii, contra, tantum obnoxios esse secreto commisso.

Materia sigilli *non sunt* *a*) peccata, quae confessarius aliunde novit, quaeque ceterum publica sunt; *b*) ea, quae sunt cum confessione ita connexa, ut sine iis confessio nulla consistere possit, ex. gr. ipsum confessionis factum, cum et publicum per se et bonum sit: vel si dicas Titium confessum rite esse teque ei satisfactionem imposuisse et absolutionem dedisse; *c*) venialia in genere et nullis munita adiunctis, quia revelatio odiosa nequit esse, ut si dicas Titium venialia esse confessum (non si dicas, eum *multa et graviora venialia* accusasse).

Ex Instructione S. Off. d. 9. Iunii 1915 sacerdotes districte vetantur, ne quid unquam ad confessionis sacramentalis materiam pertinens, sub quavis forma et quovis praetextu, ne obiter quidem, nec directe nec indirecte (excepto casu necessariae consultationis ad traditas a doctoribus regulas proponendae) in suis privatis sermonibus vel in concionibus, occasione praesertim missionum et exercitiorum spiritualium, attingere audeant: secus, -monendi; si recidivi, ab Ordinario vel a Superiore religioso poenis coercendi, et in casibus gravioribus ad Congr. S. Officii quamprimum deferendi.

495. De sigilli sacramentalis violatione. Sigillum violatur vel *directe* vel *indirecte*. *Directe violatur*, quum expresse revelatur aliquid ex sola confessione cognitum. *Indirecte violatur*, aliquid dicendo vel non dicendo, faciendo vel non faciendo, unde oriatur tum cognitio aut suspicio de peccato vel alia re ex sola confessione cognita, tum gravamen poenitenti vel tertio ex. gr. complici. Et *a*) *dicendo*, ex. gr. si confessarius surdastro tam elata voce dicat, ut a circumstantibus audiatur: « revertere » ; *b*) *non dicendo*, ex. gr. si confessarius, dum poenitens ab aliis laudatur ut innocens, sententiam rogetur, et taceat; *c*) *faciendo*, ex. gr. surgendo in confessionali, ceteris videntibus, ut legat tabellam casuum reservatorum; *d*) *non faciendo*, ex. gr. si confessarius, vix confessione audita unius poenitentis tantum, ab ecclesia egrediatur, quum nullus alius adest sacerdos qui Eucharistiam administret. **In violatione indirecta datur parvitas materiae**, quia periculum cognoscendi res in confessione accusatas vel reddendi odiosum sacramentum potest esse etiam minimum.

Uti notitia rerum in confessione auditarum tunc tantum licebit, quum *a*) non adest periculum revelationis; *b*) non oritur gravamen poenitenti neque sacramentum redditur odiosum; *c*) quum nequit alicui ingeri suspicio violati sigilli, et propterea deest scandali periculum. Abundantem casuisticam in amplioribus tractatibus studiosus inveniet.

Superiores tamen *religiosorum* pro tempore exsistentes, et confessarii qui postea superiores fuerint renuntiati, nullo modo uti possunt ad exteriorem gubernationem scientia quam ex auditis confessionibus habuerint. — Ad tuendam vero libertatem et sigilli sacr. observationem praescribitur, magistrum novitiorum eiusque socium, itemque superiorem seminarii vel collegii non posse audire confessiones alumnorum suorum secum commorantium nisi ii ex gravi et urgenti causa in casibus particularibus id sponte petant.

Confessarius, qui *a*) *directe* sigillum sacramentale violare praesumpserit, incurrit in excommunicationem *specialissimo modo* Sedi Apostolicae reservatam ; *b*) *indirecte* tantum, poterit suspendi a celebratione Missae et ab audiendis sacramentalibus confessionibus vel etiam pro delicti gravitate inhabilis ad ipsas excipiendas declarari, privari omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva, inhabilis ad haec omnia declarari et in casibus gravioribus degradationi quoque subiici. — **Interpres** *aliique omnes* ad quos notitia confessionis quoquo modo pervenerit, poterunt plecti salutari poena, non exclusa excommunicatione.

Cap. IV. Communia confessariorum et poenitentium.

Art. 1. De satisfactione.

(CIC. can. 887)

496. Satisfactio sacramentalis est opus, ad peccata tum cavenda tum eluenda, a confessario impositum, a poenitente praestandum. *Duplex* igitur *finis* satisfactionis sacramentalis, sc. *medicinalis* et *vindicativus;* hic potior est. Item *duplex* satisfactionis *effectus:* alter *ex opere operato*, sc. remissio maior vel minor poenae temporalis peccatis debitae ; alter *ex opere operantis*, qui inest omnibus bonis operibus. At effectum satisfactio non producit, nisi in statu gratiae peracta fuerit.

497. Confessarius tenetur satisfactionem imponere (et ante absolutionem regulariter, quia ita melius ordo iudicii servatur) *salutarem* et *convenientem.* Qua satisfactio est *medicinalis*, debet imponere *salutarem*, sc. aptam morbis spiritualibus medendis et peccatis accusatis contrariam. Qua est *vindicativa*, debet imponere *convenientem* quantitati, qualitati peccatorum et poenitentium condi-

cioni: quare, *pro letalibus gravem*, nisi poenitens extraordinario modo contritus videatur aut aliud suadeant vel poenitentis adiuncta, nempe aetas, valetudo, sexus, condicio etc., vel timor ne poenitens abstineat a satisfactione implenda et a confessione avertatur (quibus in casibus etiam opus aliunde debitum imponere potest); *pro venialibus vel letalibus iam remissis, levem.* Gravis ea satisfactio censetur, quae respondet operi ab Ecclesia praecepto sub gravi, vel praecipiendo sub gravi, si praeciperet: ex. gr. Missam audire, ieiunare, recitare rosarium, sive integrum, sive quinque decadum. At confessarius cavere debet ab iniungendis satisfactionibus sive perpetuis sive diuturnis, et ab iis quae aut poenitentem ludibrio exponant, aut sint nimis a condicione poenitentis alienae (ut ex. gr. ieiunium pro opificibus vel agrorum cultoribus), aut naturae repugnent, aut confessionem periculo revelationis obiiciant etc.

Si confessarius satisfactionem *ante absolutionem* non imponit, omni culpa vacat, iuxta nonnullos; leve admittit (nisi fuerit oblitus), iuxta alios. Si *omnino* et *scienter* non imponit, peccat graviter si gravem, leviter si levem imponere debuisset. Si pro gravibus nimis levem imponat sine iusta causa, leviter peccat; si ex iusta causa, nec leviter. Si pro gravissimis levissimas imponat, gravi non vacat.

498. Poenitens tenetur: A) *Acceptare* satisfactionem, quia satisfactio in voto seu acceptatio satisfactionis ad sacramenti integritatem pertinet, vel ut pars essentialis vel saltem ut dispositio necessaria. Si nolit gravem pro gravibus acceptare et velit tamen aeque absolvi, graviter peccat, nisi eam bona fide graviorem putet; at si satisfactio sit revera irrationabilis, licet poenitenti ex his duabus agendi rationibus, quam malit, sequi: aut inabsoluto recedere et alium confessarium quaerere, aut satisfactionem acceptare, ut absolvatur, et postea non implere vel implere pro parte, quia confessarius non habet ius imponendi irrationabilem et non

convenientem satisfactionem. B) *Implere* satisfactionem, et quidem : *a*) *Sub gravi*, gravem pro letalibus impositam. *Sub levi*, levem pro letalibus impositam (quia materia levis non est capax gravis obligationis), et levem vel gravem pro venialibus vel letalibus iam remissis iniunctam. *b*) *Sub levi, tempore* a confessario *praefixo*, si illud determinavit ; si confessarius non determinavit, quamprimum commode poterit. Dilatio, quantacumque est, satisfactionis levis, gravi semper vacabit ; dilatio satisfactionis gravis constituere potest grave peccatum non tantum *per se*, quantum quia periculum continet aut oblivionis aut impotentiae aut notabilis mutationis vel omissionis substantiae operis iniuncti ; communiter Nostri gravem dicunt dilationem sex mensium. *c*) *Cum* circumstantiis satisfactioni adnexis a confessario ; utrum grave sit an leve eas omittere, pensandum est ex confessarii intentione aut ex maiore vel minore imminutione in carnis afflictatione, sed difficile grave in hac re admittetur. *d*) *Implere*, sed non necessario ut oneri satisfaciat, *in statu gratiae ;* si vero oblitus fuerit, quum facile praesumi potest confessarium meminisse satisfactionis iniunctae, eum adire, si commode potest. *e*) Implere *per se ipsum*, nisi aliud confessarius statuerit (ex prop. 15 ab Alex. VII damn.).

499. Commutare satisfactionem *a*) *poenitens* ipse *nunquam potest*, nec in melius. *b*) *Potest idem confessarius*, qui eam imposuit, quamdiu commutatio cum antecedenti iudicio sacramentali moraliter cohaeret. S. Alph. tenet commutationem fieri non posse nisi ante quam poenitens discedat; De Lugo tenet eam fieri posse etiam post longum tempus, quia iudicium intelligitur incompletum et quasi suspensum donec sententia exsecutioni mandata non fuerit ; in dubio, commutatio esset facienda in alia confessione. At regulariter confessarius, qui eam imposuit, commutare potest etiam extra confessionem, licet nec confusam memoriam habeat,

satisfactionem novam dimetiens ex priore. c) *Potest alius confessarius,* sed in foro sacramenti tantum, post summariam confessionis repetitionem.

Art. 2. De supplendis confessionum defectibus.

500. A poenitente. Aut confessio fuit valida, aut invalida, aut dubie valida. Si confessio fuit *valida*, defectus potuit contingere circa integritatem tantum. Si gravia, *citra culpam*, omisit, vel in numero notabiliter erravit, *illa* confiteri certo tenetur; *hunc* supplere cogitur, nisi tamen in priore confessione per additam sufficientem circumstantiarum expositionem (ut si dixerit: biennio in concubinatu vixi) aequivalenter numerum significaverit. Si sacerdoti surdastro confessus est, debet denuo confiteri ea, quae certo scit confessarium vel non audivisse, vel non intellexisse iuxta eorum gravitatem; si ignorat quae confessarius non audivit vel non intellexit, omnia confiteri debet sed citra incommodum. Si confessio fuit *invalida,* quia aliquid de essentia sacramenti defuit *sine poenitentis dolo,* ea esset *per se* repetenda, sed poenitens petest in bona fide relinqui. *Confessio sacrilega* erit repetenda, sed non repetenda est confessio intermedia, si forte valida fuit quia ex. gr. in ea confessione de peccato antea reticito nec cogitavit. Si confessio fuit *dubie valida*, eam poenitens repetere non cogitur, *nisi forte* in periculo mortis, ex quadam quasi necessitate medii.

501. A confessario. Confessarius potuit committere defectus circa valorem sacramenti, vel circa eius integritatem, vel circa obligationes poenitentis. I. *Circa valorem sacramenti* defectus contingere potuit, quia confessarius aut non absolvit, aut invalide absolvit ex carentia iurisdictionis vel ex formae substantiali corruptione, aut absolvit poenitentem indispositum. Damnum illatum per defectum circa valorem sacramenti reparandum est

ex iustitia quia ex quasi-contractu cum poenitente confessarius tenetur validam absolutionem conferre; et cum gravi incommodo, si defectus ex gravi culpa confessarii accidit: citra grave incommodum, si citra culpam gravem confessarii accidit, *nisi quoties* poenitens versetur in periculo damnationis aeternae. Si damnum reparari non potest salvo sigillo sacramentali, confessarius licentiam loquendi petere debet. II. *Circa integritatem sacramenti* defectus contingere potuit *positive*, quum sc. confessarius poenitentem in errorem induxit, aut verbis aut agendi ratione, ex. gr. ita, ut poenitens intellexerit leve esse quod grave est aut grave quod leve, vel necessarium non esse singula letalia vel letale in suo numero accusare; aut *negative*, quum sc. confessarius de specie et numero peccatorum non interrogavit vel satisfactionem non imposuit. Si defectus culpabiliter vel inculpabiliter *positive* contigit, confessarius tenetur defectum reparare etiam extra confessionem, petita prius loquendi licentia, modo sine gravi damno vel scandalo possit, quia grave damnum vel scandalum excusat poenitentem a servanda integritate, confessarium ab ea procuranda; si defectus culpabiliter vel inculpabiliter *negative* contigit, reparari debet intra confessionem, citra grave incommodum. *In praxi* confessarius, in utroque casu, non tenebitur nisi de culpa dolere; quia defectus positivus vel negativus, sine monitione, reparabitur in posteriore confessione, quam poenitens apud eumdem vel alium confessarium instaurabit; at monitio fieri facile nequit sine poenitentis gravamine et sine detrimento honoris et famae confessarii. III. *Circa obligationes poenitentis* error contingere potuit: A) *In damnum spirituale poenitentis*, ut si eum confessarius de occasione removenda non monuit; quo in casu confessarius tenetur ex iustitia reparare, et quidem cum gravi incommodo si cum gravi culpa, citra grave incommodum si cum levi culpa vel inculpabiliter monitionem omisit. B) *In damnum temporale poenitentis vel tertii*, ut quum

indebite poenitentem obligavit ad restituendum, aut falso ei persuasit, ius ad restitutionem ei non competere ; — quum, contra ius, poenitentem a restitutione tertio facienda liberavit vel omisit eum monere de restitutione tertio alicui facienda. In utroque casu, sc. damni temporalis poenitentis vel tertii, Nostri haec statuunt : *a*) Si confessarius *negative* se habuit (ex. gr. omisit sive culpabiliter sive inculpabiliter monitionem de restitutione tertio facienda), caritatem laesit, minime vero iustitiam, quia confessarius non cogitur ex iustitia in tribunali poenitentiae praecavere damnum tertii sed unice procurare bonum spirituale poenitentis ; quare debebit unice poenitentem monere, at sine gravi incommodo, cum caritas non obliget cum gravi incommodo nisi in extrema necessitate. *b*) Si, contra, confessarius *positive* se habuit (ut quum falso persuasit poenitenti aut restitutionem ei non deberi, aut eum teneri vel non teneri ad restituendum), cum ipse fuerit causa damni iniusta et efficax, debebit ex iustitia monere poenitentem, et quidem *aa*) cum gravi incommodo, si culpabiliter poenitentem in errorem induxit ; quod si non moneat, vel ex monitione antea omissa damnum iam obvenerit et factum sit irreparabile, ad restitutionem tenebitur ; *bb*) citra grave incommodum, si inculpabiliter poenitentem in errorem induxit ; at si, quum commode primum potest, monitionem denuo omittat cum gravi sua culpa, ad restituendum obligabitur.

Art. 3. De complicis manifestatione.

(CIC. can. 888, 2°)

502. Poenitens: *a*) Tenetur *ex iustitia* quaerere, sine gravi incommodo, alium confessarium, cui complex sit ignotus, ut integre confiteri possit et simul famae complicis parcere, etsi debeat differre confessionem. *b*) Licite nequit accusare peccatum, quod non est materia necessaria confessionis, si

illud accusare non potest sine complicis manifestatione ; grave vero est nominare complicem in accusatione peccatorum, quae sufficienter accusari queunt sine complicis manifestatione. *c*) Si alius confessarius, cui complex sit ignotus, sine incommodo nequeat inveniri et confessio commode differri non possit, quia urget periculum mortis vel praeceptum annuae confessionis, aut poenitenti grave est manere, etsi ad diem tantum, in statu peccati vel communione privari vel alium confessarium adire, in tres Nostri sententias abeunt ; alii affirmant poenitentem ad integritatem teneri et ad confitendum peccatum, ex cuius revelatione complex manifestetur et apud confessarium diffametur, quia praeceptum integritatis videtur esse causa tam iusta et tam gravis ut permitti possit complicis diffamatio, eo vel magis quia haec gravis haberi non potest, cum fiat apud unum et sigillo sacramentali adstrictum ; alii tenent peccatum vel reticendum esse vel reticeri posse ; alii demum, poenitentem debere accusare peccatum in sua specie superiore vel in suo genere, aut omittere circumstantias, ex quibus complex manifestaretur, ex. gr. accusare, loco incestus, fornicationem, violationem castitatis. Postrema haec sententia inutilis videtur et incongruens ; nam propositum non assequitur, quia per accusationem minus specificam confessarius impellitur ad interrogationes faciendas ut speciem infimam poenitens declaret, et praeterea hic teneretur bis peccatum confiteri : primo, magis generice ; secundo, apud alium confessarium, in sua specie et cum suis circumstantiis. Igitur, hac seposita, priori sententiae vel alteri adhaerendum, et quia altera non caret probabilitate, nec confessarius potest obligare poenitentem, nec poenitens, ad integritatem servandam, tenetur accusare peccatum cum complicis manifestatione.

503. Confessarius : *a*) Potest libere et licite interrogare poenitentem circa ea quae necessaric

vestiganda sunt, ex. gr. circa circumstantias speciem mutantes vel occasionem peccati, etiamsi ex poenitentis responsis sibi complex innotescat (inquisitio *materialis* complicis). *b*) *Sub gravi* prohibetur ex Constit. *Supremo*, *Ubi primum*, *Ad eradicandum* Ben. XIV (non quia sine iusta causa inducit poenitentem ad detrahendum, sed quia reddit odiosum sacramentum) tum ne instituat *formalem inquisitionem* complicis, sc. directam ad cognoscendum complicem, tum ne expresse nomen complicis petat, sive ex curiositate, sive ad rectum finem (ex. gr. complicis corrigendi). *c*) Qui non modo inquirit nomen complicis formaliter, sed comminatur denegationem absolutionis poenitenti qui reticere velit, *gravius* peccat. *d*) At si bonum commune postulat ut complex denuntietur, confessarius potest et debet poenitentem cogere, etiam comminando absolutionis denegationem vel eam denegando, ut denuntiet superiori complicem; et si poenitens potius confessario quam superiori velit complicem denuntiare, confessarius manifestationem licite excipiet. Sed in hoc casu, ut dignitati sacramenti consulatur, denuntiatio erit potius facienda et excipienda extra confessionem.

Art. 4. De obligationibus quae confessario et poenitenti enascuntur e sollicitatione.

(CIC. can. 904, 2363, 2368)

504. Quid sit et quando intercedat sollicitatio. **Sollicitatio** est et habetur quando (ex Const. *Sacramentum poenitentiae* Ben. XIV) *confessarii « aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, cum simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis,*

sive signis, sive nutibus, sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint ».

Rem per singulas partes explanemus.

1° *Confessarii* nomine veniunt « *omnes et singuli sacerdotes* (*etsi ad valide absolvendum iurisdictione carent*) *tam saeculares, quam regulares, quomodolibet exempti... cuiuscumque dignitatis et praeeminentiae, aut quovis privilegio et indulto muniti* ». Igitur *a*) poenitens qui confessarium sollicitaverit, non est denuntiandus; *b*) cum sermo sit de *sacerdotibus*, non constat utrum *episcopi* sollicitantes sint denuntiandi; et, vi Const. Benedictinae, non deberent denuntiari *laici* vel *clerici* (nondum sacerdotes), qui se finxerint confessarios et in confessione sollicitaverint, at debent, quia suspecti de haeresi, ex posteriore edicto S. Off.; *c*) denuntiari debent sacerdotes, quamvis iurisdictione carentes, sive, a poenitente sollicitati, consensum tantum manifestaverint exterius (non si negative se habuerint), dilata in aliud tempus turpis consilii exsecutione (S. Off. 20 Febr. a. 1867); sive ipsi poenitentem, non advertentem actu malitiam peccati, sollicitaverint; sive, incepta vix sollicitatione, destiterint, aut eos sollicitationis factae statim poenituerit; sive iam emendati sint aut peregre profecti; sive reatus iamdudum fuerit patratus, et omnino et semper occultus manserit (1).

2° « *Quaecumque illa persona sit* », sive masculus, sive femina.

(1) Si sacerdos, post sollicitationem, ex qua *complicitas* orta sit (cf. n. **481**), poenitentem absolverit, quia complicem absolvit, incurrit poenas latas in eum qui complicem absolvit (cf. n. **484**). Extra hunc casum, incurrit tantum, post iudicis sententiam, suspensionem a celebratione Missae et ab audiendis confessionibus, et poterit pro delicti gravitate inhabilis ad eas excipiendas declarari, omnibus beneficiis, dignitatibus, voce activa et passiva privari et ad ea omnia inhabilis declarari: in casibus vero gravioribus, etiam degradari. At cum sollicitatio non sit *reservata*, ab ea potest absolvi a quolibet sacerdote adprobato.

3° « *In actu sacramentalis confessionis* », non igitur in administrandis ceteris sacramentis ; « *vel ante vel immediate post confessionem* », sc. si inter confessionem et sollicitationem nullum aliud negotium intercesserit. Sufficit vero *inchoatio* sollicitationis immediate ante vel post confessionem, vel in confessione, etiamsi ea postea compleatur, ut ex. gr. si quis det poenitenti litteras ad turpia provocantes, postea legendas ; aut interroget poenitentem ubi habitet, vel invitet ut in domum suam veniat, et postea in domo poenitentis vel sua sollicitet, modo tamen iam tunc pravam intentionem adfuisse postea appareat, non vero si interrogatio vel invitatio curiositatis vel urbanitatis causa factae fuerint, et domi libido exarserit.

4° « *Occasione aut praetextu confessionis.* » *Occasio confessionis* habetur quum poenitens *extra confessionalem sedem* seu *confessionis locum* petit *statim* confiteri, vel in ipso confessionis loco petit alio tempore ex. gr. cras confiteri ; at non habetur si confessarius, ex confessione agnoscens poenitentem valde debilem esse vel ad turpia proclivem (sc. *e notitia ex confessione desumpta*), postea sollicitat, *nisi* intentionem durante confessione conceptam exterius aliquo modo manifestaverit (ex. gr. petendo ubi poenitens habitet), quo in casu confessarius denuntiandus esset, non quod occasione confessionis abusus sit, sed quod inchoaverit, in confessione vel immediate post confessionem, sollicitationem. *Praetextus* habetur, quum confessarius falso alleget se confessionem velle audire et deinde sollicitet, etiamsi confessio non sequatur ; ex. gr. si confessarius aegrotam invisens praetexat se eius confessionem excipere velle et, adstantibus abire iussis, sollicitet.

5° « *Extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo cum simulatione audiendi ibidem confessionem.* » *Extra occasionem confessionis*, sc. quum confessarius domi vel alibi degens arcessit aliquam personam, eamque ducit etc. (v. infra),

aut quum poenitens adit, ex quocumque fine bono vel pravo, confessarium et ambo simulant confessionem, sc. ita se gerunt exterius ut confessionem instituere putentur (non si confessarius sollicitet mulierem stantem *ante* sedem confessionalem), in confessionali, vel in alio loco ad audiendas confessiones *destinato*, ex. gr. in sacrariis ad genuflexorium cum imagine Christi et cum subsellio laterali, vel in quolibet alio loco, ubi occasione missionum, exercitiorum spiritualium, confessiones excipi solent, aut *electo*, sc. in quo quis in praesens confessiones, data occasione, audit vel domi vel alibi, vel quem quis hic et nunc eligit et ad rem aptum commodumque facit.

6° « *Ad inhonesta et turpia* », sc. saltem ad tactus et ad aspectus turpes, immo et ad sui dilectionem tantum : vel ad haec « *sive inter se sive cum aliis quomodolibet perpetranda* », ut si confessarius sollicitet poenitentem vel ut ille peccet cum tertio vel ut inducat tertium ad secum (cum confessario) peccandum. Non esset tamen denuntiandus confessarius qui sollicitaret ad actus leviter inhonestos.

7° « *Illicitos et inhonestos sermones vel tractatus habuerint.* » Hi debent ex utraque parte procedere ; vel saltem ex una, cum signis exterioribus assensus ex altera ; sive colloquia turpia sint simpliciter talia (*sermones*), sive se referant ad rem pravam agendam (*tractatus*). Facere simpliciter aliquod donum mulieri, vel eam ob pulchritudinem et venustatem serio laudare non est *per se* sollicitatio ; erit, si pravus finis et intentio sollicitandi appareat.

505. Confessarius debet, quum poenitens accusat vel patefacit se fuisse ab alio confessario sollicitatum, expendere utrum sit persona fide digna (haud enim raro fit, ut ex malevolentia, ex odio, ex ulciscendi libidine, homines et praesertim mulieres calumnientur sacerdotes omnino innocentes) ; poenitentem monere de atrocitate criminis et de poena, quae in falso accusantes lata est, nempe de reser-

vatione peccati Romano Pontifici (cf. n. 476 et not.); perpendere serio utrum certum sit factum sollicitationis, certa denuntiandi obligatio, et, quum de omnibus constat, monere poenitentem de obligatione denuntiandi confessarium, a quo fuit sollicitatus, intra mensem, loci Ordinario vel Congr. S. Officii, sub poena excommunicationis nemini reservatae. *a*) Si poenitens anceps haeret vel renuit denuntiare, videat confessarius num adsint causae excusantes; si adsint quae ad tempus excusent, confessarius potest absolvere poenitentem, dummodo serio promittat, se denuntiationis oneri satisfacturum esse, vix id possibile evadat. *b*) Si poenitens unice praetexat verecundiam vel timorem ne sacerdos sollicitans in cognitionem denuntiantis deveniat, obiectiones diluere debet, et *potest,* licet minime expediat, sed *non tenetur nisi grave damnum publicum immineat,* se offerre ad denuntiationem faciendam, ea tamen condicione, ut scripto ipsemet poenitens nomen et cognomen sollicitantis inserat et scriptum consueto involucro recondat, ne complicis nomen sibi confessario innotescat. *c*) Si poenitens ex iustis causis in perpetuum deobligatur a denuntiatione facienda, eum absolvat. *d*) Si poenitens, sine iusta causa, nolit denuntiare, eum non absolvat sed iubeat post certum tempus denuo se sistere, et interim casum exponat Ordinario vel S. Poenitentiariae vel S. Officio, reticito poenitentis nomine, ut huic concedatur dispensatio vel facultas ut denuntiatio fiat tota et ex integro a confessario. — Confessarius monere debet, si se sistant, etiam eos qui resciverint a personis fide dignis aliquem sollicitationis casum (nisi resciverint quia ab eis consilium petitum fuit sub secreto commisso, quo in casu ipsimet consulentem monere tenentur), de obligatione denuntiationis faciendae, intra mensem, Inquisitoribus aut locorum Ordinariis, sub gravi at sine censura. — **Monitionem** confessarius facere tenetur *sub gravi* et sub poenis ferendae sententiae, etiamsi poenitens sit in bona fide et dubitetur ne sit suae obligationi

satisfacturus, excepto tantum mortis articulo, ne poenitens in periculum damnationis incidat.

506. **Poenitens**, ut diximus, confessarium sollicitantem **denuntiare debet**, at, quum agatur de positiva lege ecclesiastica licet gravissima, regulariter *citra grave incommodum ;* quum grave scandalum publicum vel damnum commune imminet, nec gravissimum incommodum excusat : extra hunc casum, excusat, praeter quam impotentia (quod ex. gr. nequeat episcopum adire, nesciat scribere), probabile periculum gravis detrimenti in bonis vitae, famae, fortunae, vel sanguinis coniunctio cum sollicitante. Et dummodo persona sollicitantis sit *certa* (sc. non dubitet, utrum Caius an Seius sollicitaverit), sollicitatio *vera,* et indubium sit sacerdotem sollicitasse *quatenus confessarium*, *non refert* cuius aetatis sit poenitens, utrum poenitens consenserit, aut mutua sollicitatio intercesserit (quae adiuncta poenitens reticere potest etiam in casu quo de iis, contra ius, interrogetur) ; *nec pluris interest,* sollicitationem iuridice probari non posse, aut confessarium fuisse ob alterius sollicitationem punitum, aut de praesenti iudicatum et non convictum, aut punitum ob antecedentem sollicitationem cum eodem poenitente, *modo sollicitans non sit defunctus,* quo in casu denuntiationis onus cessat. — Poenitens, qui vere teneatur et iustas exemptionis causas non habeat, nisi *intra mensem* denuntiaverit, excommunicationem nemini reservatam incurret. *Mensis computandus est* a die, quo poenitens cognovit *obligationem denuntiandi*, *poenam adnexam et terminum mensis unius*, intra quem obligatione denuntiandi premitur ; secus, cessante aut culpa aut contumacia, poena locum non habet. Si, mense elapso, *serio promittat* se oneri satisfacturum, poterit absolvi ab excommunicatione, quam postea non incurrit denuo si fidem fallit. *Inquisitoribus aut locorum Ordinariis* denuntiare tenetur ; et si confessarius sollicitans erat ex alia dioecesi, eius Ordinario transmittenda erit denun-

tiatio ab Ordinario loci. Regulariter denuntiatio debet fieri cum iuramento coram Inquisitore vel Ordinario, notario ecclesiastico praesente, et deinde subscribi.

Tit. V. De Sacramento Extremae Unctionis.

(CIC. can. 937-947)

Cap. I. Quibus Extrema Unctio consistat.

507. Extrema Unctio definitur Sacramentum a Christo Domino institutum et a B. Iacobo Ap. (Ep., v, vv. 14-15, Conc. Trid. sess. XIV can. 1) promulgatum, quo per olei unctionem et orationem sacerdotis confertur adultis aegrotis vita periclitantibus salus animae et aliquando etiam sanitas corporis.

508. Dicitur *primo:* « *per olei unctionem* ». Sc. **materia remota** huius sacramenti est *oleum olivarum*, et quidem materia remota *a) certo valida* oleum olivarum ab Episcopo, vel a sacerdote ex speciali R. P. delegatione benedictum in ordine ad extr. unctionem (oleum infirmorum); *b) certo invalida* oleum benedictum a sacerdote sine speciali R. P. delegatione (S. Off. d. 15 Maii 1878); *c) probabiliter valida* o. ab Episcopo benedictum sine relatione ad extr. u. (chrisma, o. catechumenorum), tum quia fontes authentici, qui materiam huius sacramenti determinant, non exigunt nisi oleum ab Episcopo benedictum, tum quia benedictiones, quibus olea sancta conficiuntur, non ita cuiusque finem determinant ut alium finem excludant. Materia remota α) semper *licita* est oleum infirmorum quotannis feria V in Coena Domini renovatum; β) *licita in casu necessitatis a) quando haberi nequit oleum infirmorum,* chrisma aut oleum catechumenorum, ita tamen ut E. U. sub condicione conferatur et, si postea oleum infirmorum

haberi possit, sacramentum iteretur sub condicione; *b*) *si haberi nequit* o. infirmorum *renovatum*, vetus oleum, sc. superioris anni; et si oleum intra annum defecturum esse praevideatur, licitum est oleo benedicto aliud non benedictum superinfundere in minore quantitate, et pluries. **Materia proxima** est unctio per oleum, et quidem *a*) *certo valida et sufficiens,* tum ex rationibus intrinsecis, tum, et a fortiori, ex Decr. S. Off. 26 Apr. 1906 (1), *unica unctio* (in uno sensu, sed convenientius, in fronte), eaque *in casu necessitatis*, sc. quum timetur ne aegrotus moriatur ante quam singulae unctiones perficiantur, adhibenda est, et *absolute* (sc. non sub condicione), supplendo postea *absolute* unctiones omissas, si tempus suppetat (S. Off. 31 Ian. 1907, 9 Mart. 1917); *b*) extra casum necessitatis, *ad liceitatem necessariae* sunt saltem *quinque unctiones*, sc. in oculis, auribus, naribus, ore, manibus, et quidem *sub gravi;* quibus addenda est, nisi qua rationabilis causa excuset, unctio *pedum;* unctio *renum* erit semper omittenda.

509. Dicitur secundo: « *et orationem sacerdotis* ». **Forma** E. U. est *deprecatoria,* ideoque invalida si concipiatur et enuntietur modo indicativo vel imperativo; eaque est: « *Per istam sanctam unctionem et suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus quidquid per (visum, auditum, odoratum, gustum et locutionem, tactum, gressum), deliquisti* ». Verba formae essentialia sunt *per istam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti* — tum quia haec *deprecatoria* sunt, indicant *actionem sacramentalem* (unctionem) et *effectum* (indulgeat quidquid etc.) proprium sacramenti; tum quia verba

(1) Cum in eo Decreto statuatur « in casu verae necessitatis sufficere formam — Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen. — » reticita mentione sive generica sive specifica sensuum, sequitur: 1° unctiones sensuum singulas non esse ad validitatem necessarias; 2° sacramentum, in casu necessitatis, per unicam unctionem esse *absolute* conferendum.

sanctam, et per suam piissimam misericordiam, Amen, evidenter ad essentiam non pertinent ; tum quia expressa mentio sensuum sive generica sive specifica deest et in forma Ecclesiae graecae et in forma a S. Off. adprobata *pro casu necessitatis*, quae haec est, ut in nota retulimus : « *Per istam sanctam unctionem indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti. Amen* ». At in forma ordinaria omittere mentiones singulorum sensuum grave erit ; omittere cetera verba non essentialia, leve ; in forma extraordinaria, sc. pro casu necessitatis, omittere verba non essentialia, sc. *sanctam* et *amen*, leve erit. **Minister** est *sacerdos solus* (Conc. Trid. sess. XIV, c. 3 et can. 4), et quilibet sacerdos *ad validitatem ; ad liceitatem* vero parochus loci quoad *saeculares* et, ex consensu parochi praesumpto, quivis alius sacerdos in casu necessitatis. At Episcopo decumbenti ministrant dignitates et canonici secundum ordinem praecedentiae ; in religione clericali professis, novitiis aliisque in religiosa domo degentibus diu noctuque causa famulatus, educationis, hospitii, valetudinis, Superior per se vel per alium ; in religione laicali parochus vel Cappellanus parocho ab Ordinario suffectus ; monialibus confessarius ordinarius vel qui eius vices gerit. Et infirmus ad exitum properans *licite* ungitur a pluribus sacerdotibus, vel una simul, alio aliam corporis partem inungente et formam unctioni illi convenientem pronuntiante, vel successive ; in casu vero, quo minister defecerit unctionibus nondum absolutis, alius supplebit omissas vel simpliciter si statim, vel prioribus sub condicione repetitis, si quadrans horae inter unam et alteram administrationem intercesserit.

510. Dicitur *tertio :* « *adultis aegrotis vita periclitantibus* ». **Subiectum** E. U. *debent esse :* 1° *Adulti*, qui sc. ad usum rationis pervenerint et peccare potuerint, licet nondum communicaverint ; in dubio utrum ad usum rationis pervenerint, sub condicione « si es capax » danda est ; et adultis dari poterit,

etsi fuerunt immediate ante baptizati, quia effectum huius sacramenti — nempe robur contra tentationes et abstersionem a peccatorum reliquiis — percipere possunt; *non sunt* proinde infantes, nec ii qui ad instar infantium censentur, uti amentes a nativitate; si tamen hi habuerunt aliquando lucida intervalla, vel habuisse ex rationabili causa praesumuntur, in primo casu absolute, in altero sub condicione ungendi sunt. 2° *Aegroti vita periclitantes.* Et quia debent esse *aegroti*, invalide confertur *sanis,* licet sint in periculo vel articulo mortis constituti, ut ex. gr. capite damnati, proelium inituri, periculosae operationi chirurgicae subiiciendi, mulieres, etsi prima vice, pariturae, aggressuri periculosam navigationem ; et quia debent esse *vita periclitantes*, invalide confertur aegrotis, quoties periculum deest, sed in dubio, ministretur sub condicione. Et conferri *debet semel in eodem periculo ;* iterari potest in novo et diverso eiusdem morbi periculo, sc. si aegrotus periculum mortis antea egressus est et postea in illud recidit ; in dubio esset iteranda sub condicione. Ceterum, cum omnes fere medici et recentiores theologi iure teneant mortem realem non statim et immediate subsequi mortem apparentem, seu totalem defectionem signorum vitae exteriorum, et inter unam et alteram *saltem* horae quadrantem et in morbis repentinis etiam maius temporis spatium intercedere; cum sacramenta sint propter homines, patet **parochum**, vel qui eum substituit in collatione huius sacramenti, **posse** non modo sed **debere**, quum advocatur ad morientem et mortuum inveniat, tum absolutionem tum extremam unctionem sub condicione ministrare, monendo adstantes iuxta rei veritatem ne admirationem et scandalum patiantur (cf. Antonelli, *Medic. Pastor.*, Vol. II, *De adultorum morte apparente*). 3° *Non impoenitentes :* in dubio conferri debet sub condicione. At iis, qui E. U. implicite petierunt aut verisimiliter petiissent ante sensuum amissionem, E. U. semper *absolute* praebenda est.

511. Dicitur *quarto:* « *salus animae et aliquando sanitas corporis* ». **Effectus** enim E. U. hi sunt: confertur *a) per se* et *primario* gratia *secunda*, *per se* et *secundario* peccatori saltem attrito *prima;* *b) gratia sacramentalis,* quae reliquias peccatorum abstergit et poenitenti robur solaciumque addit; *c) sanitas corporis,* si animae saluti expediverit, saltem si sacramentum conferatur vix periculum exsurgit, quia non licet miracula e sacramento exigere. Utrum gratia conferatur in singulis unctionibus, vel postrema absoluta, utrumque probabile est: *hoc* tutius quoad *praxim.*

Cap. II. De E. U. necessitate et administratione.

512. E. U. (quam ante ipsum Viaticum, si potest, conferri iuvat), **non est necessaria** neque necessitate medii neque necessitate praecepti, at *per accidens* graviter peccare potest qui, data occasione, sacramentum suscipere renuat, ratione contemptus vel scandali; hoc remoto, *leviter* peccabit contra caritatem erga se ipsum, eo quod neglegat tam utile praesidium (1). Sed 1° *ratione officii, parochus a)* tenetur *monere* infirmum de periculo eumque inducere ad E. U. suscipiendam, et, item ac parochus, *superiores* morientis; *b) sub gravi* tenetur E. U. administrare infirmo sive expresse sive interpretative petenti, et si, absque rationabili causa, differat usque dum infirmus sensibus destituatur, item gravi non caret (cf. 398, D); *c) ceteri sacerdotes,* parocho absente vel impedito, tenentur *ex caritate* ministrare E. U., et quidem *sub gravi,* saltem in casu quo hoc sacramentum sit infirmo necessarium quia nullum aliud potuit recipere; 2° *ratione pietatis*, parentes, coniux teneri possunt,

(1) Id confirmatur in can. 944 CIC. — Cf. ubi de necessitate Confirmationis.

etiam sub gravi, infirmum de periculo monere, eum hortari ad sacramentum suscipiendum eique petenti curare ut administretur.

513. **Ad certo validam E.U. administrationem,** extra casum necessitatis, requiritur ut sensus oleo *liniantur,* et *omnes,* et *continuo,* nam si inter unam et alteram unctionem circiter horae quadrans intercesserit, collatio erit dubie valida ; *quo ordine* peragantur unctiones, ad validitatem non refert. **Ad licitam E. U. administrationem,** requiritur : *a*) *sub gravi,* ut omnes unctiones praescripto ordine fiant : *b*) *sub levi,* ut unctiones fiant *pollice* (et si penicillo vel virgula fiant, valent, sed non licebit nisi in morbo contagioso, aut ne vix quidem, cum, medio oleo, infectio non communicetur), *in crucis figuram, in ambobus sensibus geminis,* incipiendo a dextero et pronuntiando formam ita ut non compleatur nisi utroque peruncto. Servandus est hic ordo, ut ungantur successive *oculi* (super utraque palpebra clausa, si fieri potest), *aures* (in lobulo vel in ima auricula), *nares* (in alis lateralibus), *os* (in labiis compressis seu clausis, si fieri potest, secus in alterutro vel utroque), *manus* (in media utriusque m. palma, at in dorso sacerdotibus), *pedes* (in planta vel in metatarso, vulgo *collo del piede*). Insuper, citra necessitatem, *grave est a*) omittere orationes praecedentes vel subsequentes a Rituali praescriptas, et, si tempus suppetat, quum in casu necessitatis fuerunt omissae, suppleri debent; *b*) conferre sine superpelliceo et stola; sed *eo* non uti, facilius gravi vacabit. Erit vero *leve* aut ne leve quidem non uti lumine, et ministrante, sive mare, sive femina.

Tit. VI. De Sacramento Ordinis.

(CIC. 948-982, 992-1011)

Cap. I. De natura et effectu sacramenti Ordinis.

514. Ordo (seu melius *Ordinatio*, cuius Ordo est effectus) est sacramentum N. L., quo spiritualis potestas traditur et gratia confertur in ordine ad Eucharistiam.

Haec spiritualis potestas *stricte* Ordo dicitur, et in gradus seu Ordines dispescitur. Gradus Ordinis, seu *singuli ordines* sunt: *a*) **in Ecclesia graeca** *quatuor*, sc. *lectoratus, hypodiaconatus, diaconatus* et *sacerdotium*, quod in *presbyteratum* et *episcopatum* distinguitur; lectoratus et hypodiaconatus *ordines minores* dicuntur, diaconatus et sacerdotium *sacri* et *maiores; b*) **in Ecclesia latina** *septem*, sc. *ostiariatus, lectoratus, exorcistatus, acolythatus, subdiaconatus, diaconatus, sacerdotium*, quod complectitur tum *presbyteratum*, tum *episcopatum*. Episcopatus est a presbyteratu distinctus, tum quia per eum confertur distinctus character et specialis potestas relate ad Eucharistiam, nempe constituendi huius sacramenti ministros, tum quia per distinctam materiam et formam confertur. Quatuor illi *minores* et *non sacri:* tres hi *maiores* et *sacri* habentur et dicuntur. Apud graecos ordo est sacer et maior ratione praelationis et potestatis tantum; apud nos tum ratione potestatis, tum ratione obligationis ei adnexae castitatis servandae et officii divini recitandi. *Diaconatus, presbyteratus* et *episcopatus* dicuntur etiam Ordines *hierarchici*, quia hierarchiam constituunt a Christo Domino in Ecclesia sua institutam, et procul dubio sacramenta sunt. Subdiaconatus re ordo minor, factus est maior nomine et obligationibus saec. II; minores ordines apparent tertio circiter saeculo; quare recentiores

theologi tenent nec subdiaconatum nec minores ordines esse institutionis divinae tum immediatae, tum mediatae, ideoque sacramenta non esse, sed sacramentalia; licet S. Thomas et plerique e scholasticis existiment eos sacramenta esse, et alii censeant, minores ordines et subdiaconatum, in diaconatu contentos velut in suo fonte, ab eo, alios alio tempore, fuisse explicatos; qua ex sententia, ii essent, in suo fonte, institutionis divinae. Sapientiores viderint.

Omnes ordines ex unitate finis, cum ad Eucharistiam — ut sacramentum et sacrificium — referantur, unum tantummodo sacramentum Ordinis constituunt.

515. Effectus sacramenti Ordinis sunt *character*, qui certo imprimitur in collatione episcopatus, presbyteratus et diaconatus; *gratiae sanctificantis* augmentum; *gratia sacramentalis* ad ministeria sacra rite obeunda.

516. Tonsura, quae est ritus sacer, ab Ecclesia institutus, quo vir baptizatus et (sub levi) confirmatus, specialiter Deo dicatur et in clerum adscribitur ut ad ordines adscendere possit, non est ordo, sed praeparatio ad ordines; et simul confert privilegium fori et canonis, et efficit tonsuratum capacem iurisdictionis ecclesiasticae et beneficii ecclesiastici. De ea, quae confertur tonsione capillorum, vel, si hi desint, comae adscititiae, expedita res est.

Cap. II. De materia et forma Ordinis in genere et in specie.

517. In genere. Praenotandum est, posse nos sequi opiniones probabiles relate ad ordines minores et subdiaconatum, in quibus, si defectus occurrant, Ecclesia supplet, sicut materiam et formam posset *per se* mutare. At relate ad ordines

hierarchicos, qui sunt certo sacramenta, debemus absolute tutiora sequi.

Materia pro variis ordinibus varia est; in plerisque enim constat instrumentis eorumque traditione, in uno manuum impositione, in duobus utraque. Ad validitatem vero ordinum, qui traditionem instrumentorum requirunt, haec physice tangenda sunt. *Forma* erunt, ubi materia est sola instrumentorum traditio, verba quae traditionem comitantur; ubi sola manuum impositio, verba quae in impositione manuum proferuntur; ubi utraque requiritur, verba quae comitantur alterutram vel utramque iuxta varias sententias.

518. **In specie.** 1° In **Ostiariatu** materia proxima est traditio clavium ecclesiae (duae ex Pont. Rom. debent esse, sed ad validitatem una sufficit etsi clavis ecclesiae non est), quas singuli ordinandi tangere debent manu dextera dum episcopus dicit: *Sic agite* etc. 2° In **Lectoratu** materia proxima est traditio libri lectionum (missalis, breviarii, bibliorum sacrorum, et forte etiam ritualis), quem singuli dextera tangere debent, episcopo dicente: *Accipite et estote* etc. 3° In **Exorcistatu** materia proxima est traditio libri exorcismorum seu ritualis (vel etiam pontificalis, missalis), quem singuli tangant dextera necesse est dum episcopus dicit: *Accipite et commendate* etc. 4° In **Acolythatu** materia proxima est duplex: *a*) traditio candelabri cum candela exstincta, et singuli tangere dextera debent ex consuetudine candelabrum et candelam simul, sed ad validitatem sufficit ut tangant vel candelam vel candelabrum (quo tacto, candela mediate tangitur), dum episcopus dicit: *Accipite ceroferarium* etc.; *b*) traditio urceoli vacui, quem singuli immediate dextera tangere debent (sed ad validitatem sufficit ut tangant mediate per pelvim - *piattino* -), dum episcopus dicit: *Accipite urceolum* etc. 5° In **Subdiaconatu** materia proxima est duplex; *a*) traditio calicis vacui cum patena vacua superposita, quem singuli manu dextera tangere

debent, episcopo dicente: *Videte* etc.; *b*) traditio libri epistolarum (missalis, bibliorum sacrorum), quem singuli item tangunt, episcopo dicente: *Accipite librum* etc. Sed subdiaconatus potest simul pluribus conferri, tangentibus iis simul duplicem materiam; forma iam est in plurali. In ordinatione subdiaconi (item atque in presbyteri), utrum calix et patena debeant esse consecrata, *ad validitatem* (quoad *liceitatem* nullum dubium), utrinque disputatur; *probabilius*, saltem *theoretice*, consecratio non videtur necessaria, quia ea nullo iure praescribitur et symbolica repraesentatio per instrumenta non consecrata minime deficit; S. Alph. tenet *in praxi* tutiori sententiae esse adhaerendum: quod valet, ni fallor, solum pro presbyteratu, quia, quum de subdiaconatu agitur, possumus sequi sententias probabiles, ut diximus praecedenti num. Traditio libri epistolarum non videtur esse materia essentialis, sed integralis tantum; ideoque, si omissa, per Episcopum supplenda esset (S. C. C. 10 Ian. 1711). 6° In **Diaconatu** materia proxima duplex est: *a*) impositio manus dexterae episcopi super caput cuiuslibet ordinandi cum forma: *Accipite Spiritum Sanctum* etc.; et ad validitatem impositio fieri debet *tactu physico* seu *corporali*, licet mediato (ex. gr. quum caput ordinandi est pileolo tectum); si tactus physicus defuerit, ordinatio diaconatus erit iteranda, etiam post susceptum presbyteratum; *b*) traditio libri evangeliorum (missalis, sacrorum bibliorum), quem singuli dextera tangere debent, dum episcopus dicit: *Accipite potestatem* etc. Solam manuum impositionem esse essentialem plures tenent — idemque relate ad presbyteratum — hisce fulti rationibus, quod episcopatus sola manuum impositione confertur et, ut Ecclesia graeca ea sola utitur, ita Ecclesia romana per plura saecula eam solam adhibuit in diaconatu et presbyteratu conferendis. Qui tenent esse essentialem instrumentorum traditionem aiunt Christum materiam Ecclesiae determinandam reliquisse, et Ecclesiam antea unam, postea utramque ut essen-

tialem determinasse. Certum est, utramque *ad certam validitatem* ordinationis esse adhibendam. 7° In **Presbyteratu** materia proxima quaenam sit de essentia, disputatur. Alii tenent essentialem esse solam *manuum impositionem* (ut superius, quum de diaconatu, diximus); et — quoniam impositio manuum triplex est, 1ª, qua episcopus utramque manum extendit super caput ordinandi, cum adstantibus presbyteris, nihil dicens, 2ª, qua episcopus, una cum presbyteris adsistentibus, tenet dexteram extensam super ordinandum, dicens: *Oremus, fratres carissimi* etc. *Exaudi nos* etc. cum praefatione *Domine sancte* etc., 3ª, qua, post communionem, utramque manum singulorum capiti imponit, dicens: *Accipe Spiritum Sanctum* etc., — alii docent primam non esse essentialem, quia forma deest, nec tertiam, tum quia fit quum iam neosacerdotes cum episcopo consecrarunt, tum quia potestate sacrificium offerendi continetur etiam potestas absolvendi, tum quia antiquitus non adhibebatur et videtur postea inducta fuisse ut *signum* potestatis remittendi retinendique peccata iam contentae in collata potestate sacerdotali per secundam manuum impositionem; alii tenent primam et secundam essentialem esse, quia secunda non est nisi extensio primae; alii demum, secundam et tertiam esse de essentia, quia per eas, ut Christus seorsum apostolis contulit, seorsum confertur potestas consecrandi et absolvendi. — Ut progrediamur, ea *omissa* sententia, quae *falsa* est, esse de essentia solam instrumentorum traditionem, alii sentiunt (ut superius, quum de diaconatu, diximus), simul cum manuum impositione, altera vel tertia, instrumentorum traditionem essentialiter requiri; nempe *traditionem calicis* cum vino et aquae guttis et *patenae* superpositae cum hostia, dum episcopus dicit: *Accipe potestatem offerendi* etc. Utcumque sit, cum agatur de validitate, quod tutius est eligendum, et proinde ea omnia servanda sunt quae ad essentiam probabiliter pertinent. Et ut ordinatio *certo valida* sit, in traditione instru-

mentorum ordinandus debet tangere physice, et saltem mediate (sc. manu velo vel chirotheca tecta), calicem et patenam, vel calicem et hostiam (qua tacta, patena mediate tangitur), et ita, ut inter tactum instrumentorum et pronuntiationem formae moralis unitas exsistat. Si in ordinatione defectus contigerit: *a*) *Certo* et circa ritum *certo essentialem*, ordinatio *absolute* iteranda est. *b*) *Probabiliter* circa *rem certo essentialem*, vel *certo* circa *rem probabiliter essentialem*, ordinatio iteranda sub condicione. At si defectus *in utroque casu* [qui in *a*) et *b*)] deprehenditur *ante canonem*, pars omissa suppleri debet *statim* absolute vel condicionate. *c*) Quia omissa fuit tertia manuum impositio, haec sola suppleri debet. *d*) Circa rem *certo accidentalem*, sed *gravem* (si ex. gr. unctio manuum et traditio libri omissa fuerit), haec erit supplenda. 8° In **Episcopatu** materia proxima est impositio manuum consecrantis et forma est *probabilius* oratio, quae eam comitatur; sed impositio libri evangeliorum super cervicem et scapulas consecrandi, et verba: *Accipe Spiritum Sanctum* adhibenda sunt, quia sunt probabiliter de essentia.

Cap. III. **De ministro Ordinis.**

519. **Validae ordinationis** *ordinarius minister* est quilibet et solus *episcopus consecratus*. *Extraordinarius* ad conferendos ordines minores et subdiaconatum, cum hi sint institutionis ecclesiasticae, est quilibet sacerdos ex speciali Romani Pontificis delegatione. Disputatum est inter theologos utrum simplex sacerdos ex eadem speciali delegatione R. P. possit diaconatum conferre; posse videbatur, ex Const. Apost. *Exposcit* Innoc. VIII (8 Apr. 1489), qua dicebatur datum abbatibus cisterciensibus privilegium conferendi suis subditis subdiaconatum et diaconatum; at cum in ea Constitutione ne verbum quidem fiat de eiusmodi privilegio, omnis et tota argumentatio corruit.

520. Licitae ordinationis *minister* est Episcopus *proprius;* non *alienus,* nisi de Episcopi proprii licentia seu litteris dimissorialibus. Et I. *Quoad ordinationes saecularium*, Episcopus *proprius* est Episcopus dioecesis in qua promovendus habeat domicilium una cum origine aut simplex domicilium sine origine; sed in hoc altero casu promovendus debet iurare se in dioecesi perpetuo mansurum, nisi agatur de promovendo ad ordines *a*) clerico qui dioecesi per primam tonsuram iam incardinatus est, *b*) alumno, qui in futurum, praevia legitima excardinatione et incardinatione, servitio alius dioecesis destinetur. — *Vicarius ac Praefectus Apostolicus*, *Abbas vel Praelatus Nullius,* si charactere episcopali polleant, Episcopo dioecesano aequiparantur quod pertinet ad ordinationem; quod si charactere episcopali careant, possunt tantum, in proprio territorio et durante munere, conferre tonsuram et ordines minores tum propriis subditis saecularibus (cf. superius), tum aliis qui litteras dimissorias rite exhibuerint: extra hos fines ordinatio est invalida. *Episcopus alienus* licite ordinat non subditos, si hi afferant *litteras dimissoriales: a*) *datas* ab Episcopo proprio promovendi, etsi nondum consecrato, post captam tamen legitime possessionem dioecesis, vel a Vicario Generali (qui dare nequit nisi ex speciali Episcopi mandato), vel a Vicario Capitulari, de Capituli consensu, post annum a sede vacante, vel, intra annum, *arctatis* (CIC. can. 958, § 3), vel a Vicario ac Praefecto Apostolico, Abbate vel Praelato Nullius, etsi charactere episcopali carentibus, pro suis subditis ad maiores quoque ordines provehendis; *b*) *dummodo* constet de germana earum litterarum fide, et promovendum *licite* ad ordines accedere, de quo fusius n. **522.** Litterae dimissoriales mitti possunt ab Episcopo proprio, etiam Cardinali Episcopo suburbicario, ad quemlibet Episcopum, communionem cum Sede Apostolica habentem, excepto tamen, citra apostolicum indultum, Episcopo ritus diversi a ritu promovendi; qua in re addendum,

ne *proprium* quidem Episcopum, latini ritus, licite ordinare, sine apostolico indulto, subditum suum qui ad orientalem ritum pertineat. II. *Quoad ordinationes religiosorum*, si agatur *a*) *de religione exempta*, religiosi a nullo Episcopo licite ordinantur sine litteris dimissoriis proprii Superioris maioris, qui *non potest* professis votorum simplicium, quae praemittuntur professioni sollemni vel perpetuae, concedere litteras dimissoriales nisi ad tonsuram et ordines minores, *debet* semper litteras dimissoriales mittere ad Episcopum dioecesis, ubi sita est domus religiosa, ad cuius familiam pertinet ordinandus, et ad *alienum* Episcopum tunc tantum mittere potest, cum Episcopus dioecesanus vel licentiam dederit, vel sit diversi ritus, vel absit, vel non sit ordinationem habiturus proximo legitimo tempore, vel cum dioecesis vacet nec eam regat qui charactere episcopali polleat: quae omnia Episcopo ordinaturo constare debent ex authentico illius Curiae episcopalis testimonio. — Abbas vero regularis de regimine, etsi sine territorio *nullius*, modo sit presbyter et rite benedictus, potest conferre monachis *suis*, qui saltem professionem simplicem emiserint, tonsuram et ordines minores: extra hos fines ordinatio est invalida, nisi ipse charactere episcopali polleat; *b*) *de religione non exempta*, religiosi reguntur eodem iure ac clerici saeculares.

Cap. IV. De subiecto Ordinis.

521. **Validae ordinationis** *subiectum* est omnis et solus mas baptizatus, licet infans; nam non baptizati et feminae sunt ordinis incapaces *iure divino*, si agitur de ordinibus institutionis divinae, et *iure ecclesiastico*, si de ordinibus institutionis ecclesiasticae.

522. Ad **licite** ordines suscipiendos, ex parte subiecti requiritur: 1° Ut sit *confirmatus;* qui non

confirmatus accedit ad tonsuram et ordines *leviter* peccat ex complurium sententia, quia violat praeceptum Conc. Trid. (quod confirmat CIC. can. 974) in re non gravi. 2° Ut sit *in statu gratiae*, saltem qui ad ordines institutionis divinae accedit; sed qui accedit ad ordines institutionis ecclesiasticae potest teneri ad statum gratiae sibi comparandum, ratione Eucharistiae quae suscipi solet. Praemittere vero debet *exercitia spiritualia*, si ad tonsuram vel ordines minores promovendus, per tres saltem integros dies; si ad ordines sacros, per sex saltem integros dies, quos Ordinarius, cum agitur de suscipiendo *diaconatu*, reducere potest, at non infra tres integros dies, si intra semestre alii sacri ordines conferendi sint eidem ordinando. Si, expletis exercitiis, ordinatio ultra semestre differatur, exercitia sunt iteranda; si citra semestre, res iudicio Ordinarii relinquitur. 3° Ut sit *immunis* a censuris, irregularitatibus et impedimentis, de quibus in speciali tractatione inferius. 4° Ut habeat *vocationem divinam* et *animum* ascendendi ad presbyteratum, ita ut merito coniici possit eum aliquando dignum fore presbyterum; sed ordinatus, qui superiores ordines recipere recuset, nec ab Episcopo ad eos recipiendos cogi, nec prohiberi potest a receptorum ordinum exercitio ob eam unice causam. 5° Ut afferat *mores recipiendo ordini congruentes*. De quibus ut constet, *a*) *Parochus* ordinandi proprius nomen promovendi ad *singulos* sacros ordines (exceptis religiosis a votis perpetuis sive sollemnibus sive simplicibus) in sua ecclesia debet publice denuntiare semel die festo de praecepto inter Missarum sollemnia aut alia die et hora, quibus maior populi frequentia in ecclesia habeatur, et omnes fideles tenentur impedimenta, si qua norint, Ordinario vel parocho revelare. Ordinarius vero poterit tum ab hac publicatione ex iusta causa dispensare, tum praecipere ut in aliis quoque ecclesiis peragatur, tum publicationi substituere publicam ad valvas Ecclesiae affixionem per aliquot dies, in quibus unus saltem dies festus compre-

hendatur. Et potest Ordinarius, si id expedire iudicaverit, tum per se ipse, tum per parochum qui publicationem peregit, tum per alios, inquirere a fide dignis de vita et moribus ordinandi. — Dilata autem, quavis de causa, ordinatione ultra semestre, publicatio iteranda est, nisi aliud Episcopo videatur. *b*) Ordinandus afferre debet *aa*) testimonium Rectoris Seminarii, aut sacerdotis, cui extra Seminarium commendatus fuerit, de bonis suis moribus; *bb*) litteras testimoniales Ordinarii cuiuslibet loci, in quo per semestre post pubertatem aut, si militiam exercuit, per trimestre commoratus sit (quo temporis lapsu CIC. can. 994 determinat ordinandum potuisse contrahere can. impedimentum); licebit vero Episcopo testimoniales exigere etiam pro tempore breviore vel transacto ante pubertatem, et, si Ordinario loci commorationis eius temporariae nihil constet vel ordinandus per tot dioeceses vagatus sit ut sit difficile omnes testimoniales litteras habere, iuramentum suppletorium promovendo deferre; *cc*) novas litteras testimoniales, si post primas et ante ordinationem per praedictum temporis spatium ibidem rursus commoratus sit. — Pro religiosis sufficiunt dimissoriae Superioris, e quibus constet promovendum professionem emisisse, esse de familia domus religiosae eidem subditae, praescripta studia peregisse et aliis requisitis pollere. 6° Ut *debita scientia* commendetur. Et: *a*) Nemo promovendus est ad sacram tonsuram nisi inceperit cursum theologicum, ad subdiaconatum nisi exeunte tertio eiusdem cursus anno, ad diaconatum nisi incepto quarto, ad presbyteratum nisi post medietatem quarti; et cursus theologicus peractus esse debet non privatim, sed in publicis scholis ad normam CIC. can. 1365 ordinatis. *b*) Ordinandus afferre debet testimonium de studiis, pro singulis ordinibus, peractis uti sub *a*) diximus. *c*) Promovendus, tum saecularis, tum regularis, debet periculum facere non modo in iis quae ordinem suscipiendum respiciunt, sed etiam, si ad sacros ordines adscendat,

in iis theologicis tractationibus eaque metodo et coram iis examinatoribus, quos Episcopus statuerit; examen hoc recipit loci Ordinarius, qui iure proprio ordinat vel dat dimissorias litteras, in quibus testari debet promovendum, facto periculo, idoneum evasisse, nisi examen, ex iusta causa, velit committere Episcopo ordinaturo, qui id oneris acceptet. Ceterum Episcopus alienum subditum ordinaturus *potest*, sed *non tenetur* acquiescere testificationi de idoneitate in dimissorialibus contentae, et si pro sua conscientia promovendum non idoneum existimet, repellere eum debet. 7° Ut *legitimam aetatem* habeat, idest pro subdiaconatu vicesimum primum completum, pro diaconatu vicesimum secundum compl., pro presbyteratu vicesimum quartum completum; in aetate ad subdiaconatum suscipiendum S. Sedes valde raro dispensat, ad diaconatum raro, ad presbyteratum saepe dispensat ipsa in defectu unius anni cum dimidio et concedit Episcopis facultatem dispensandi in defectu unius anni. 8° Ut, ad subdiaconatum promovendus, habeat *titulum*, ad sustentationem; sive *a*) *beneficii* (quo nomine heic veniunt etiam *coadiutoriae perpetuae, quotidianae distributiones, cappellaniae, pensiones*), sive *b*) *patrimonii*, modo tum beneficium tum patrimonium taxationem dioecesanam attingat, sive *c*) *utriusque simul*, altero alterius exiguitatem supplente. *Patrimonium* vero debet constitui ad normam iuris canonici simul et civilis (ut eius incolumitati consulatur), et quidem vel *aa*) *in re immobili frugifera* ita, ut reditus tanti sint, quantos taxatio dioecesana exigit, et iam ab ordinatione percipi valeant; vel *bb*) *in censibus* (inscripta hypotheca in praediis censualibus); vel *cc*) *in reditibus* et *versuris* (*prestiti*) rei publicae. Species patrimonii sunt *cappellaniae laicales;* sed, si manuales, necesse est conferantur ea lege ut revocari nequeant *donec ordinatus provideatur*. Clerico ad subdiaconatum promoto, nihil relate ad patrimonium innovari potest, nisi forte constitutum fuerit *donec ordinatus alio titulo pro-*

videatur: quo in casu, eo proviso, patrimonium, interposito Ordinarii decreto, ad constituentem redit. — Accedunt alii tituli, idest *paupertatis* vel *mensae communis,* pro religiosis vel pro clericis conviventibus religiosorum more, *missionis,* de quibus expedita res est, *servitii ecclesiae,* si Episcopi, alio deficiente, hoc titulo clericos ordinare velint. Sed cf. CIC. can. 979-982.

Cap. V. De sacra Ordinatione rite peragenda.

523. Ut sacra ordinatio rite peragatur, necesse est ut ordines suo tempore, suo loco, gradatim et servatis interstitiis conferantur. Et 1° **suo tempore.** *Tonsura* conferri potest quovis die et quavis hora; *ordines minores mane* tantum, singulis diebus dominicis et festis duplicibus sive intra Missarum sollemnia (et hoc decebit), sive extra Missam; *subdiaconatus, diaconatus, presbyteratus* conferendi sunt in Missa *sub gravi* et sabbatis Quatuor Temporum, sabbato *Sitientes* (ante Dominicam Passionis) et Sabbato Sancto, sed, gravi de causa, Episcopus poterit eos conferre quolibet die dominico vel festo de praecepto; *episcopatus* diebus dominicis et festis Apostolorum. Extra praescripta tempora (contra quae, consuetudo quaelibet reprobatur in CIC. can. 1006, § 5) ac secreto haberi potest ordinatio, in casu quo sit iteranda, vel aliquis ritus suppleri debeat, sive absolute sive sub condicione. Religiosi e Soc. Iesu, ex privilegio, ordinari possunt quovis die de praecepto; utrum ceteri regulares hoc privilegio gaudeant, alii affirmant, alii negant; iuxta D'Ann., res arbitrio Episcopi permissa est et, eo ordinare nolente, non licet regularibus alium episcopum adire ut extra tempora ordinentur [D'Annibale, III, 294 (2)]. 2° **Suo loco.** Tonsura et ordines minores conferri possunt in quavis ecclesia vel oratorio, etiam privato; ad ordines sacros quod attinet, ordinationes

generales fieri debent publice in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque canonicis; si extra civitatem episcopalem, in ecclesia digniore, nisi quid obstet, et praesente clero loci. Item ordinationes particulares: sed, iusta de causa, fieri possunt in aliis quoque ecclesiis et in oratorio domus episcopalis vel Seminarii vel religiosae domus. Sed Episcopus nequit ordines suis conferre in aliena dioecesi, nisi de Ordinarii loci licentia. Consecratio episcopalis, si fiat extra Urbem, ex Tridentino (sess. XXIII, c. 2 de Reform.) habenda est in ecclesia ad quam ordinandus promovetur vel saltem in ea provincia ecclesiastica, nisi in bulla promotionis episcopo electo fiat facultas, ut plerumque solet, episcopi consecrantis, quem malit, eligendi. 3° **Gradatim,** id est *ne ordinatio fiat per saltum.* Certum est ordines, praetermissis inferioribus collatos, esse validos; unice disputatur utrum valide conferatur episcopatus diacono, praetermissa ordinatione presbyterali. Et alii negant, quia complementum sacerdotii sine sacerdotio conferri nequit; alii affirmant, quia ordo sacerdotalis eminenter in episcopatu continetur et cum eo confertur, imo confirmant tum ex epistola Nicolai I ad Hincmarum et alios episcopos data a. 867, ex qua eruitur in more Ecclesiae romanae fuisse ut diaconus consecraretur episcopus, tum ex praxi Stephani III (al. IV), qui statuit episcopos ab antipapa Constantino ordinatos in pristinum honoris sui gradum reverti, si ante consecrationem episcopalem sacerdotes vel *diaconi* fuissent. *Graviter illicita* est ordinatio per saltum, et ita ordinati prohibentur in ordine suscepto ministrare. At cum ordinatis per saltum Episcopus, modo non ministraverint in ordine suscepto, potest dispensare ex iusta causa, ut omissos ordines recipiant, susceptis utantur et ad superiores adscendant. 4° **Servatis interstitiis.** Et quidem ita, ut promoti, in susceptis ordinibus, ad Episcopi praescriptum, se exerceant. Interstitia inter tonsuram et ostiariatum, inter singulos ordines minores prudenti Episcopi iudicio commit-

tuntur: inter acolythatum et subdiaconatum saltem annus, inter ordines sacros saltem trimestre intercedat, nisi necessitas vel utilitas Ecclesiae, iudicio Episcopi, aliud suadeat. Sed conferre non licet, nisi de peculiari licentia R. P., uno eodemque die nec *a*) tonsuram una cum aliquo minore ordine, nec *b*) minores omnes simul, nec *c*) minores ordines cum subdiaconatu, nec *d*) duos sacros ordines simul: quoad *c*) et *d*), reprobatur consuetudo contraria in CIC. can. 978, § 3.

Nota. CIC. can. 1010-1011 praescribit omnia, quae peractam ordinationem respiciunt, adnotanda esse in peculiari regesto in Curia loci ordinationis asservando, itemque documenta ordinationum penes eamdem Curiam esse custodienda; praeterea, dandum singulis ordinatis authenticum receptae ordinationis testimonium, quod, si ordinatio peracta sit ab Episcopo non proprio, exhibeatur, pro adnotatione ut supra facienda, Episcopo proprio. — Notitia collati subdiaconatus ab Ordinario loci vel a Superiore maiore (si agatur de religioso ordinato cum dimissorialibus eius litteris) transmittenda est ad parochum baptismi, ut id adnotet in baptizatorum regesto ad normam can. 470, 2°.

Tit. VII. De Sacramento Matrimonii.

Cap. I. De matrimonii natura.

524. Matrimonium definitur, qua *contractus:* « conventio qua vir et mulier sibi invicem legitime tradunt dominium in corpora in ordine ad actus ex se aptos ad prolis generationem et se obligant ad individuam vitae societatem »; qua *sacramentum:* « sacramentum N. L. quo christianis matrimonium ineuntibus datur gratia ad pie sancteque in connubio vivendum et prolem educandam ».

525. Matrimonium distinguitur multipliciter, spectatis viri et mulieris coniunctione vel vinculo ab ea orto. Et erit : *a*) *In fieri* vel *in facto esse ; illud* actus coniunctionis transiens, *hoc* connubium perseverans in vinculo. *b*) *Legitimum, ratum, consummatum ; illud* est contractus mere naturalis et civilis, sine ratione sacramenti, quale apud infideles contrahitur ; *istud* matrimonium validum inter fideles initum, sed cui copula carnalis nondum accessit ; *hoc,* legitimum inter infideles vel ratum christianorum, quod copula carnali ad generationem apta completum est, ita, ut coniuges fuerint effecti una caro. *c*) *Verum, praesumptum, putativum ;* verum habetur, quum fuit revera valide contractum; praesumptum illud dicitur, quod, etsi forte non exsistit, a iure, ex alicuius facti positione, praesumitur intercessisse [ita matrimonium, quod, vivente utroque coniuge, non fuerit accusatum, post mortem alterutrius vel utriusque coniugis praesumitur validum fuisse (can. 1972)] ; putativum, quum iure contractum existimatur, sed tamen ex latente impedimento nullum est, vel etiam quum invaliditas alterutri tantum coniugi nota est. *d*) *Canonicum* et *civile ; illud*, in quo omnia requisita a iure naturali et canonico ad verum matrimonium habentur, *hoc,* in quo, praeter id quod a iure naturali exigitur, concurrunt sollemnitates a iure civili requisitae. *e*) *Morganaticum* et *conscientiae* seu *secretum ;* morganaticum dicitur matrimonium cum muliere inferioris condicionis ea lege initum, ut uxor et liberi e matrimonio nati a titulis, dignitatibus, bonis avitis abstineant, certa bonorum paternorum parte contenti ; m. conscientiae seu secretum illud est, quod, ex gravissima et urgentissima causa, de Episcopi (*non* Vic. generalis nisi de speciali mandato) licentia, initur omissis denuntiationibus et secreto, cum gravi obligatione secreti servandi ex parte sacerdotis assistentis, testium, Ordinarii eiusque successorum, et etiam alterius coniugis, altero non consentiente divulgationi, et adnotandum est in apposito peculiari libro servando in

secreto Curiae archivo ; sed Ordinarius ad secretum non tenetur si *a*) vel aliquod scandalum aut gravis erga matrimonii sanctitatem iniuria ex secreti observantia immineat, vel *b*) parentes non curent ut filii ex eo matrimonio suscepti baptizentur, vel *c*) baptizandos curent falsis expressis nominibus, quin interim Ordinario intra triginta dies notitiam prolis susceptae et baptizatae cum sincera indicatione parentum praebeant, vel *d*) christianam filiorum educationem negligant (CIC. can. 1104-1107). *f*) *Attentatum ;* ita dicitur matrimonium quod, utraque vel alterutra parte conscia impedimenti dirimentis exsistentis, invalide contrahitur.

526. **Matrimonium, qua contractus,** *constat* re, causa, consensu :

Et I. **Re,** sc. mutuo in corpora iure ad actum coniugalem exercendum, generationi ex se aptum.

II. **Causa.** Ex *causis* matrimonii alia *primaria* et *intrinseca,* quam Deus intendit in matrimonio instituendo, i. e. prolis generatio ; alia item *intrinseca,* sed *secundaria* et consequens primariam, i. e. mutuum adiutorium ; alia *intrinseca* et *secundaria,* sed *accidentalis,* quae accessit post peccatum originale causae primariae unicae, i. e. sedatio concupiscentiae (I Cor. VII, 9). Causae matrimonii *extrinsecae* et *accidentales* plures esse possunt : ex. gr. pax familiarum concilianda ; dignitas familiae servanda ; honores, divitiae, licitae voluptates obtinendae etc.

III. **Consensus.** Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad prolis generationem. *Consensus matrimonialis a) ut haberi possit,* necesse est ut contrahentes non ignorent matrimonium esse societatem permanentem inter virum et mulierem ad filios procreandos ; haec vero ignorantia post pubertatem non praesumitur ; *b*) *internus* semper praesumitur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis ; at si alterutra vel

utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut omne ius ad coniugalem actum aut essentialem aliquam matrimonii proprietatem, m. est invalidum ; *c*) *non vitiatur* ob errorem circa unitatem vel indissolubilitatem vel dignitatem sacramentalem, etsi error dederit causam contractui (modo sponsi velint sic contrahere quemadmodum ceteri faciunt) ; *d*) *non excluditur necessario* cognitione aut opinione nullitatis matrimonii ; *e*) *debet,* sed *non sub gravi*, exprimi verbis a contrahentibus, si loqui possint ; *f*) *praesumitur perseverare*, donec de eius revocatione constiterit, etsi matrimonium invalide, ratione impedimenti, initum fuerit. Et 1° **consensus potest valide dari per procuratorem,** vel **ope interpretis,** *dummodo a*) serventur statuta dioecesana, si quid addant iuri communi ; *b*) procurator exhibeat mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona, subscriptum a mandante et *simul* aut a parocho vel Ordinario loci ubi mandatum fit, aut a sacerdote quem alteruter delegaverit, aut a duobus testibus, et, si mandans scribere nesciat, id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet ; secus mandatum erit irritum ; *c*) mandans, ante contractum matrimonium per procuratorem, mandatum non revocaverit neve in amentiam inciderit, etsi insciis procuratore et altero contrahente ; *d*) procurator fungatur per se ipse munere suo. — Sed, quoad *liceitatem*, parochus nequit matrimonio per procuratorem vel ope interpretis celebrando adsistere nisi *certus* sit de authenticitate mandati deque interpretis fide et nisi adsit iusta causa atque Episcopi, si tempus suppetat, venia. 2° Ex urgentissima causa, matrimonium contrahi potest **condicione adiecta.** Et A) si condicio sit *de praeterito* vel *de praesenti*, matrimonium aut statim constat aut statim nullum est, sed ante notitiam condicionis impletae sponsi uti nequeunt iure suo. Et si ea fuerit *impossibilis* vel *turpis,* iure habetur pro non adiecta ; si *serio* adiecta fuit, condicio impossibilis *vitiat* seu nullum

reddit illico matrimonium, at turpis, si exsistit, efficit validum, si non exsistit, nullum reddit. B) Si condicio sit *de futuro,* aut est de futuro *necessaria,* et habetur pro non adiecta ; aut est *a*) *contra naturam matrimonii* [i. e. obstat *bono sacramenti* (ex. gr. cond. dissolvendi post certum tempus matrimonium), aut *bono prolis* (ex. gr. prolem vitandi, necandi), aut *bono fidei* (ex. gr. non servandae fidei coniugalis, se prostituendi)], et matrimonium irritum erit ; aut *b*) est solum *impossibilis vel turpis,* et habetur pro non adiecta in foro externo ; in foro interno, iudicandum ex circumstantiis (v. supra ubi de condicione de praeterito vel praesenti), et in dubio standum est pro valore actus ; aut *c*) est *possibilis et honesta,* et matrimonium, ea non impleta, invalidum ; ea impleta, statim validum fit (si neutra pars consensum interim revocaverit), quin consensus renovetur, ut in ceteris contractibus, sed consuli poterit consensus renovatio : matrimonium tamen consummare ante quam condicio impleatur grave erit, nisi uterque sponsus a condicione recesserit. C) Disputatur utrum *matrimonium virginale* validum sit. Et *a*) certum est apud omnes validum esse matrimonium contractum ab iis, qui antea votum emiserint servandi in matrimonio continentiam, quia condicio heic in pactum non deducitur ; *b*) validum videtur etiam matrimonium in quo, ex utraque parte vel alterutra, condicio de praesenti additur : *tecum contraho, si te obligas ad virginitatem in matrimonio servandam,* nam mutuum ius in corpora traditur, licet usus eiusdem renuntietur ; *c*) at *certo illicitum* erit, nisi adsit *moralis certitudo* quod periculum peccandi desit omnino. 3° Matrimonium *valide contrahitur* **adiectis demonstratione** (ex. gr. *duco te, quae es virgo*), vel **causa** (ex. gr. *quia es virgo*), vel **modo** (*ut occidas, ut adulteres*), quae pro non adiectis habentur, modo ne in condicionem recidant ; *invalide,* si matrimonium fiat **in diem** (ex. gr. *duco te usque ad tertium annum*) et patet, quia id est contra bonum sacramenti, vel **ex die** (ex. gr. *duco*

te post ferias), quia aut nihil agitur aut sponsalia erunt. 4° **Fingere consensum** gravissimum est, ob iniuriam tum sacramento tum parti illatam. In foro externo fictio consensus non attenditur, nisi probetur aliquem fuisse coactum ad fingendum sive dolo sive ex gravi metu; in foro interno, qui asserit se ficte consensisse *a*) cogendus est abstinere a petendo vel reddendo, donec vere consenserit; *b*) cogendus renovare consensum ad iniuriam reparandam, nisi compars separationi consentiat, aut nisi dolus et metus gravis vere intercesserint (cf. CIC. can. 1081-1093).

527. Matrimonium, qua sacramentum, est ipse contractus elevatus ad esse sacramenti. Quare matrimonium *a*) *inter christianos,* quoties vere contrahere intendunt, velint nolint, sacramentum est; *b*) *inter haereticos et schismaticos*, quoties leges Ecclesiae circa substantiam matrimonii servantur, est pariter sacramentum; *c*) inter *fidelem et infidelem, ex dispensatione* R. P. contractum, sacramentum esse alii affirmant, alii negant; *d*) *in infidelitate contractum,* si *ambo coniuges ad fidem convertantur*, in ipsa baptismi susceptione fit sacramentum; *e*) quod *civile* vocant, neque contractus est, neque sacramentum, sed quia, eo praetermisso, plura sequi possunt damna spiritualia et temporalia, eaque gravissima (tum quia uterque posset aliud civiliter inire matrimonium, tum quia iura civilia matrimonio religioso denegantur), qui eo abstinuerint gravi non vacant, nisi iusta causa adsit ab Ordinario videnda.

Materia et **forma,** cum sacramentum et contractus unum sint, eadem sacramenti est ac contractus. Materia *remota* sunt corpora contrahentium, seu ius in corpora, quod contrahentes sibi mutuo tradunt; *proxima* est ipsa traditio mutua iuris signo sensibili expressa. *Forma* est idem consensus, signo sensibili manifestatus, quatenus exprimit mutuam iuris acceptationem. *Ministri* sunt ipsi contrahentes, quia conficientes contractum confi-

ciunt sacramentum ; sed, si non sint in statu gratiae, *qua ministri* non peccant graviter, quia non sunt ministri ad id *consecrati*. **Subiectum** est quivis baptizatus, nullo impedimento iuris naturalis, divini vel ecclesiastici inhabilis. **Effectus** matrimonii, qua est sacramentum, sunt : *a*) gratiae sanctificantis augmentum ; *b*) ius ad gratias actuales statui coniugali et proli sancte educandae necessarias.

Cum matrimonium sit una contractus et sacramentum (et proximum fidei est), sequitur, Ecclesiam solam habere in christianorum contractum potestatem ; de iuribus civilibus legitime statuit civilis potestas, at de hisce tantum, et contra ius ea negat matrimonio coram Ecclesia valido.

528. Matrimonii proprietates duae sunt : *unitas* et *indissolubilitas*. *Ex primo capite* vetatur iure naturae polyandria et iure positivo divino N. L. polygamia simultanea ; *ex altero* matrimonium, semel contractum, nequit dissolvi, saltem iure positivo divino N. L. . Exceptiones v. inferius, ubi de divortiis.

Cap. II. De his quae matrimonium praecedere possunt ac debent.

529. Praecedere *possunt sponsalia ; debent denuntiationes* seu proclamationes (seu banna), et *probatio iuridica status liberi*. Praemittimus, et quidem obiter, parochum debere *a*) testimonium baptismi et confirmationis a sponsis (solum a parte catholica, si agatur de matrimoniis contrahendis cum dispensatione ab imped. disparitatis cultus) exigere, et si alteruter vel uterque non sit confirmatus, hortari ut ante matrimonium confirmetur, si possit sine gravi incommodo ; *b*) investigare utrum sponsi sint in doctrina christiana sufficienter instructi, nisi ob personarum qualitatem id inutile appareat ; si ignorent, edocere eos prima saltem doct. christ.

elementa, dum cetera peraguntur quae matrimonium praecedere debent ex iure; si instrui renuant, eos a matrimonio repellere nequit (Comm. Pont. CIC. interpr., diebus 2-3 Iunii 1818); *c*) docere sponsos, pro diversa eorum condicione, sanctitatem sacr. matrimonii, mutuas coniugum obligationes et officia parentum erga prolem; vehementer eos adhortari ut ante matrim. celebrationem diligenter confiteantur et S. Synaxi reficiantur; *d*) filiosfamilias minores hortari ne nuptias ineant, insciis vel rationabiliter invitis parentibus et, si abnuerint, m. non adsistere, nisi consulto antea loci Ordinario (can. 1020-1021, 1033-1034).

Art. 1. De sponsalibus.

530. De sponsalium natura. *Sponsalia* definiuntur promissio vera, deliberata, mutua, signo sensibili ad iuris formam expressa, futuri matrimonii, inter personas habiles ad contrahendum. Definitionem explicamus per partes.

I. Promissio **vera**, i. e. interna et seria, cum animo se obligandi et obligationem implendi. *In foro externo* promissio habetur vera et valida, nisi probetur eam fuisse *fictam; in foro interno*, qui promisit cum animo se obligandi, at sine animo obligationis implendae, vere contrahit et tenetur stare promissis; qui promisit sine animo se obligandi, licet promissionem iuramento firmaverit, ad nihil tenetur vi contractus, qui invalidus est, sed cogitur damnum illatum reparare, et si nullo alio modo reparare potest, *per se* tenetur ex iustitia matrimonium promissum inire.

II. Promissio **deliberata**, i. e. cum ea perfecta obligationis cognitione eoque pleno consensu, quae ad suscipiendam gravem obligationem requiruntur. *Deliberationi*, ut in aliis contractibus, *obstant error et metus*. *a*) Sponsalia *ex errore* contracta invalida sunt, si *error* sit circa personam; vel qualitatem, quae intendatur ut condicio sine qua non, vel dederit, licet dolo absente, causam contractui [cf. d'Ann.

p. III, n. 507 et nota (15)]. *b*) Sponsalia inita *ex metu* sive absolute sive relative gravi, iniuste incusso, iuxta plures invalida; iuxta alios valida, ut ceteri contractus (cf. n. 293, *γ*) — quia iure positivo canonico solum matrimonium et professio religiosa ex metu gravi et iniusto directe incusso sunt invalida —, sed rescindibilia. Sp. inita ex metu levi iniusto et directe incusso sunt valida, quia metus levis facile repellitur, sed rescindibilia ad petitionem eius qui metum passus est.

III. Promissio **mutua**, quia sponsalia sunt contractus bilateralis onerosus (1).

IV. Promissio **signo sensibili ad iuris formam expressa.** Iure naturae sufficiunt ea signa, quae vel ex se vel ex consuetudine vel ex adiunctis consensum exprimunt. At (cf. CIC. can. 1017) ad validitatem sponsalium tum in foro externo tum in interno praescribitur, ut vitentur damna quae e privatis sponsalibus oriebantur, haec forma, qua tenentur, nisi aliud pro peculiari regione a S. Sede statutum sit, catholici sponsalia contrahentes sive inter se sive cum acatholicis, baptizatis vel non: ut *sponsalia scripto fiant, cum appositione diei, mensis et anni* (cf. S. C. C. d. 27 Iul. 1908), a sponsis *praesentibus a*) coram Ordinario vel parocho, sive proprio alterutrius vel utriusque sponsi, sive *quolibet* dummodo intra ipsius iurisdictionem (S. C. C. d. 28 Mart. 1908), et simul cum sponsis scripturam subscribente, aut *b*) coram duobus testibus, qui scripturam simul cum sponsis subscribant. Et sive sponsalia ita contrahantur coram Ordinario vel parocho, sive coram duobus testibus, quum alteruter vel uterque sponsus nescit scribere vel actu nequit, ad validitatem id debet adnotari in scriptura et addi *alius testis*, qui scripturam cum Ordinario vel parocho aut cum duobus testibus subsignet. At *ex matrimonii promis-*

(1) Promissio unilateralis, de qua in can. 1017, licet sponsalitia dici nequeat, regitur tamen eodem iure ac sponsalia V. infra.

sione (*tum unilaterali, tum sponsalitia*) licet valida sit nec ulla iusta causa ab ea implenda excuset, **non datur actio** *ad petendam matrimonii celebrationem,* sed solum **datur actio** *ad reparationem damnorum,* si qua debeatur, et haec actio, quae est mixti fori, non suspendit celebrationem matrimonii sponsi a sponsalibus resilientis cum quovis tertio (1).

V. Promissio futuri matrimonii. Igitur sponsalium *obiectum* est futurum matrimonium, idemque validum et licitum, cum nemo possit se obligare ad matrimonium invalidum et illicitum. *Huc incidit* duplex quaestio de sponsalibus inter eos initis qui *impedimento sive impedienti sive dirimenti* laborant, et de sponsalibus initis *invitis parentibus.* A) Certum est : *a*) *Invalida* ea sponsalia esse, quae contrahuntur ab iis, qui sunt irretiti impedimento, in quo Summus Pontifex vel dispensare nequit vel nunquam solet, etsi potest ; aut impedimento *maioris gradus,* in quo dispensari solet, quum *nullam causam* sponsi habent ut ab eo dispensari possint. *b*) Item *invalida* esse, quum sponsi impedimento laborantes, in quo facile dispensationem obtinebunt quia iusta adest dispensationis causa, *absolute* contrahunt. *c*) *Valida* esse, quum impedimentum ex se aut ex contrahentium voluntate cessare debet vel potest (ex. gr. si alteruter sponsus est voto castitatis temporaneo ligatus, vel alteruter, qui acatholicus sit, vult ad fidem catholicam converti), et ea sit mens sponsis ut matrimonium contrahant quum impedimentum cessabit. *d*) Quid iuris si condicio relativa ad impedimentum adiiciatur sponsalibus, v. inferius, ubi de sponsalibus condicionatis. B) *Dissensus parentum* debet considerari, non in ordine ad sponsalia, sed in ordine ad futurum matrimonium ; res evidens est, nam si futurum matrimonium erit licitum, sponsalia erunt certo valida, etiamsi parentes relate ad ea dissentiant, tum quia nullo

(1) Cf. resp. Comm. Pont. CIC. interpr., d. 2-3 Iunii 1918, et notam quam p. 504 apposuimus.

iure ad validitatem sponsalium parentum consensus requiritur, tum quia in casu sponsalia erunt *illicita promissio rei licitae*, quae validitati non obest. Si igitur matrimonium erit *illicitum* ob iustum parentum dissensum, eo quod matrimonium cedat *in dedecus familiae* (ex. gr. m. viri cum muliere malae notae), quod filii *ex iustitia* praecavere debent, aut ex iis nuptiis *gravia scandala* vel *discidia* sint oritura, quae filii *ex caritate* impedire tenentur, sponsalia erunt certo invalida, quia nemo se obligare ad rem illicitam potest. *Disparitas condicionis* tunc tantum reddit iustum parentum dissensum, quum ex matrimonio ea scandala et discidia oritura praevideantur, quae diximus; secus, parentes iniuste dissentient, quia nihil mali in eo est quod nobilis vel dives cum plebeia vel paupere nuptias ineat. In primo casu, sponsalia erunt invalida; in altero, valida.

VI. Promissio **inter personas habiles ad contrahendum.** Erunt inhabiles ad sponsalia contrahenda qui, tum perpetuo, tum in actu contractus, sui compotes non sunt, vel matrimonium nunquam contrahere poterunt; sc. *amentes*, *infantes* ante septennium, *ebrii*. At *surdos* et *mutos* et *caecos*, quos olim canonistae vel Nostri inhabiles putabant, habiles hodie haberi et esse, nemo infitiabitur.

531. Sponsalia contrahi: A) **possunt** *condicione adiecta.* Sponsalia inita *a)* sub *condicione impossibili*, sunt invalida, nisi probetur condicionem ioco adiectam fuisse; *b) sub condicione turpi*, ante condicionem impletam, non obligant, ut patet, ad exspectandum condicionis implementum; ea impleta, fiunt absoluta, obligant in conscientia et alios effectus sortiuntur, nisi tamen condicio impleta eum rerum statum effecerit, qui substantiae matrimonii obstet; *c) sub condicione possibili et honesta*, obligant sub gravi ad exspectandum condicionis implementum; ea impleta, fiunt absoluta; *d) sub condicione « si Papa dispensaverit »*, quum agitur de impedimento in quo Papa dispensare

potest, et adest iusta dispensationis causa, ex rei natura considerari debent ut sponsalia inita sub condicione possibili et honesta; sed, quoniam ex *particularibus* Sacrarum Congregationum decretis videtur deduci posse, illa considerari ut invalida, obtenta dispensatione, tutius erit consensum renovare. — In genere, sponsalia sub condicione inita fiunt, impleta condicione, absoluta et valida nisi alter, dum eventus condicio exspectatur, consensum revocaverit; et consensus revocatio erit *illicita*, sed *valida*, iuxta graves theologos, aliis aliter sentientibus. B) **Posse** *per procuratorem*, post CIC. promulg., nonnulli negant (1).

532. **De sponsalium effectibus.** Sponsalia certo valida *a*) *obligant ex iustitia* commutativa et *sub gravi*, ut patet ex praeiudicio quod infertur alteri parti per iniustam dissolutionem; *b*) *implenda sunt* tempore praefixo, vel, si determinatum non fuit, quando alterutra pars rationabiliter exigit; *c*) *obligant*, *etiamsi* sponsus sponsalia cum alia iniverit et iuramento et copula firmaverit, sive haec alia priorum sponsalium nescia sive conscia fuerit, quia promissio de re illicita non tenet, iuramentum nequit fieri vinculum iniquitatis et copula non adimit ius *priori sponsae* quaesitum. Et si *haec* iuri suo cedat, sponsus tenetur aliam, si priorum sponsalium *nescia* erat, ducere, non vi promissionis, sed ut damna sarciat; e contra, aliam, priorum sponsalium *consciam*, nec ducere nec compensare tenetur, quia scienti et volenti non fit iniuria, sed ad prolem alendam et educandam unice obligabitur.

Sponsalia *informia* (i. e. contracta, non servata forma de qua supra) vel *occulta* nullam obligationem pariunt sive in foro externo sive in foro interno, ex can. 1017, qui quamlibet matrimonii

(1) Sed rationes, quas afferunt [ex. gr. Cerato (*Matrim. a CIC. integre desumptum, ed. 2a, pag. 16-17*)], mihi videntur rem non satis evincere.

promissionem sive unilateralem sive bilateralem, factam non servato eiusdem can. praescripto, prorsus irritat. Qui igitur, post sponsalia informia vel occulta cum puella, eam defloraverit, quia illa attendi nequeunt, *sub gravi* obligabitur non ad eam ducendam, sed ad damna reparanda, et obligatio urgeri poterit non coram Ecclesia, sed coram magistratu civili.

533. De sponsalium dissolutione. Sponsalia dissolvi possunt: A) **Per dispensationem Summi Pontificis** (non Episcopi, cui unice competit de sponsalium validitate vel de iustis dissolutionis causis iudicare); et sane, si R. P. potest in matrimonio rato dispensare, a fortiori poterit in sponsalibus, et de facto dispensat quum alter non vult obligationi stare et alter non vult iuri suo cedere, et quum dissolutio maioris momenti est quam implementum (ut ex. gr. si alteruter matrimonium civile contraxerit cum alia persona et petat ut illud coram Ecclesia validum fiat, altera parte urgente - ex adverso - obligationem e sponsalibus ortam). B) **Per mutuum consensum,** etsi sponsalia fuerunt per copulam vel iuramentum firmata, cum copula vere nihil firmitatis contractui sponsalitio addat, et obligationem iuramenti, facti in gratiam tertii, tertius remittere possit. C) **Per electionem status perfectioris,** tum quia sponsalibus tacita inest condicio: « *nisi statum perfectiorem elegero* », tum quia sponsalia inita non fuissent si vocatio ad perfectiorem statum fuisset praevisa; et *a*) *per votum perpetuae et perfectae castitatis privatum*, saltem in foro interno et saltem nisi quis illud emittat ex intentione se a sponsalibus liberandi et postea dispensationem petendi; *b*) *per professionem religiosam*, sive sollemnem sive simplicem; *c*) *per susceptionem ordinis sacri.* D) **Si res dari posse desiit,** quia *a*) *matrimonium* ab alterutro cum alia persona contractum fuit; et e Nostris alii tenent sponsalium obligationem cessare ipso facto, alii eam adhuc urgeri posse a parte inno-

cente, priore matrimonio soluto: ex qua duplici contraria sententia sequitur nec viduum posse obligari, nec aliam partem a persequendo iure impediri posse; *b*) supervenit aut, iam antea exsistens, apparuit *impedimentum dirimens*, in quo Ecclesia dispensare nequit vel non solet; at si Ecclesia in eo dispensare solet, altera pars tum liberatur, tum urgere potest ut qui impedimento irretitus est petat dispensationem, cum eum non excuset nec mora nec expensa, quae hodie minima est. E) **Per violationem fidei sponsalitiae,** quae fieri potest pluribus modis, i. e.: *a*) *Per moram in contrahendo matrimonio.* Aut enim dies apposita est, aut non. Si 1um, aut apposita est ad finiendam obligationem, et liberatur uterque, sed, qui dolo fecit, damni tenetur erga alteram partem; aut ad urgendam obligationem, et in hoc casu qui moram facit, nisi fuerit impeditus et offerat nuptias ad breve tempus, iure suo cadit, salvo alterius iure. Si 2um, in foro externo Ordinarius, in interno parochus vel confessarius pro bono et aequo iudicabunt (1). *b*) *Per fornicationem* alterutrius vel utriusque sponsi (sive ante sive post sponsalia commissam); in primo casu pars innocens liberatur, in altero *verius* uterque resilire potest. *c*) *Per nova sponsalia* ab alterutro inita; licet enim sint invalida, ratione iniuriae pars innocens liberatur. *d*) Si alteruter *alio domicilium transtulit*, invita altera parte: quod mihi non placet, sed solum de sponso, qui alio domicilium transferat,

(1) Nisi fallor, etsi sponsalia *non dant actionem* ad petendam *in iudicio* celebrationem matrimonii, ex iis, quum in forma legitima fuerunt contracta, oritur non sola ex fidelitate obligatio, quae in quavis promissione inest, sed obligatio *ex iustitia* contrahendi matrimonium; secus, cur CIC., innixus decr. *Ne temere,* formam sollemnem constituit, qua servata, sponsalia valent *in utroque foro?* Et si CIC. negat *actionem* ad petendum matrimonium, id puto Ecclesiam sapienter decrevisse, non una de caussa; sed non inde sequitur, sponsos ex can. 1017, § 3 impediri quominus ad Ordinarium deferant, via non iudiciali, quaestiones de validitate sponsalium et de causis dissolutionis vel ad R. P. preces ad dispensationem petendam.

dicendum videtur; nulla enim mutatio rerum inducitur, si sponsa alibi domicilium constituat, cum ad sponsi domicilium per matrimonium reversura sit. *e*) Si alteruter *in longinquas regiones peregre eat,* inscia vel invita altera parte, nec sit brevi reversurus. F) **Si supervenerit** vel (antea forte ignotus) **apparuit casus, in quo alteruter sponsalia minime contraxisset** (non vero, si minus libenter, at aeque contraxisset); idest *a*) si alteruter nequeat inire nuptias *sine gravi incommodo* ex. gr. sine familiae dedecore, sine gravi parentum dissensu, quin incurrat exheredationem; *b*) si qua *gravis mutatio* supervenerit, sive *corporis* (ex. gr. continuus morbus, gravis deformitas, stuprum in muliere), sive *animi* (ex. gr. si altera pars crimen admiserit quod infamiam vel grave damnum pariat, vel malos mores induerit, vel haeretica facta sit), sive *fortunarum: quo in postremo casu,* aut uterque factus est ditior, et neutri ius erit resiliendi; aut uterque pauperior et utrique ius erit recedendi, ut libertas iis sit, ad meliorem condicionem, per aliud matrimonium, assurgendi; si alteruter factus est ditior, ipse liberatur; si alteruter factus est pauperior, ipse nequit urgere nuptias, alter vero potest.

534. Sponsalibus *dissolutis alterutrius culpa,* is perdit arrhas et damni tenetur; secus, *si neutrius culpa* intercessit.

Art. 2. De bannis seu denuntiationibus et de documento status liberi.

535. **De bannis** seu **denuntiationibus.** A) *Denuntiationes matrimonii* (cf. CIC. can. 1022-1030) faciendae sunt: *a*) *Sub gravi.* Et si parochus, quin dispensationem petierit, unam omittat, leve est; si duas omittat, grave est, saltem si periculum adest ne latens impedimentum non detegatur: at id grave non erit quum periculum est remotum

vel quia matrimonium post longum tempus celebrandum erit, vel quia ideo differtur ut impedimentum, si quod sit, enotescat. Ceterum in casibus, in quibus Episcopus dispensare tenetur et adiri nequit et periculum est in mora, parochus ab iis poterit abstinere, dummodo *sciat* nullum adesse impedimentum. *Dispensare possunt* Episcopus eiusque vicarius generalis ab una ex rationabili causa; a duabus, ex gravi; ab omnibus, ex urgentissima causa, quum non adest suspicio probabilis impedimenti. Et si sponsi sint ex una eademque dioecesi, et alibi uterque vel alteruter sit aliquamdiu commoratus, loci Ordinarius poterit ex legitima causa a publicationibus etiam in aliena dioecesi faciendis dispensare. Matrimonium nequit celebrari, nisi rationabilis causa aliud postulet, ante quam tres dies decurrerint ab ultima publicatione; et, si intra sex menses contractum non fuerit, publicationes sunt iterandae, nisi aliud loci Ordinario videatur. *b) A proprio parocho* vel *a propriis*, si contrahentes sint e diversa dioecesi. In hoc casu, dispensare poterit a publicationibus ille ex duobus Ordinariis propriis, in cuius dioecesi matrimonium celebrabitur: quod si m. celebrari debeat in tertia aliqua dioecesi, utervis Ordinarius proprius dispensare potest. Parochus intelligitur sive domicilii sive quasi-domicilii; et potest sive per se sive per alium sacerdotem vel clericum delegatum matrimonium publice denuntiare. *c) In loco domicilii vel quasi-domicilii*; et si sponsi hac illac versati fuerint, satis erit quaerere a loco originis, vel prioris domicilii, vel ubi diutius commorati sint, documentum status liberi. Pro *minoribus* denuntiationes faciendae sunt vel in loco domicilii sui, si habeant, vel in domicilio illius cuius potestati subiiciuntur (can. 93); pro *vagis* in loco ubi actu morantur (can. 94, § 2), nisi Ordinarius, cuius iniussu eorum matrimonium celebrari nequit (can. 1032), etiam in loco originis eas fieri velit. *d) In ecclesia, tribus diebus festis continuis,* licet forte immediatis, *inter Missarum sollemnia* aut

inter alia divina officia ad quae populus frequens accedat (can. 1024). Et cum finis legis sit detegere impedimenta, si qua sint, *ex iusta causa* fieri possunt tum tribus diebus festis etiam discontinuis, tum festis olim de praecepto vel diebus feriatis, quoties tamen populus frequens adsit (1). — Licebit Ordinario loci publicationibus substituere publicam, ad valvas ecclesiae paroecialis aliusve cuiuslibet, affixionem nominum contrahentium per spatium saltem octo dierum, ita tamen ut, hoc spatio, duo dies festi de praecepto comprehendantur; verum uterque publicationis modus utiliter coniungitur, praesertim in magnis civitatibus.

B) Publicationes faciendae non sunt pro matrimoniis quae contrahuntur cum dispensatione ab imp. disparitatis cultus aut mixtae religionis, nisi loci Ordinarius pro sua prudentia, remoto scandalo, eas permittere opportunum duxerit, dummodo apostolica dispensatio praecesserit et mentio omittatur religionis partis non catholicae.

C) Alii parochi, qui publicationes alibi peregerint, tenentur per authenticum documentum de earum exitu certiorem facere parochum, qui matrimonio assistere debet.

D) Omnes fideles impedimenta, si qua norint, parocho aut loci Ordinario, ante matrimonii celebrationem, revelare tenentur, tum ex caritate, quia agitur de gravi damno proximi praecavendo, tum ex praecepto ecclesiastico, et *sub gravi* (nisi *iure metuant* sibi vel aliis grave damnum, vel scandalum, aut *sciant* revelationem inutilem fore vel noxiam, vel dispensationem ab impedimento in foro conscientiae habitam fuisse). Nec refert utrum impedimentum sit impediens an dirimens, cognitum directe an indirecte, simpliciter an sub secreto promisso vel *etiam* commisso (nisi tamen commissum sit *ratione officii,* ut parochi, medici, advocati, obstetricis etc. et ex revelatione sequatur infamia ipsius qui secretum commisit et non est unus ex

(1) Cf. D'Annibale, p. III. n. 453. nota 6

contrahentibus), certum an dubium vel quod iuridice probari nequeat.

536. De probatione iuridica status liberi. *a*) Praeter publicationes, investigationes faciendae sunt de statu *libero* (i. e. a matrimonio praecedenti, ab ordine sacro, a profess. religiosa et a quolibet alio canonico impedimento) contrahentium, praesertim si hi alio loco post adeptam pubertatem sex menses commorati sint, vel etiam citra sex menses, quum suspicio adest latentis impedimenti. Hac in re erit Ordinarii iudicare, et praescribere utrum eo loco faciendae sint publicationes, necne, vel aliae probationes et coniecturae super status libertate colligendae. Fere ubique status libertas probari solet iurato duorum testimonio, ad formam praescriptam ab Instruct. S. Offic. 21 Augusti 1670 et 24 Februarii 1847, apud Curiam episcopalem dioecesis ubi sponsi commorantur et etiam apud Curiam ep. dioecesis originis, modo ne ab hac in illam adhuc impuberes discesserint. Et sponsis, si in pluribus locis commorati fuerint, vel desint testes aut unus eorum, iuramentum suppletorium, ex facultate Ordinariis delegata et subdelegabili, deferendum est. *b*) *Exorto dubio de exsistentia alicuius impedimenti,* parochus rem accuratius investiget, interrogando sub iuramento, ut supra diximus, duos saltem testes fide dignos, dumne agatur de impedimento ex cuius notitia infamia partibus oriatur, et, si necesse fuerit, ipsas quoque partes; publicationes peragat et perficiat, si nondum peregerit; consulat Ordinarium, si dubium adhuc superesse prudenter iudicaverit. *c*) *Detecto impedimento certo,* si sit *occultum,* parochus petat dispensationem a S. Poenitentiaria (cf. n. 569), et interea peragat vel absolvat publicationes, si nondum peregerit vel absolverit; si sit *publicum*, et detegatur ante inceptas publicationes, parochus ulterius ne procedat, donec impedimentum removeatur, etsi dispensationem pro foro conscientiae tantum obtentam norit; si detegatur post 1^{am} vel 2^{am} publicationem,

parochus publicationes absolvat, et rem ad Ordinarium deferat (can. 1031).

537. Si vero impedimentum occultum iuris ecclesiastici (exceptis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, orta ex matrimonio non rato tantum sed etiam consummato) denuntietur vel agnoscatur (1) dum sponsi in eo sunt ut matrimonium celebrent, aut Ordinarius, aut, si hic adiri nequeat vel non possit nisi cum periculo violationis sigilli, ipsemet parochus vel sacerdos delegatus, vel sacerdos *vocatus* (cf. n. **564**, III), vel confessarius, qui impedimentum detegerint, possunt in eo dispensare (can. 1045).

Cap. III. De impedimentis impedientibus et dirimentibus.

538. **Impedimenta** matrimonii dicuntur circumstantiae quae ex iure hominem ad contrahendum matrimonium reddunt inhabilem, et siquidem ad matrimonium *licite* contrahendum, dicuntur *impedientia;* ad *licite* et *valide*, *dirimentia*. Impedientia constant lege prohibente, dirimentia prohibente unaque irritante, et m. est illicitum vel invalidum, etsi impedimentum ex una tantum parte se habet.

Supremae auctoritatis ecclesiasticae *privative* est tum authentice declarare quandonam ius divinum matrimonium impediat vel dirimat, tum alia impedimenta m. impedientia vel dirimentia pro baptizatis constituere per modum legis sive universalis sive particularis, tum impedimenta iuris ecclesiastici sive impedientia sive dirimentia abrogare aut illis derogare, tum in iis dispensare (nisi iure communi vel speciali indulto a Sede Apostolica haec potestas concedatur). Cf. can. 1038 et 1040. — Consuetudo novum impedimentum inducens aut impedimentis exsistentibus contraria in CIC. can. 1041 reprobatur.

(1) Sc. cum impedim. vel tunc solum cognoscitur, vel, quamvis antea cognitum, tunc solum ad notitiam Parochi vel Ordinarii defertur (Comm. CIC. interpr. d. 1 Martii 1921).

Art. 1. De impedimentis impedientibus.

539. Impedimenta impedientia quatuor enumerantur: *Ecclesiae vetitum, imp. mixtae religionis, cognatio legalis* et *votum*.

540. I. Ecclesiae vetitum.

Prohibitio Ecclesiae potest esse *particularis*, vel *generalis*. *Particularis* habetur quum alicui personae iusta et speciali de causa matrimonium interdicitur: ut quum sponsa habuit dispensationem a praecedente matrimonio rato ob ignorantiam rei matrimonialis vel quum adest sive fundata suspicio latentis impedimenti, sive gravis metus damnorum et litium. *Ordinarii locorum* omnibus in suo territorio actu commorantibus, et suis subditis etiam extra fines territorii sui, possunt vetare matrimonia in casu peculiari, sed ad tempus tantum, iusta de causa eaque perdurante, sed nequeunt vetito apponere clausulam irritantem, quam sola Ap. Sedes addere potest (can. 1039). *Generalis* habetur ne matrimonia ineantur: *a*) bannis seu publicationibus non praemissis; *b*) insciis aut rationabiliter invitis parentibus (cf. can. 1034 et supra n. 529); *c*) cum iis qui notorie aut catholicam fidem abiecerunt, licet ad sectam acatholicam non transierint, aut societatibus ab Ecclesia damnatis adscripti sunt (can. 1065), quo in casu parochus adsistere nequit nisi consulto Ordinario, qui, omnibus perpensis, permittere potest adsistentiam, modo urgeat gravis causa et ipsimet videatur satis consultum tum catholicae educationi universae prolis, tum remotioni periculi perversionis alterius coniugis; *d*) cum publico peccatore aut censura notorie innodato, qui recuset confiteri vel cum Ecclesia reconciliari; et parochus matrimonio assistere nequit, nisi gravis urgeat causa, de qua, si fieri possit, consulat Ordinarium; *e*) inter catholicum et acatholicum baptizatum. De

quatuor prioribus casibus expedita res est: de quinto, seu de matrimoniis mixtis, nunc videamus.

541. II. **Impedimentum mixtae religionis.** *Matrimonia mixta* (quae vetantur *lege naturali* et *divina,* tum ob periculum perversionis partis catholicae contrahentis et prolis nasciturae, tum ob communicationem in sacris inter utramque partem in nuptiis ineundis, et *lege ecclesiastica*, naturalem et divinam confirmante): A) *Valida* sunt, si non intercedant impedimenta dirimentia et si pars acatholica (haeretica vel schismatica) sit baptizata. Censetur vero rite baptizatus acatholicus ille, cuius sectae Rituale veram materiam et formam praescribit; si pars tempore contracti matrimonii habebatur communiter ut baptizata vel eius baptismus erat dubius, pro valore matrimonii standum erit donec *probetur* partem acatholicam non fuisse valide baptizatam (cf. can. 1070 et infra n. 544). B) *Licita* sunt si adfuerit *dispensatio: α) Romani Pontificis,* qui eam concedit (perraro tamen in Italia) modo hae condiciones simul concurrant: *a*) urgeant iustae et graves causae; *b*) cautionem praestiterit pars acatholica de amovendo a parte catholica perversionis periculo, et utraque pars de universa prole catholice tantum baptizanda et educanda; *c*) cautiones regulariter scriptis dentur, et moralis certitudo habeatur de cautionum implemento; *β) Episcopi, habentis* facultatem *delegatam*, quae subditos tantum respicit et cessat si agatur de Italis, qui in exteris regionibus domicilium vel quasi-domicilium non habeant. C) *Contrahuntur* coram parocho vel delegato, qui, neque vi neque metu gravi constrictus (secus matrimonium esset invalidum), interrogationes de consensu facere debet, sacris ritibus omissis: si vero ex hac omissione graviora mala praevideantur, Ordinarius poterit aliquam ex consuetis ecclesiasticis caeremoniis, exclusa semper Missae celebratione, permittere. Sed vetantur coniuges, ante vel post contractum coram Ecclesia matrimonium ex dispensatione, adire, sive

per se ipsi sive per procuratorem, ministrum acatholicum *uti sacris addictum,* ad matrimonialem consensum praestandum vel renovandum (quos si hanc legem vel iam violasse vel violaturos esse certo noverit, parochus ne assistat, nisi ex gravissimis causis, remoto scandalo et consulto antea Ordinario); si vero lex civilis iubeat, sponsis licebit adire ministrum acatholicum, *unice* qua officialem status civilis, ad actum civilem explendum, effectuum civilium gratia. — Coniux catholicus tenetur curare conversionem coniugis acatholici; Ordinarii vero aliique curam animarum habentes eiusmodi matrimonia tenentur impedire et, si nequeant, saltem curare ut ad praescripta, de quibus supra, contrahantur, et coniuges promissiones factas fideliter impleant (cf. CIC. can. 1060-1064, 1102).

542. III. **Cognatio legalis ex adoptione** (cf. can. 1059).

In **iis regionibus** ubi lege civili legalis cognatio, ex adoptione orta, nuptias reddit solum illicitas, iure quoque canonico matrimonium illicitum est.

543. IV. **Votum** (can. 1058).

Multiplex votum matrimonium impedit, seu reddit illicitum: i. e. votum castitatis perfectae (sive temporarium, quoad perdurat, sive perpetuum), virginitatis, non nubendi, ingrediendi religionem et suscipiendi ordines sacros. Tria priora matrimonio immediate et directe adversantur, etsi non eodem modo; duo posteriora mediate et indirecte, quatenus obligant ad suscipiendum statum, quocum coniuncta est obligatio servandi castitatem perpetuam ac perfectam, quae matrimonio directe adversatur. Plures voventes confundunt inter se tria priora vota. Sed voti *caelibatus* seu *non nubendi* obiectum est ut fiat illicitus *unicus* matrimonii ineundi actus; voti *virginitatis* obiectum est ut illicitus fiat *primus* actus contra castitatem consummatus, i. e. pro homine voluntaria seminis effusio sive per pollutionem sive per copulam, pro

muliere copula vel innaturalis laesio corporalis integritatis ; voti *castitatis perfectae* obiectum est ut, *etiam* ratione voti, non liceat quilibet actus, sive internus sive externus, castitati contrarius. Manente post inquisitionem dubio, si quis impulsus est ad vovendum causa declinandi onera coniugalia, *caelibatum* vovisse censendus est; si ad aureolam sibi comparandam virginitatis seu castitatis *nunquam* laesae, *virginitatem ;* si ex simplici puritatis amore, *castitatem.*

Nunc ad singula deveniamus. Et 1° qui nuncupavit **votum castitatis perfectae,** *a*) contrahens matrimonium graviter peccat, sive habeat, sive non habeat intentionem consummandi, quia voti implementum sibi impossibile reddit, tradendo alteri ius exigendi debitum; *b*) contracto matrimonio, *nisi votum cessaverit vel fuerit dispensatum,* debitum petere nequit, ne reddere quidem *nisi* quoties alter coniux iure suo utitur, et propterea non si alter per adulterium iure privetur; et, defuncto coniuge, ad votum tenetur. 2° Qui nuncupaverit **votum virginitatis,** *a*) contrahens matrimonium graviter peccat, quia voti implementum impossibile sibi reddit, nisi matrimonium virginale utrinque fiat, quod tamen hodie est graviter illicitum; *b*) si admiserit primum actum consummatum contra castitatem extra matrimonium, graviter peccavit, sed, ut patet, licite contrahit, quia de voto actum est; *c*) matrimonio contracto, primo actu consummato contra castitatem seu copula habita, graviter peccat, sed votum cessat. 3° Qui emiserit **votum caelibatus** seu **non nubendi,** contrahens matrimonium graviter peccat, et de voto actum est. 4° Qui ediderit **votum ingrediendi religionem,** *a*) contrahens matrimonium, graviter peccat ob deceptionem coniugis et ob periculum, in quod se coniecit, votum non servandi, si intendat, cum Ap. Sedis venia, ingredi religionem; *b*) matrimonio contracto, tenetur religionem ingredi, si venia accedat Ap. Sedis; *c*) matrimonio consummato, tenetur votum servare seu religionem ingredi, quoties vel alter consentit vel

per adulterium ius amisit (si forte Ap. Sedes indulserit) vel moriatur, nisi tamen propter adiuncta rerum mutata (ex. gr. aetatem gravem, prolis susceptionem, valetudinis incommoda, inhabilitatem, quae supervenerit, ad religionis munia obeunda) ingressus in religionem vel impossibilis vel nimis gravis factus sit. 5° Qui nuncupaverit **votum suscipiendi ordines sacros,** *a*) contrahens matrimonium, graviter peccat quia se coniicit in impossibilitatem servandi votum, nisi tamen intendat (quod non fit sine deceptione coniugis graviter illicita) cum venia Ap. Sedis vel dispensatione ab impedimento ad Ordines aut religionem ingredi aut sacros ordines suscipere; *b*) contracto matrimonio, poterit matrimonium consummare, sive quia susceptio sacrorum ordinum facta est impossibilis, sive quia castitatem directe non vovit; sed tenetur adhuc sacros ordines suscipere, in iisdem adiunctis, de quibus supra, ubi de voto ingrediendi religionem, excepto casu, in quo voti implementum per mutata rerum adiuncta factum sit impossibile.

Art. 2. De dispensatione ab impedimentis impedientibus.

544. **Summus Pontifex** dispensat in omnibus, ut patet; sed *sibi reservat* dispensationem in hisce impedimentis impedientibus: *a*) *mixtae religionis,* ut vidimus; *b*) *voti perfectae ac perpetuae castitatis,* emissi tum ante matrimonium, tum ab utroque coniuge, ex mutuo consensu, post matrimonium contractum (cf. n. **210**); *c*) *voti ingrediendi religionem* votorum sollemnium. **Episcopus** dispensare potest in impedimentis impedientibus Romano Pontifici non reservatis; quare dispensat *α*) *potestate ordinaria a*) a bannis seu denuntiationibus; *b*) in voto virginitatis et caelibatus seu non nubendi; *c*) in voto suscipiendi ordines sacros; *d*) ante vel post initum matr., in voto *temporario* castitatis perfectae; matrimonio inito, dispensat, ad petendum debitum,

quia periculum est in mora, in voto *perpetuo* cast. perf. emisso ab alterutro vel utroque coniuge sive ante sive post initum matrimonium ; *ε*) in casu dissensus iusti parentum. Dispensat etiam *in casibus dubiis*, quum agitur de imp. impedientibus Rom. Pontifici reservatis, et, *in casu urgentis necessitatis, certo* in voto castitatis perfectae et perpetuae, *probabiliter* (ideoque *certo*, ex CIC. can. 209) in voto ingrediendi religionem votorum sollemnium, ab imp. mixtae religionis ; *β*) *potestate delegata,* ab imp. mixtae religionis, si speciale indultum obtinuerit. **Regulares** in iis *votis* dispensant, in quibus potestate ordinaria Episcopi dispensare possunt.

Art. 3. De impedimentis dirimentibus.

§ 1. *De lege statuente impedimenta dirimentia.*

545. De potestate statuendi impedimenta dirimentia. Ecclesia, eaque unice, potestatem habet statuendi impedimenta, quae matrimonium invalident. Et sane, cum ratio contractus (et est fidei proximum) nequeat separari a ratione sacramenti, et soli Ecclesiae a Deo data sit potestas statuendi quae ad valide (nedum licite) sacramenta suscipienda requiruntur, hoc ipso soli Ecclesiae competit statuere quando habeatur, vel non, validus contractus matrimonialis. — Episcopi et Concilia particularia per se possent statuere impedimenta impedientia vel dirimentia in sua iurisdictione ; sed Gregorius IX hanc potestatem Rom. Pontifici reservavit, ut unica legislatio in re tanti momenti fideles teneret. Potestas vero civilis potest ex se ipsa moderari *effectus civiles*, quibus tamen nequit matrimonium coram Ecclesia validum destituere et matrimonium coram Ecclesia invalidum munire ; insuper auctoritas civilis potest, ex communi sententia, moderari matrimonia infidelium sibi subditorum et etiam, relate ad ea, statuere impedimenta

dirimentia; hanc vero potestatem, civili auctoritati competentem, alii aliunde derivant.

546. De lege impedimentorum dirimentium. Hodie impedimenta matrimonium dirimentia vigent quindecim, quae hisce versiculis continentur (1):

(1) *Error*, (2) *condicio*, (3) *votum*, (4) *cognatio*, (5) *crimen*, (6) *cultus disparitas*, (7) *vis*, (8) *ordo*, (9) *ligamen*, (10) *honestas*, (11) *aetas*, (12) *affinis*, *si* (13) *clandestinus*, *et* (14) *impos*, (15) *raptave sit mulier nec loco reddita tuto*.

Impedimenta dirimentia a) *ratione originis*, id est auctoritatis, quae ea constituit, alia sunt *iuris naturalis* (*error*, *impotentia*, *consanguinitas in primo gradu lineae rectae*), alia *iuris positivo-divini* (*ligamen*), alia *iuris ecclesiastici* (*consanguinitas* in ulterioribus gradibus lineae rectae et in linea collaterali, et reliqua omnia); *b*) *ratione dispensationis*, alia *indispensabilia*, sc. in quibus Ecclesia dispensare non potest (i. iuris naturalis et positivo-divini) vel non solet (nonnulla iuris ecclesiastici), alia *dispensabilia*, i. e. in quibus Ecclesia dispensare solet (fere omnia i. iuris ecclesiastici); *c*) *ratione finis immediati* et *iuris impugnandi matrimonium*, alia *iuris privati* (error, condicio, metus, impotentia), quorum finis immediatus et praecipuus est bonum privatum contrahentium et quorum validitas impugnari debet proxime ab ipsis contrahentibus, quibus instantibus iudex ecclesiasticus procedit; alia *iuris publici* (*reliqua*), ad bonum commune principaliter statuta, quorum impugnatio pertinet ex officio ad iudicem ecclesiasticum; *d*) *ratione notitiae*, alia *publica*, quae sc. iam ita innotuerunt ut celari amplius nequeant, et rursus vel *natura sua publica* (consanguinitas, affinitas, publica honestas ex publico vel notorio concubinatu, cognatio spiritualis), vel

(1) In CIC. error, vis, metus, clandestinitas non recensentur inter imp. dirim., sed iis fit locus ubi de consensu matrim. et de forma celebrationis matr.

natura sua occulta et *facto publica* (quae ex actione occulta oriuntur sed iam ita innotuerunt ut celari amplius nequeant); alia *occulta*, vel *omnino* (ut quum de iis unice confessario et nupturienti constat), vel *simpliciter*, quum iam aliquibus de iis constat; alia *materialiter publica* et *formaliter occulta*, quum factum, unde impedimentum exsurgit, publicum est sive in se totum sive in nonnullis adiunctis, sed nescitur ex eo facto induci impedimentum, vel adiuncta ignorantur e quibus impedimentum oritur. Impedimenta dirimentia in quatuor classes distribui possunt: alia enim dirimunt *a*) *ob defectum validi consensus* (error, condicio, vis, aetas, raptus); alia *b*) *ex defectu materiae,* quia vel deest omnino (ut in impotentia) aut deest in contractu praesenti, quia iam alteri tradita (ut in ligamine); alia *c*) *ob defectum formae* (clandestinitas); alia *d*) *ob defectum habilitatis in contrahentibus* (reliqua). Sed nos sequemur ordinem, quem versiculi exhibent.

Impedimenta alia sunt (CIC. can. 1042) *gradus minoris,* alia *maioris.* I. gradus minoris sunt *consanguinitas in tertio gradu lineae collateralis*, *affinitas in secundo gradu lineae collateralis*, *publica honestas in secundo gradu, cognatio spiritualis, crimen ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per civilem tantum actum.* Reliqua omnia sunt maioris gradus (cf. n. 571, *c*).

547. De extensione legis, i. e. **quosnam lex obliget.** Lex statuens impedimenta dirimentia *obligat a*) omnes catholicos; *b*) haereticos (et schismaticos), cum Ecclesia semper declaraverit ex nulla, ne longissimi quidem temporis, consuetudine haereticos eximi a legibus Ecclesiae matrimonialibus; excipienda tamen lex clandestinitatis, in casibus de quibus infra n. 560, 3°. *Non obligat* infideles, in quos nulla est Ecclesiae potestas. At impedimenta possunt *indirecte* infideles afficere: *a*) quum enim, ex Ecclesiae dispensatione, fidelis contrahit cum infedeli, vel *b*) quum alteruter e coniugibus

infidelibus ad fidem convertitur, ratione connexionis pars infidelis Ecclesiae indirecte subest.

Ignorantia, etsi invincibilis, non excusat ab impedimento incurrendo, hodie ne *criminis* quidem, quia leges irritantes semper effectum suum sortiuntur, ob bonum commune (cf. can. 15, 16).

Grave incommodum privatum non excusat generatim a lege impedimenta statuente, quia haec est irritans; sed vidimus quid agendum, quum impedimentum occultum detegitur immediate ante celebrationem matrimonii (1).

548. De effectibus legis. 1° **In casu impedimenti certi,** matrimonium, si contrahatur, nullum omnino erit; et si contrahentes ignorent se impedimento ligari, peccabunt materialiter tantum; si sciant, graviter peccant contrahendo et, si vitam coniugalem agant, tamquam concubinarii habendi sunt. 2° **In casu impedimenti dubii,** aut impedimentum est iuris naturalis vel positivo-divini, aut iuris ecclesiastici tantum. A) *Si imped. est iuris naturalis vel positivo-divini a) in dubio iuris,* id est quum certo nuptiae indecentes et illicitae sunt, sed dubitatur utrum irritae sint ex lege naturali (ex. gr. in consanguinitate in primo gradu lineae collateralis), nuptiae iniri nequeunt propter certam indecentiam et probabilem nullitatem, cui sacramentum exponere non licet; *b) in dubio facti,* nequit matrimonium iniri, quia contrahens est in perpetuo periculo aliquid intrinsece malum perpetrandi (2). B) *Si impedimentum sit iuris ecclesiastici tantum a) in dubio iuris,* quum dubitatur utrum actio aliqua certo admissa impedimentum inducat seu cadat sub lege irritante, licet contrahere, quia Ecclesia supplet et notum effatum est: impedimentum dubium, impedimentum nullum; *b) in dubio facti,* i. e. quum dubitatur utrum actio

(1) Cf. n. 537.
(2) Sed tamen cf. n. 561, ubi de impotentia dubia; de contradictione sapientioribus iudicium esto.

fuerit, necne, admissa, quae, si certo admissa, impedimentum induxisset, matrimonium contrahi nequit nisi dispensatio habita fuerit. Et ex CIC. can. 15, Ordinarius dispensat. 3° **In casu impedimenti putativi,** haec valent: *a*) si quis, putans *certo* impedimentum adesse, illud parvi pendit, ita ut statuat in concubinatu vivere, matrimonium invalidum est quia consensus non ferebatur in verum matrimonium; *b*) si quis, putans *probabiliter* impedimentum adesse, contraxit et postea certior factus est impedimentum defuisse, valet matrimonium, quia contraxit consensu implicite condicionato, sc. in quantum poterat; *c*) si quis, putans *certo* impedimentum intercedere, contrahit tamen dolens et non audens illud manifestare ne matrimonio arceatur neve infametur, probabilius matrimonium valet ob voluntatem praedominantem illud contrahendi, sed ad cautelam consensus renovandus erit (cf. can. 1085).

§ 2. *De singulis impedimentis dirimentibus.*

549. I. Error (*iuris naturalis*).

Error *a*) circa *obiectum* matrimonii (ut si quis ignoret per illud ius tradi in corpora contrahentium), invalidat matrimonium; *b*) circa *matrimonii unitatem, indissolubilitatem, dignitatem sacramentalem,* etsi det causam contractui, *non* invalidat, *nisi in casu* quo error recidat in *conditionem sine qua non* (cf. can. 1084); *c*) circa *personam,* vel circa *qualitatem* quae *redundat in personam,* i. e. quae intenditur ut *condicio sine qua non* (si quis contrahat, quia mulierem putat virginem et sub ea condicione: secus, nolit contrahere), vel ut *determinativa personae* (ex. gr. duco primogenitam principis N., quam puto esse hanc Annam) matrimonium nullum reddit; *d*) *accidentalis,* i. e. circa qualitatem, quae non redundat in personam, non invalidat matrimonium (cf. can. 1083).

550. II. **Condicio** (*i. ecclesiastici*).
Impedimentum hoc abest, si uterque sponsus servus est, vel si sponsus liber noverit, ante quam matrimonium ineat, condicionem servilem alterius. Matrimonium invalidum est si pars libera ignoret condicionem alterius servilem; sed si, errore detecto, renovet consensum, matrimonium constat (cf. can. 1083, § 2, 2°).

551. III. et VIII. **Votum** et **Ordo** (*iuris ecclesiastici*).
Dirimit matrimonium votum sollemne castitatis perpetuae, sive explicitum, ut in professione religiosa, sive implicitum, ut in susceptione subdiaconatus; sed necesse est (ut impedimentum adsit) in professione religiosa votum fuerit deliberate emissum et cum voluntate se obligandi, et, quod ad ordinem sacrum attinet, ut susceptio subdiaconatus sit voluntaria et ordinatio valida. Cum acceptatio Ecclesiae constituat voti sollemnitatem, imp. hoc est i. ecclesiastici et in eo R. P. ex gravi causa dispensat (can. 1072-1073).
Ex Const. *Ascendente Domino* Gregorii XIII, confirmata per Const. *Dolentes* Leonis XIII, vota simplicia scholasticorum et coadiutorum S. I. dirimunt matrimonium, et in iis dispensare potest Praep. generalis.

552. IV. **Cognatio** (*partim iuris naturalis, partim iuris ecclesiastici*).
Cognatio in genere definitur propinquitas personarum orta ex generatione; et pro diversa generationis ratione diversa cognatio exsurgit; idest ex generatione naturali cognatio *naturalis* seu *consanguinitas*, ex regeneratione spirituali *spiritualis* cognatio, ex adoptione cognatio *legalis*.
1° **Consanguinitas**, quae potest oriri tum ex copula licita, tum ex illicita, definitur vinculum quarumdam personarum inter se, eo quod ex uno eodemque communi stipite proximo per carnalem generationem descendunt.
In consanguinitate plura attendi debent: *a*) *Stipes*

(seu persona), a quo alii ducunt communem originem. *b*) *Linea,* seu series personarum descendentium, et quidem *recta,* si una ab altera descendit, sive *immediate* ut filius a patre, sive *mediate* ut nepos ab avo ; *obliqua* (seu *collateralis, transversalis*), quum una ab altera non descendit sed habent communem stipitem. In linea *recta,* quaecumque persona consideretur, ii, a quibus ea persona originem habet (idest pater, avus, proavus etc.), dicuntur *adscendentes ;* qui ab eadem persona originem ducunt (ut filius, nepos, pronepos etc.), dicuntur *descendentes.* Linea *collateralis* dicitur *aequalis,* si personae in varia linea collaterali collocatae eodem gradu a communi stipite distant ; *inaequalis,* si diverso gradu ; ita ex. gr. duo fratres sunt lineae collateralis aequalis: frater et fratris filius sunt l. c. inaequalis. *c*) *Gradus,* seu mensura distantiae unius personae ab altera in eadem linea, sive recta, sive collaterali ; et erit *simplex,* si in linea collaterali varia gradus est aequalis ; mixtus, si inaequalis, ex. gr. duo fratres sunt in primo gradu, frater et fratris filia sunt in secundo gradu *mixto* cum primo, vel *tangente* primum.

Ad gradus computandos triplex regula statuitur: *a*) in *linea recta* tot sunt gradus quot personae, stipite dempto (i. e. quot generationes) ; *b*) in *linea collaterali aequali* tot sunt gradus, quot personae ex una parte, stipite dempto, sc. duae personae eo gradu sunt consanguineae, quo gradu a communi stipite distant ; *c*) in *linea collaterali inaequali* tot sunt gradus, quot personae ex parte remotiore, stipite dempto, sc. duae personae eo gradu sunt consanguineae, quo gradu remotior distat a stipite. *In iure civili italico,* gradus computantur in linea recta item ac in iure canonico ; in linea collaterali gradus utriusque partis adduntur : ex. gr. frater et fratris filia iure canonico sunt in secundo gradu mixto cum primo seu tangente primum, iure civili italico sunt in tertio gradu.

Sed potest dari *multiplex consanguinitas,* ex qua *multiplex impedimentum consanguinitatis* oritur.

Consanguinitas est multiplex, quoties vel *a*) duae personae ex eodem stipite multiplici via descendunt, vel *b*) e pluribus stipitibus descendentes, in iisdem simul conveniunt. Tres casus multiplicis consanguinitatis dari possunt. *Primus casus*: si quis cum persona sibi consanguinea matrimonium init et ex ea prolem habet. In tabula, quam hic ponimus, cum Paschasius duplici via ex eodem



stipite Bonaventura descendat, id est ex parte matris Idae et ex parte patris Mauritii, etiam cum Amalia *duplici consanguinitate* ligatur in tertio gradu aequali lineae collateralis. *Secundus casus:* si personae inter se consanguineae ducunt in matrimonium personas item inter se consanguineas, et ex iis prolem habent, ut quum duo fratres ducunt duas sorores. Heic proles ex una parte et ex altera descendit ex duplici diverso stipite et in utroque convenit. In tabula, infra posita, Ioannes et Da-



rius, filii Petri, ducunt Veliam et Lauram, filias Ioachimi. Michael, nepos Ioannis et Veliae, et Adelaides, neptis Darii et Laurae, sunt *dupliciter consanguinei,* quia conveniunt in duplici diverso stipite Ioachimo et Petro, in tertio gradu aequali lineae collateralis. *Tertius casus* habetur quum aliquis habet prolem ex pluribus consanguineis, ut ex. gr. si quis, priore uxore defuncta, ducat eius sororem. In tabula, quam heic exhibemus,



Franciscus ducit in matrimonium Martham, et, hac defuncta, huius sororem Ritam. E priore matrimonio nata est Candida, ex altero Hieronymus. Stephanus, Candidae filius, et Anna, Hieronymi filia, conveniunt in duplice stipite Francisco et Carolo; et sunt *dupliciter consanguinei* in secundo gradu aequali lineae collateralis, quatenus e Francisco stipite descendunt, in tertio gradu aequali lineae collateralis, quatenus e stipite Carolo descendunt.

Hisce praehabitis, reliquum est ut dicamus (cf. CIC. can. 1076): A) **e consanguinitate** oriri **impedimentum dirimens usque ad tertium gradum** inclusive: *ita tamen,* ut in linea recta, ex iure tum naturali, tum canonico, consanguinitas dirimat *in infinitum* inter omnes ascendentes et descendentes tum legitimos tum naturales; in linea collaterali dirimat ad tertium gradum, sed non ad remotiorem mixtum cum propinquiore, ex. gr. ad quartum tangentem tertium, imo vel secundum; B) *a) in primo gradu lineae rectae* (inter patrem et filiam, matrem et filium) impedimentum certo di-

rimere *ex iure naturae,* in reliquis gradibus lineae rectae pariter dirimere *iure naturae* non absoluto et primario, sed secundario, *etsi nonnulli tenent* matrimonium esse illicitum sed validum; dicitur: *ex iure secundario naturae,* quia res non eam repugnantiam induit, quam matrimonium in primo gradu; *b) in primo gradu lineae collateralis* (inter fratres et sorores) certo dirimere *ex iure naturae* secundario, quia ex necessitate inter filios et filias Adami huiusmodi matrimonia intercesserunt (haec eo spectant ut decerni possit de validitate matrimoniorum inter infideles, qui ad fidem convertuntur); *in reliquis gradibus lineae collateralis* impedimentum esse iuris ecclesiastici; C) imp. consanguinitatis *multiplicari toties tantum, quoties* **communis stipes** *multiplicatur,* sc. in *secundo* et *tertio* casu, de quibus paulo ante diximus, minime vero *in primo casu* (1).

2° **Cognatio spiritualis** (iuris ecclesiastici), oritur sive ex baptismo sive ex confirmatione tum inter ministrum et subiectum, tum inter patrinos et subiectum; sed impedimentum exsurgit *tantummodo ex baptismo* (can. 768). Ut impedimentum contrahatur, requiritur: A) ex parte *baptizantis*, ut sit baptizatus: quare si iudaeus ex. gr. baptizaverit, non contrahit; diximus iam (cf. n. 425) patrem et matrem baptizandi, si ex necessitate vel de industria ipsimet baptizaverint, non contrahere impedimentum; B) ex parte *patrinorum,* ut non sint *inidonei* ad validitatem (cf. n. 430), et baptizandum in actu baptismi per se vel per procuratorem physice teneant aut tangant, vel statim levent seu suscipiant de sacro fonte aut de manibus baptizantis; C) ex parte rei, ut baptismus fuerit *validus;* in dubio de validitate, impedimentum non contrahitur. Quare *a)* in baptismo privato, sc. domi sine sollemnitatibus administrato, imp. contrahitur

(1) Ante diem 19 Maii 1918 consanguinitas dirimebat usque ad quartum gradum inclusive in linea collaterali, et impedimentum multiplicabatur etiam *in primo casu.*

tum a baptizante tum a patrinis, licet *per se* patrinos adhiberi pertineat ad caerimonias baptismi; *b*) in caerimoniis unice supplendis a nullo contrahitur; *c*) in baptismo, qui *secundo* sub condicione confertur, si iidem baptizans et patrini in utroque baptismo adhibiti sunt, contrahunt impedimentum; si in *altero* tantum patrini interfuerunt, vel baptizans et patrini non fuerunt iidem, nulli contrahunt (cf. can. 762, 763) (1).

3° **Cognatio legalis** est propinquitas personarum quae ex adoptione oritur. *Adoptio,* alia *a*) *perfecta,* quum aliquis, *sui iuris,* transit in potestatem et familiam adoptantis et fit heres necessarius (*adrogatio* iure romano); alia *b*) *imperfecta,* qua aliquis, *non sui iuris,* adoptatur, non tamen transit in potestatem et familiam adoptantis, et fit tantum heres *legitimus* seu ab intestato.

Qui lege civili inhabiles ad nuptias inter se ineundas habentur ob cognationem legalem ex adoptione ortam, nequeunt vi iuris canonici matrimonium inter se valide contrahere (can. 1080).

Igitur apud nos (ex C. C. I. art. 60) cognatio legalis *dirimit: a*) *quasi in linea recta* inter adoptantem, adoptatum et huius descendentes; *b*) *quasi in linea collaterali* tum inter diversos filios adoptivos eiusdem personae, tum inter adoptatum et filios qui adoptanti supervenerint; *c*) *quasi per modum affinitatis,* inter adoptantem et coniugem adoptati, inter adoptatum et coniugem adoptantis (2). Notandum apud nos adoptionem plus minus imperfectam vigere.

(1) Ante diem 19 Maii 1918, imp. cogn. spirit. exsurgebat etiam ex confirmatione, et aderat quoque inter ministrum et parentes subiecti, inter hos et patrinos.

(2) Ante diem 19 Maii 1918 *sola adoptio perfecta* inducebat impedimentum, et *a*) *quasi in linea recta* inter adoptantem et adoptatum *perpetuo;* ad *quartum* vero *gradum* inter adoptantem et descendentes adoptati, quousque hi manerent sub paterna potestate; *b*) *quasi in linea collaterali* inter adoptatum et liberos adoptantis, sc. *ad primum gradum,* sed tamen quousque duraret adoptio vel liberi essent sub aeterna adoptantis potestate; *c*) *quasi per modum affinitatis,* eodem modo et iisdem terminis quibus nunc dirimit.

553. V. Crimen (*iuris ecclesiastici*).

Hoc impedimentum oritur:

1° Ex **adulterio,** *vero* (quum sc. *saltem alteruter* est valido matrimonio coniunctus); *consummato* (sc. cum copula perfecta), quod tamen in foro externo semper praesumitur; *formali utrinque* (idest, quum uterque scit alterutrum esse coniugatum); *quocum coniungatur* vel *a) vera promissio* futuri matrimonii, *vivente coniuge, utrinque facta, incondicionata,* sive *ea* adulterium *praecedat* (modo *ante adulterium non* fuerit *retractata*), sive *comitetur*, sive *subsequatur;* vel *b) matrimonii de praesenti attentatio* (etiam *per actum civilem tantum*, vel coram ministro haeretico), facta *scienter* (relate ad praeexsistens coniugium).

2° Ex **coniugicidio,** dummodo adfuerit *mutua opera*, et *mors* realiter *secuta sit ex actione* physica vel morali *alterutrius.*

3° Ex **utroque simul,** dummodo *a) adulterium* omnes condiciones prae se tulerit, quas superius (1°) indicavimus; *b) post adulterium,* quamvis *altero inscio* vel *invito,* coniugicidium cum secuta morte ab alterutro fuerit patratum.

Duplex impedimentum criminis exsurgit, *in 1° casu*, si ambo sunt coniugati et uterque id novit; *in 2° casu,* quando uterque coniugatus est et utriusque coniux occiditur; *in 3° casu,* quum uterque coniugatus est et uterque coniugem suum occidit (cf. can. 1075).

554. VI. Cultus disparitas (*iuris ecclesiastici* qua *dirimens;* iuris *naturalis-divini* qua *prohibens*).

Disparitas cultus heic intelligitur *perfecta,* id est quae exsistit inter baptizatum in Ecclesia catholica vel ad eam ab haeresi et schismate conversum, (etsi postea vel primum vel denuo ab Ecclesia defecerit) et non baptizatum (*imperfecta* idem est ac *mixta religio,* quae matrimonium *impedit*) *;* qua *prohibens* est *iuris naturalis,* ob perversionis periculum, et *positivo-divini* ex Ap. Pauli verbis (II Cor. VI, 14): « *nolite iugum ducere cum infidelibus* »; qua *diri-*

mens est certo iuris ecclesiastici, non enim vigebat in Ecclesiae primordiis inter christianos et ethnicos et, ex consuetudine plurium saeculorum, ratihabita postea ab Ecclesia, inductum fuit primum inter christianos et hebraeos, deinde inter baptizatos et quoslibet non baptizatos. Solus Pontifex in hoc impedimento dispensat, at perraro et sub iisdem *saltem* condicionibus, quae in dispensatione ad matrimonium mixtum contrahendum exiguntur (cf. can. 1070-1071).

Huc incidit quaestio *de dubio baptismo*, quae respicit etiam matrimonia mixta; i. e. quaeritur quid iuris, si matrimonium iniri debeat vel initum sit inter certo baptizatum et dubie baptizatum. *a*) Si matrimonium ineundum sit, accurate inspiciendum de valore baptismi; si hic *certo validus*, post inquisitionem, appareat, dispensatio ab imp. impediente mixtae religionis petenda; si *certo invalidus*, dispensatione opus est ab imp. dirim. disparitatis cultus; si *dubius* adhuc videatur, petenda est disp., casu exposito, ab Ap. Sede. *b*) Matrimonio inito, si pars tempore contracti matrimonii tamquam baptizata communiter habebatur aut eius baptismus erat dubius, standum est pro valore matrim., donec certo probetur alteram partem baptizatam esse, alteram vero non baptizatam (can. 1070).

555. VII. **Vis** seu **metus** (certo *ex iure ecclesiastico*, *probabilius etiam ex iure naturae*).

Heic *vis* nomine intelligitur *non modo* coactio absoluta externa, ex qua fit, ut consensus exterius detur, repugnante interius voluntate, sed coactio moralis, quae metum producit; Ecclesia consensum ex metu (qui consensus *per se* adest) declarat invalidum, ut matrimonii plenae libertati consulat. Et si plures ideo *negant* metum dirimere matrimonium ex iure naturae, quod metus eum non tollit voluntatis consensum qui ex iure naturae ad validitatem cuiuslibet contractus requiritur, alii *affirmant*, quia metus ex iure naturae non reddit contractus invalidos, sed facit rescindibiles, et,

cum matrimonium sit indissolubile, necessario sequitur illud, ex metu contractum, debere esse, ex iure naturae, invalidum ab initio.

In hoc impedimento dispensari nequit, et inhabilitas ad contrahendum tamdiu perdurat, quamdiu metus permanet; matrimonium vero contractum, quousque metus perdurat, non revalidatur etiam per plures annos cohabitationis maritalis, sed, *cessante metu*, revalidatur renovando consensum iis modis de quibus n. **591.**

Metus *a*) *gravis,* sive absolute, sive relative, matrimonium dirimit si fuerit *iniuste incussus* (non ex. gr. si defloratori a iudice cogatur, uti fieri dicitur in quibusdam Americae Septent. Statibus), *ab extrinseco* (contra, si ab intrinseco, ut si quis ex. gr. concubinam ducat ex metu gehennae), a quo ut quis se liberet, eligere cogatur matrimonium; *b*) *levis,* etsi iniustus et directe incussus ad extorquendum consensum, non dirimit, tum quia efficaciter in consensum non influit, tum ex iuris positivi statuto, quia innumera matrimonia cum societatis damno solverentur; *c*) *dubie gravis* non dirimit, quia sacramento debetur reverentia et in dubio standum est pro matrimonio; *d*) *reverentialis* dirimit vel non, prout adiuncta suadeant eum relative gravem vel dubie gravem vel levem fuisse (can. 1087).

556. IX. **Ligamen** (*iuris positivo-divini*).

Ligamen est matrimonium praecedens adhuc perseverans.

Invalide matrimonium attentat qui vinculo tenetur prioris matrimonii, quamquam non consummati, salvo privilegio fidei; et quamvis prius matrimonium sit in se irritum aut solutum fuerit qualibet ex causa, non ideo licet aliud contrahere, antequam de prioris nullitate aut solutione legitime et certo constiterit (can. 1069).

Si vero res sit de praesumpta morte prioris coniugis, item, ut novum matrimonium iniri possit, requiritur *moralis certitudo* (nec sufficit probabi-

litas licet maxima) de obitu prioris coniugis. Ad eam comparandam, Ordinarii, ex quorum sententia de morte constare debet, Instructionem S. Off. (a. 1868) prae oculis habere tenentur. Mors debet probari per testimonium *authenticum* ex. gr. parochi loci, ubi coniux dicitur obiisse (*civile* non semper sufficit, ut post bellum et cladem aliquam, puta terrae motum) et, si illud haberi nequeat, *per plures testes immediatos*. His deficientibus, *sola absentia*, quantacumque ea est, non probat; sed satis erunt *duo testes immediati*, et aliquando etiam *unus* testis immediatus, modo sit fide dignus et *alia veritatis indicia* accedant unicae depositioni. Si *nec unus* immediatus testis suppetat, videndum an *mediatis testibus* mors probari possit; secus aliae *praesumptiones* et adiuncta investiganda sunt. Praesumptiones possunt esse ex. gr. optima coniugis fama sive relate ad pietatem sive relate ad dilectionem erga alterum coniugem; consideratio causarum, quas se occultandi habere possit; si miles, inquirendum apud duces; si negotiator, a sociis; per ephemerides et diaria investigandum etc.: quibus omnibus perpensis, et, praevio consilio theologorum et peritorum virorum, Ordinarius, si de morte constet, sententiam ferat « de morte constare »; si dubium permaneat, rem ad S. Sedem deferat.

Matrimonium initum sine sufficienti certitudine de morte alterius coniugis *a*) *invalidum* est si postea constet eo tempore, quo contractum fuit, alterum coniugem superstitem fuisse, neque ob mortem deinde secutam fit validum, nisi accedat novus consensus; *b*) *validum* est, si, quo tempore fuit contractum, alter coniux obierat, et contrahentes aut bona fide putarunt nuptias posse iniri aut, si in dubia fide, contrahere tamen voluerunt *in quantum poterant*; *c*) *invalidum*, si contrahentes, scientes se non posse contrahere, contenti fuerunt in concubinatu vivere, etsi coniux iam tum obierat, quia consensus non ferebatur in verum matrimonium.

557. X. Honestas publica (*iuris ecclesiastici*).
Impedimentum *publicae honestatis* (can. 1078) oritur ex matrimonio invalido, sive consummato sive non, et ex publico vel notorio concubinatu; et nuptias dirimit *in primo et secundo gradu lineae rectae* inter virum et consanguineas mulieris (i. e. mulieris aviam, matrem, filiam, neptem) et inter mulierem et consanguineos viri (i. e. viri avum, patrem, filium, nepotem). Proinde exsurgit etiam ex matrimonio *civili*, et cessat vim habere declar. S. C. C. 13 Mart. 1879, a Leone XIII d. 17 c. m. adprobata. Publica honestas habet rationem cuiusdam propinquitatis et quasi affinitatis, innixae non coniunctione sanguinis, sed animorum (1).

558. XI. Aetas (*iuris ecclesiastici*).
Hoc impedimentum est iuris ecclesiastici, quia iure naturae, praeter consensum, ad matrimonium ineundum non requiruntur nisi corpora habilia, etsi *non proxime;* et Ecclesia in eo dispensare non solet.

Ad matrimonium *valide* contrahendum requiritur annus *decimus sextus completus* pro *maribus, decimus quartus completus* pro *feminis.* Sed tamen (cf. can. 1067) avertendi sunt iuvenes a contrahendo m. ante eam aetatem, qua, secundum receptos regionis mores, m. contrahi solet. — C. C. I. statuit mulieres non posse contrahere nisi quinto de-

(1) Hoc impedimentum ante d. 19 Maii 1918 oriebatur: *a*) *ex sponsalibus validis*, sive absolutis sive condicionatis — condicione tamen impleta —, etiamsi ea fuissent postea, ex iusta causa, soluta, *dirimendo usque ad primum gradum* (ex. gr. inter sponsum, et matrem, sororem, filiam sponsae); *b*) *ex matrimonio rato, sive valido sive invalido* (modo non fuisset *invalidum ex defectu consensus*, quia deerat in casu *animorum coniunctio*, quae est impedimenti fundamentum, vel *ex imped. aetatis*, quia consensus ille de praesenti praestitus, post decretum *Ne temere*, non poterat iam haberi in iure ut consensus validus de futuro, seu constituere sponsalia, vel *ex imped. clandestinitatis*, ob hanc eamdem rationem), *dirimendo usque ad quartum gradum* inclusive; *c*) *ex matrimonio invalido consummato*, *item* usque ad quartum gradum inclusive.

cimo a. completo, mares nisi duodevicesimo completo (1).

559. XII. **Affinitas** (*iuris ecclesiastici*).

Affinitas est propinquitas personarum, orta ex matrimonio valido sive rato tantum, sive rato et consummato, inter virum et consanguineos mulieris, inter mulierem et consanguineos viri (can. 97).

In affinitate est quaedam lineae species, eaque tum recta tum collateralis: recta, quae continet alterius adscendentes et descendentes; collateralis, quae continet eius collaterales. Quo gradu quis est consanguineus uni ex coniugibus, eo gradu est alteri affinis. Sed ut in consanguinitate, ita in affinitate datur *multiplicitas;* et impedim. affinitatis multiplicatur *a*) quoties multiplicatur impedimentum consanguinitatis a quo procedit; *b*) iterato successive matrimonio cum consanguineo coniugis defuncti.

Affinitas dirimit in linea recta in infinitum; in linea collaterali usque *ad secundum gradum* inclusive. Notandum de cetero, non adesse, ut evidens est, affinitatem inter consanguineos unius coniugis et consanguineos alterius, saltem vi matrimonii; quare duo fratres possunt ducere duas sorores, viduus eiusque filius viduam huiusque filiam, imo filius vidui viduam, viduus viduae filiam, quia *affinitas non parit affinitatem* (2).

(1) Antea erat iure invalidum matrimonium *impuberum* (sc. ante a. 12 completum pro feminis, 14 compl. pro maribus), *nisi malitia suppleret aetatem.* Quare, etsi regulariter potentia *proxima* generandi adest a. 14 pro feminis, a. 18 pro maribus, si praematura adfuisset habilitas mentis et corporis (uti in regionibus calidis fit), de qua Episcopi erat iudicare, matrimonium ab impuberibus valide contrahebatur, etiam sine dispensatione, quia praesumptio iuridica inhabilitatis ante pubertatem debebat cedere veritati.

(2) Affinitas antea oriebatur tum *a*) ex copula licita (sc. matrimonio valido vel invalido *bona fide* contracto, utroque consummato), tum *b*) ex c. illicita (et in casu m. invalidi *mala fide* contracti et consummati); in casu *a*) dirimebat ad quartum gradum inclusive; in casu *b*) ad secundum gradum

Affinitas in linea tum recta tum collaterali dirimit *ex iure ecclesiastico:* certum enim est *affinitatem* induci ex iure naturae, sed non inde sequitur *impedimentum* exsistere et dirimere ex iure naturae. Ecclesia tamen dispensare non solet ab affinitate in linea recta (cf. n. 563).

560. XIII. **Clandestinitas** (*iuris ecclesiastici*). Impedimentum *clandestinitatis* in eo est, quod matrimonium, *clandestine*, i. e. sine sollemnitatibus ab Ecclesia ad validitatem praescriptis celebratum, invalidum sit.

Iis omissis, quae formam veterem Tridentinam ex decr. *Tametsi* respiciunt et quibus reguntur matrimonia ante d. 19 Aprilis 1908 contracta (at in Sinarum imperio ante d. 11 Aprilis 1909) — de iis enim abunde apud omnes auctores —, exponemus *ius novum* inductum per decretum *Ne temere,* quod vigere coepit diebus superius notatis *respective* pro universo orbe et pro imperio Sinensi, et per novum Codicem iuris canonici (can. 1094-1099).

1° **Quid ad matrimonii validitatem requiratur.** A) Validum est illud matrimonium quod contrahitur coram Ordinario vel parocho loci vel sacerdote ab alterutro delegato, et duobus testibus, *intra limites territorii eorum* (in quo ipsi valide nedum subditorum, sed etiam alienorum matrimonio adsistunt), dummodo *a*) beneficii vel officii possessionem rite iniverint, et non fuerint deinde ab officio suspensi vel publico decreto nominatim excommunicati; *b*) adsistant matrimonio, sive invitati ac rogati, sive non (S. C. C. 28 Mart. 1908), sed neque vi neque metu gravi coacti requirant et excipiant contrahentium consensum. Quare Ordinarii aut parochi *a*) extra territorium invalide adsistunt matrimoniis subditorum, nisi a parocho extraneo, coram quo matrimonium contrahitur,

inclusive; et affinitas *superveniens* alterutri coniugi peccanti auferebat *in poenam* ius petendi, utrique peccanti ius petendi et reddendi.

fuerint delegati ; *b*) nequeunt delegare simplicem sacerdotem ut adsistat valide, extra territorium suum, matrimoniis subditorum ; *c*) quum delegant sacerdotem intra limites sui territorii, debent delegare, ad matrimonium determinatum, sacerdotem item certum ac determinatum, qui delegationem acceptet et servet regulas pro Ordinario et parocho statutas quoad validitatem et liceitatem ; delegatio generalis est irrita, nisi agatur de vicariis cooperatoribus pro paroecia cui addicti sunt ; *d*) delegare non debent nisi expletis omnibus quae ius constituit. *Notandum* Ecclesias regularium considerari, relate ad matrimonium, tamquam territorium Ordinarii vel parochi.

Ordinarii nomine veniunt quotquot iurisdictionem habent in utroque foro ; et etiam *episcopi castrenses* ubi habent, ut in Austria et in Germania, iurisdictionem in omnes milites propriam et ab Ordinariis independentem. *Parochi nomine* veniunt quotquot curam pastoralem plenam, independenter ab aliis parochis, in suos subditos exercent, tum intra definitum territorium (*parochi territoriales*), tum in personas vel familias vel coetus vel aedes pias in alieno territorio (*parochi personales*). *Parochi territoriales* sunt : *a*) qui praesunt paroeciae canonice erectae, etsi amovibiles et temporanei ; *b*) qui curam animarum gerunt in territorio definito, sibi legitime commissam, ubi paroeciae canonice erectae non exsistunt, ut in Anglia et in America Septentrionali ; *c*) in locis missionum, missionarii ad animarum curam in aliqua statione universaliter gerendam a moderatore missionis deputati ; *d*) parochi qui, in aliquibus locis, *cumulative* cum alio parocho territorium habentes, fidelibus unius eiusdemque linguae vel ritus praeficiuntur : hi, in territorio cumulativo, valide, sed illicite, adsistunt matrimonio non subditorum (S. C. C. 1 Febr. 1908). *Parochi personales* sunt : *a*) *cappellani militares,* non ubique, sed ubi constituuntur veri militum parochi, ut in Austria et in Germania, cum privilegio ut nonnisi coram

iis milites matrimonium valide contrahant; *b*) parochi, qui in quasdam personas vel familias in territorio alterius parochi curam legitime obtinent; *c*) rectores spirituales vel cappellani seminariorum, hospitalium etc., quae a parochi iurisdictione sint exempta (1).

B) At si haberi vel adiri nequeat sine gravi incommodo parochus vel Ordinarius vel sacerdos rite delegatus qui matrimonio assistat secundum ea quae diximus sub 1°, A), tum *in mortis periculo,* tum extra mortis periculum modo prudenter praevideatur eam rerum conditionem esse per mensem duraturam, validum et licitum est matrimonium coram solis testibus; sed *in utroque casu*, si praesto sit sacerdos qui adesse possit, debet vocari et adsistere, firma tamen coniugii validitate coram solis testibus.

C) Valide adsistit etiam parochus *putativus* dummodo habeat titulum coloratum.

2° **Quid requiratur ad licitam adsistentiam.** *a*) Matrimonium regulariter celebrari debet coram parocho sponsae, nisi iusta causa excuset; matrimonia autem catholicorum mixti ritus, nisi aliud particulari iure cautum sit, in ritu viri et coram eiusdem parocho sunt celebranda; *b*) ante quam Ordinarius vel parochus loci matrimonio adsistat, necesse est ut eidem constiterit tum *aa*) de statu libero contrahentium ad normas iuris, tum *bb*) de domicilio vel quasi-domicilio vel menstrua commoratione aut, si de vago agatur, actuali commoratione alterutrius contrahentis in loco matrimonii; *c*) si conditiones sub *bb*) expositae deficiant, habeant oportet licentiam Ordinarii vel parochi domicilii vel quasi-domicilii vel menstruae commo-

(1) Parocho aequiparantur vicarius oeconomus paroeciae vacantis (can. 473); vicarius substitutus parocho absenti vel privato in poenam beneficio, nisi parochus abfuturus vel Ordinarius matrimoniorum celebrationem exceperint (can. 474); vicarius adiutor, qui *in omnibus* parochum suppleat (can. 475); et in genere quicumque plena potestate paroeciali sint praediti (can. 451).

rationis alterutrius contrahentis, nisi vel agatur de vagis actu itinerantibus qui nullibi commorationis sedem habeant, vel gravis necessitas a petenda licentia excuset.

3° **Quinam ad formam superius statutam teneantur.** Firmo principio, partem a lege clandestinitatis immunem communicare exemptionem alteri parti, *tenentur a*) omnes catholici ritus latini in catholica ecclesia baptizati aut ad eam ex haeresi vel schismate conversi, etsi postea tum hi tum illi ab eadem defecerint, quoties matrimonium ineunt vel inter se vel cum acatholicis sive baptizatis sive non baptizatis, etiam post obtentam dispensationem ab impedim. mixtae religionis vel disparitatis cultus; *b*) orientales, si cum latinis contrahant hac forma adstrictis. *Non tenentur a*) acatholici sive baptizati sive non baptizati, si inter se contrahunt; *b*) nati ab acatholicis, etsi in catholica ecclesia baptizati, qui ab infantili aetate in haeresi, schismate, infidelitate vel sine ulla religione adoleverunt, quoties cum parte acatholica contrahant.

Const. Pii X *Provida,* lata pro universo Imperio Germanico d. 15 Apr. 1906 et extensa a. 1909 ad regnum Hungariae, ex qua valida erant matrimonia *mixta,* contracta, non servata forma decreti *Ne temere,* inter catholicos et acatholicos baptizatos, dummodo ambo coniuges nati essent in Germania et in Germania contraxissent, vel in Hungaria et ibidem contraxissent; invalida, si duo coniuges nati in Germania contraxissent in Hungaria vel vicissim, aut si natus in Germania contraxisset cum nato in Hungaria et vicissim, iam non viget ex CIC. can. 6, 1°, ubi de legibus particularibus praescripto Codicis oppositis.

561. XIV. **Impotentia** (*iuris naturalis*).

Impotentia definitur inhabilitas ad copulam perfectam, i. e. per se aptam generationi prolis.

Ut habeatur copula per se apta generationi prolis, requiritur: 1° *Ex parte viri: a*) unus saltem testiculus; *b*) membrum virile ad copulam naturali

modo peragendam sufficiens. 2° *Ex parte feminae: a*) vulva, vagina, uterus, et inter vaginam et uterum communicatio; *b*) saltem unum ovarium; *c*) communicatio inter ovaria et uterum per tubas falloppianas seu oviductus. 3° *Ex parte copulae,* emissio seminis per eiaculationem in mulieris vaginam.

Ex 1° capite efficiunt *virum certo* impotentem: *a*) *Anorchidia*, sc. carentia utriusque testiculi; *b*) *Atrophia* testiculorum; *c*) *Absentia membri virilis*, seu penis: aliae huius organi anomaliae inducent impotentiam dubiam. *Ex 2° capite,* efficiunt *mulierem certo* impotentem: *a*) *Absentia vulvae,* quae supponit etiam absentiam nonnullorum organorum internorum. *b*) *Absentia vaginae.* Si haec sit nimis brevis, impotentia ad summum erit dubia; si nimis arcta, impotentia erit temporanea et poterit per operationem chirurgicam cessare. Et huic subesse uxor tenetur, nisi de gravi periculo constet, ne ius viro traditum irritum facere videatur; nec ratio heic valet verecundiae, quam S. Alph. et alii tueri videntur, cum agatur de iure alteri coniugi quaesito. *c*) *Absentia* sive *uteri* solius, sive *ovariorum* tantum, et a fortiori *ovariorum et uteri simul,* eademque tum *naturalis*, tum *artificialis,* i. e. habita per operationem chirurgicam (1). *d*) *Ab-*

(1) Postremis hisce temporibus quaestio exarsit, utrum impotens dicenda sit mulier carens ovariis, utero, vel iisdem orbata per operationem porrensem; et e particulari facta est quaestio generalis de vero impotentiae conceptu. Alii, veterum vestigiis insistentes, contendere, tunc haberi impotentiam ad matrimonium, quum copula est impossibilis vel, si possibilis, ex ea *necessario* et *natura sua* generatio sequi non potest; alii asserere ad validitatem matrimonii sufficere emissionem spermatis ex parte viri in vaginam mulieris, si enim generatio non sequitur, hoc fit *per accidens*, et semper obtinetur finis matrimonii secundarius, qui est sedatio concupiscentiae At (sit obiter dictum) quomodo affirmari possit mulierem, utero vel ovariis carentem, non generare *per accidens*, eam nempe, cui *omnia essentialia ad generationem* desunt, hoc mihi inintelligibile. In breviore tractatione non licet rem multis et intime persequi, sed, quid sentio, paucis aperiam. *Praeiudicatae opinionis expers,* plurima legi et perpendi, quae hinc inde in dimicationem congeruntur. Mihi

sentia tubarum falloppianarum, quae ovum, ex ovariis decidens, ducunt in uterum. *Ex 3° capite,* efficiunt *virum certo* impotentem : *a) anaphrodisia naturalis*, i. e. impotentia psychica, quam veteres *frigiditatem* appellant, ex qua copula fit impossibilis ob defectum excitationis sexualis et erectio-

certum est, et *omnino* certum : 1° fere unanimem deprehendi sententiam veterum theologorum et canonistarum (si quis *recte* eorum scripta intelligere *velit*) de necessitate — ad matrimonii validitatem — copulae, ex qua *vere sequi possit generatio prolis,* licet quandoque erraverint circa ea quae ad generationem habendam sunt necessaria; eam vero e documentis exsurgere argumentorum sententiarumque concordem congeriem, quae intellectus assensum firmum sibi vindicat; 2° eos, qui tuentur impotentiam simpliciter coeundi (non intellectam certe eo sensu, quo veteres intelligebant), tamquam causam impedimenti canonicam, rem suam evincere velle, expiscando hac illac incertitudinis et apparentis contradictionis vestigia in veterum theologorum scriptis, ea saepe male intelligendo, utendo locis — de adversariorum argumentationibus — a contextu avulsis, ut argumenta eorum parum cogentia vel probantia esse ostendant; 3° absurdum esse quod iidem dictitant, validum esse matrimonium in quo *necessario deest* prolis generatio, seu finis primarius matrimonii, cum obtineri possit finis secundarius, i. e. sedatio concupiscentiae; si enim, post peccatum, accessit hic alter finis matrimonio, non aliud matrimonium a Deo fuit, post peccatum, institutum, pro lubitu eorum qui, impotes generandi pro lem, vellent concupiscentiam sedare. sed ita hic finis accessit matrimonio, instituto in officium naturae, ut concupiscentiae sedatio quaeri possit ac debeat in matrimonio per copulam *per se, de se* aptam generationi prolis; facta impossibili prolis generatione in perpetuum, copula illico evadit illicita; et haec est ratio, ob quam S. Alph. et omnes e Nostris denegant coniugibus ius ad matrimonii usum, quum matrimonio contracto supervenit impotentia perpetua; 4° Responsiones Congreg. S. Officii, quibus innititur Resp. S. C. de Sacramentis d. 2 Apr. 1909, praeter quam quod non valent nisi pro casu particulari, pro quo editae fuerunt, intelligendas esse tum eo sensu quem Card. Parocchi, eiusdem Congr. a Secretis, declaravit cl. P. Ianuario Bucceroni, tum in sensu totius traditionis ecclesiasticae, nisi velimus dicere eas esse erratas, quod absonum.

Indubium item est, plures, qui videntur fautores recentioris falsae sententiae, sibi persuasum habere, *theoretice* veram esse sententiam, quae ad matrimonii validitatem requirit possibilitatem generationis, et *unice* iis *in praxi* difficultatem facere Responsiones S. Officii. At vidimus has esse *recte* intelligendas, quia nequeunt esse *contra veritatem* Quare non ego erte dixerim impotentiam in casu mulieris excisae esse dubiam dubio iuris.

nis virgae; si ea non sit naturalis sed acquisita (praesertim ob vitia), temporanea erit impotentia; *b*) *vasectomia*, i. e. quum vir eam est passus operationem chirurgicam, ex qua canales spermatici, seu semen deferentes, postquam fuerunt longitudinaliter secti, ita contrahuntur et clauduntur ut semen amplius emitti nequeat.

Aliae causae impotentiae adsunt, quas persequi longum esset.

Ab impotentia sedulo distinguenda est *sterilitas*, quae adest vero sensu, tum canonico tum physiologico, quum, licet ex parte viri et mulieris habeantur omnia essentialia et necessaria ad prolis generationem, generatio de facto non sequitur ob alias causas. Sterilitas matrimonium nec dirimit nec impedit (can. 1068, § 3).

Impotentia *a*) alia *perpetua*, alia *temporanea*; *b*) alia *absoluta*, alia *relativa*, i. e. vel relate ad quamlibet personam, vel relate ad personam determinatam; *c*) alia *antecedens*, alia *consequens*, prout matrimonium antecedit vel matrimonio contracto supervenit; *d*) alia *naturalis*, alia *accidentalis* seu *acquisita*, prout elementa ad generationem necessaria inde a nativitate desunt, vel post nativitatem ex aliqua causa defecerunt.

Impotentia perpetua et antecedens, sive ex parte viri sive ex parte mulieris, sive cognita sive non, ipso naturae iure dirimit matrimonium (can. 1068, § 1); et si est *absoluta* reddit matrimonium irritum et impossibile cum quavis persona; si *relativa*, cum ea persona, quacum copula perfecta haberi nequit; **impotentia temporanea antecedens** non dirimit matrimonium, nec reddit illicitum coniugii usum. **Impotentia perpetua consequens** non irritat matrimonium iam contractum, quia hoc, semel valide initum et consummatum, indissolubile est, sed copulam reddit illicitam; **impotentia temporanea consequens** nec irritat matrimonium, ut patet, nec copulam reddit illicitam.

In *dubio*, sive iuris sive facti, de impotentia

perpetua antecedenti, matrimonium non est impediendum (can. 1068, § 2) (1).

Si, matrimonio inito, impotentiam certam et perpetuam praecessisse constet, statim separatio quoad torum facienda est, et interim adeunda auctoritas ecclesiastica ut sententiam de nullitate ferat. Quum vero coniuges sunt in bona fide, si impotentia sit occulta et separatio moraliter impossibilis, erunt in bona fide relinquendi. — Si dubium de impotentia praecessit aut consequitur matrimonium, licite coniuges utuntur iure coniugii, etiamsi semen extra vas effundatur; apta remedia ad impotentiam auferendam adhibere debent; si matrimonii consummatio impossibilis videatur, res deferenda erit ad Ordinarium, ut de coniugum separatione vel de nullitate decernat, aut petenda erit, pro casibus, dispensatio in matrimonio rato et non consummato.

Hermaphroditi, qui sint sexus determinati, licet habeant aliquod organum alterius sexus, non sunt a matrimonio arcendi; hermaphroditi *imperfecti,* qui nec veri mares nec verae feminae sunt, matrimonium, ut patet, inire nequeunt. *Perfecti,* qui valeant et marem simul et feminam agere, nec exsistunt nec unquam exstiterunt.

562. XV. **Raptus.**

Raptus definitur violenta mulieris invitae abductio, matrimonii ineundi causa.

Hoc impedimentum exsistit, probabilius iure naturae, *inter raptorem* et *mulierem raptam* (non igitur inter raptricem et raptum, si casus dari potest; nec inter raptam et alios, qui raptum exsecuti sint in favorem alicuius; nec inter raptam et eum, quo inscio alius, ratus se rem gratam ei facturum, mulierem rapuerit et in domum propriam transtulerit); et *quamdiu* mulier sit *sub raptoris potestate,* etiamsi matrimonio libere consentiat (hoc quidem iure eccl.); quare, vix ea fuerit

(1) Cf. n. 548 et subiectam notam (2).

libertate donata, matrimonium sine dispensatione constare potest (cf. can. 1074).

Ut impedimentum adsit, a) requiritur ut *mulier* (quaecumque ea est, sive honesta sive inhonesta, sive virgo sive vidua) *abducatur de loco* tuto in locum non tutum (sc. de loco, ubi non est in raptoris potestate, in locum, ubi ei subest) *violenter* (sc. per vim aut metum gravem; vel fraude et dolo, etsi mulier consentiat; non vero si mulier *libere* abductioni consentiat, tunc enim fuga habetur, non raptus); *b) non refert,* utrum mulier sit sponsa raptoris; nam, etiamsi ea iustam causam non habeat resiliendi a sponsalibus, iniuriam semper patitur et non potest per violentiam cogi ad matrimonium ineundum; *c)* abductio fieri debet *matrimonii ineundi causa;* impedimentum igitur non adest, si mulier abducatur ad libidinem explendam vel ob alium finem.

Quod ad matrimonii nullitatem attinet, raptui par habetur violenta retentio mulieris, cum nempe vir mulierem in loco ubi ea commoratur vel ad quem libere accessit, violenter intuitu matrimonii detinet (can. 1074, § 3).

In hoc impedimento Ecclesia dispensare non solet; sed quandoque conceditur, ut mulier, quae libere consentit, matrimonium inire possit ante quam reddita fuerit loco tuto (1). CIC. can. 2353 statuit raptores exclusos haberi ab actibus legitimis ecclesiasticis et plectendos esse aliis poenis pro gravitate culpae.

Art. 4. De dispensatione ab impedimentis dirimentibus.

§ 1. *Quinam dispensare possint.*

563. I. Summus Pontifex *dispensare nequit* i impedimentis iuris naturalis vel positivo-divini ab soluti, at *dispensare potest a)* in impediment

(1) Instructio S. Off. ad Episcopos Albaniae 15 Febr. 1901.

iuris naturalis seu divini hypothetici (cf. nn. 19 et 20), ut in votis, matrimonio rato; *b*) in omnibus impedimentis, quae *certo* sunt *iuris ecclesiastici.* Sed, licet possit, *dispensare non solet* in affinitate ex matrimonio in primo gradu lineae rectae (inter vitricum et privignam, inter novercam et privignum), in ordine episcopali ad ineundum matrimonium, in coniugicidio publico; *perraro,* praesertim si agatur de matrimonio ineundo, in coniugicidio cum adulterio, voto sollemni, ordine sacro, aetate, disparitate cultus in regionibus fidelium, clandestinitate, raptu; *raro* in consanguinitate in linea collaterali tangente primum gradum (ex. gr. inter Titium et Caii fratris sui filiam); in cognatione spirituali inter patrinos et baptizatum.

Summus Pontifex dispensat: *a*) Per *S. Officium* in impedimentis disparitatis cultus, mixtae religionis (ad contrahendum vel sanandum matrimonium mixtum), ab interpellatione in casu privilegii Paulini et a matrimonio infidelium consummato, quando una pars est ad fidem conversa. *b*) Per *S. C. de Sacramentis pro foro externo,* i. e. quum agitur de impedimentis sive publicis, sive natura occultis et facto publicis, tum pro divitibus, tum pro pauperibus; et etiam *pro foro externo ac simul interno,* quum concurrunt plura impedimenta, aliud *publicum,* aliud *occultum,* quo in casu, si petens consentit manifestationi, dispensatio petitur a S. C. de Sacramentis pro publico et occulto *in foro externo;* si petens nolit occultum manifestari, dispensatio petitur pro publico a S. C. de Sacramentis, pro occulto a S. Poenitentiaria, cui tamen mentio facienda est de dispensatione petita a S. C. de Sacramentis vel petenda in concurrente impedim. publico. Ad S. C. de Sacramentis pertinent *separatio coniugum, legitimatio prolis,* dispensatio *in matrimonio rato, sanationes in radice. c*) Per *S. Poenitentiariam in foro interno* in quibuslibet impedimentis facto occultis et in sanatione matrimonii nulli ob occultum defectum dispensationis

habitae in foro externo. *d*) Per *S. C. de Religiosis* in voto castitatis quoad religiosos. *e*) Per *S. C. pro Ecclesia Orientali,* relate ad regiones et personas pertinentes ad ritus orientales.

564. II. Ordinarii locorum : 1° Potestate ordinaria. A) *Urgente mortis periculo,* ad consulendum conscientiae et, si casus ferat, legitimationi prolis, possunt tum super forma in matrimonii celebratione servanda, tum super omnibus ac singulis impedimentis iuris ecclesiastici, sive publicis sive occultis, etiam multiplicibus (exceptis impedimentis provenientibus ex sacro presbyteratus ordine et ex affinitate in linea recta, orta ex matrimonio consummato, non rato tantum), dispensare proprios subditos ubique commorantes et omnes in proprio territorio actu degentes, remoto scandalo, et, si dispensatio concedatur super cultus disparitate aut mixta religione, praestitis consuetis cautionibus. B) *Quoties impedimentum detegitur cum iam omnia parata sunt ad nuptias,* et matrimonium differri nequit, sine probabili gravis mali periculo, usque dum a Sancta Sede dispensatio obtineatur, easdem facultates habent (et sub iisdem condicionibus) quas urgente mortis periculo, excepta dispensatione super *forma.* C) *Item,* si agatur de convalidando matrimonio iam contracto, quoties idem periculum sit in mora nec tempus suppetat recurrendi ad S. Sedem (can. 1043, 1045). **2° Potestate delegata,** quousque se extendunt facultates per delegationem habitae.

III. **Parochi ; sacerdotes** qui **matrimonio assistunt vocati** (quum Ordinarius vel parochus vel sacerdos ab alterutro delegatus haberi vel sine gravi incommodo adiri nequeat) in mortis periculo, vel extra mortis periculum quum eam rerum conditionem duraturam esse per mensem prudenter praevidetur ; **confessarii** (tantum pro foro interno in actu sacramentalis confessionis) ; dispensare possunt *item ac Ordinarii locorum a*) in rerum adiunctis quae sub II. A) exposuimus, sed solum

pro casibus in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit ; *b*) in rerum adiunctis, quae sub II. B) et C), sed solum *pro casibus occultis* in quibus ne loci quidem Ordinarius adiri possit, vel non possit nisi cum periculo violationis secreti. — Cum dispensatio concessa est in foro externo, Ordinarius loci postea a concedente de re certior faciendus est, et dispensatio in libro matrimoniorum adnotanda (can. 1044-1046).

565. I. **Monita de usu facultatis dispensandi.** *a*) Censetur regulariter periculum esse in mora et deesse tempus recurrendi ad S. Sedem, si *intra tres hebdomadas* mors aegroti timeatur ; deesse tempus recurrendi ad Ordinarium loci, si mors aegroti *intra hebdomadam* timeatur, nisi forte civitas episcopalis sit proxima. *b*) Si petitio dispensationis ad S. Sedem missa sit, Ordinarii nequeunt uti facultatibus, si quas habent, nisi ex gravi urgentique causa, de qua S. Sedem monere debent ad normam can. 204, § 2 (can. 1048) ; privantur vero facultate dispensandi in impedimentis, quibus implicantur reges et regiae stirpis principes, quaeque S. Sedi speciali modo reservantur (cf. Decr. S. C. de Sacr. d. 7 Mart. 1910). *c*) *In matrimoniis sive contractis sive contrahendis, qui habet indultum generale* dispensandi *aa*) super certo quodam impedimento, potest, nisi in ipso indulto aliud expresse praescribatur, super eo dispensare etiamsi illud multiplex sit ; *bb*) super pluribus diversae speciei impedimentis, sive dirimentibus sive impedientibus, potest dispensare super iisdem impedimentis, etiam publicis, in uno eodemque casu occurrentibus ; sed *cc*) si quando cum impedimento seu impedimentis publicis, super quibus ex indulto dispensare quis potest, concurrat aliud impedimentum super quo dispensare nequeat, pro omnibus Sedes Apostolica adiri debet ; si tamen impedimentum seu impedimenta, super quibus dispensare potest, comperiantur post impetratam a Sancta Sede dispensationem, suis facultatibus uti poterit.

d) **Qui ex potestate** a Sede Apostolica delegata **dispensationem concedunt**, in eadem expressam pontificii indulti mentionem facere debent (can. 1049, 1050, 1057).

II. **De connexis cum dispensatione ab impedimentis.** *a*) Per dispensationem super impedimento dirimente concessam vi potestatis ordinariae, vel delegatae per indultum generale (*non* si deleg. per rescriptum in casibus particularibus), conceditur quoque eo ipso legitimatio prolis, si qua a dispensatis iam nata vel concepta saltem fuerit, excepta tamen prole adulterina vel nata a personis ordine sacro vel sollemni professione devinctis. *b*) Data a S. Sede dispensatio super matrimonio rato non consummato, vel facta permissio transitus ad alias nuptias ob praesumptam coniugis mortem, secumfert semper dispensationem ab impedimento proveniente ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii, si qua opus sit, minime vero dispensationem ab impedimento ex coniugicidio, vel ex adulterio et coniugicidio simul (can. 1051, 1053).

§ 2. *De causis dispensationum.*

566. Ad dispensationem causa *gravis ac proportionata* requiritur, atque eo gravior, quo gravius est impedimentum. *Causae* dispensationum: *a*) aliae sunt *motivae*, aliae *impulsivae: illae*, quae per se sufficiunt ad movendum et principaliter movent ad gratiam faciendam; *hae*, quae *facilius* movent; de quibus cf. n. **40**, II, 2°, A, *c*); *b*) aliae *canonicae* seu *ordinariae*, quae in iure nominatim recensentur et ex stilo curiae habentur tamquam publica auctoritate admissae pro dispensationibus; aliae *non canonicae* seu *extraordinariae*, quae *etiam* admittuntur, et interdum solae movent ad dispensationem concedendam; *c*) aliae *honestae*, quae non nituntur delicto vel infamia; aliae *famosae*, seu *inhonestae*, seu *infamantes*, quae delicto vel infamia oratorum innituntur.

567. Causae *canonicae* sunt sexdecim : 1ª *angustia loci,* sive absoluta, quum sc. locus non continet plus 300 familiis vel 1500 incolis, sive relativa ad oratricem, cuius vel cognatio sit nimis propagata vel condicio ea sit ut non facile inveniat sponsum paris condicionis ; 2ª *aetas feminae superadulta,* sc. si 24 annos egressa fuerit, quod valet pro virgine, non pro vidua ; 3ª *deficientia aut incompetentia dotis ;* 4ª *lites super successione bonorum* iam exortae vel earumdem *grave* **aut** *imminens periculum ;* 5ª *paupertas viduae ;* 6ª *bonum pacis ;* 7ª, 8ª, 9ª *scandalum ex familiaritate, ex suspicionibus, ex copula, ex praegnatione ;* 10ª *necessitas matrimonii revalidandi* sive bona sive mala fide contracti ; 11ª, 12ª, 13ª *periculum matrimonii vel mixti vel coram acatholico ministro celebrandi vel civilis, vel incestuosi concubinatus ;* 14ª et 15ª *remotio gravium scandalorum et publici concubinatus ;* 16ª *excellentia meritorum.*

568. Causae *non canonicae* sunt hae plerumque : *ex parte mulieris,* quod ea sit illegitima, vel orphana ; ab alio deflorata ; infirmitate, deformitate, vel defectu plus minusve gravi laborans ; *ex parte viri,* quod infirmitate vel necessitate adiutorii laboret, vel, viduus, habeat prolem tenerae aetatis, quae maternis curis indigeat ; *ex parte utriusque* propositum contrahendi divulgatum et convenientia matrimonii ; item bonum parentum alterutrius vel utriusque.

§ 3. *De modo petendi dispensationes.*

569. *A quo conficiendus et ad quem mittendus sit supplex libellus.* Aut agitur de impedimentis publicis, aut de occultis, aut de concursu unius publici et unius occulti. *In primo casu,* libellus conficitur a parocho, expressis veris oratorum nominibus, sive in forma ordinaria sive in forma pauperum (et *pauperes* sunt, quorum bona, oneribus detractis, non multum excedunt 3.000 libella-

rum, *fere pauperes* quorum bona item non multum superant 10.000 lib.), quoad formam directus ad Summum Pontificem, et mittitur ad Ordinarium, qui, si facultate polleat, ipse dispensationem petitam concedet, secus transmittet supplicem libellum ad S. C. de Sacramentis. *In altero casu,* libellus conficitur a confessario (nomine oratoris vel oratorum), reticitis veris eorum nominibus, quoad formam directus ad Card. Maiorem Poenitentiarium, et — *si absit omnino periculum violationis sigilli*, quod tamen raro aut nonnisi in locis amplissimis aberit — poterit mitti ad Ordinarium, qui dispensabit si queat, secus transmittet instantiam ad S. Poenitentiariam; si periculum diffamationis vel violationis sigilli non sit omnino remotum, libellus mittitur directe ad S. Poenitentiariam. *In tertio casu*, pro imp. publico conficitur libellus a parocho; pro occulto, a confessario, facta mentione dispensationis ab imp. publico petitae a S. C. de Sacramentis. — Dispensatio *regulariter* nequit *peti* vel *concedi per telegraphum.*

570. Quae in supplici libello exprimi debeant. *a*) *Nomen et cognomen* oratorum, aetas (non necessario), dioecesis aut originis aut actualis domicilii vel quasi-domicilii, si agitur de imp. publico; si agatur de occulto, nomen fictum oratorum (Titius et Caia etc.) et locus (vernacula lingua expressus), ubi est confessarius, et huius nomen et cognomen, ut ad eum dispensatio mitti possit. *b*) *Impedimentum* seu *impedimenta,* et quidem eorum *numerus,* si plura sint inter se diversa vel multiplicia eiusdem generis ex. gr. duplicis consanguinitatis vel affinitatis; *species infima* et *circumstantia impedimenti*, quae dispensationem faciliorem vel difficiliorem reddere potest; ex. gr. in imp. consang. et affinitatis, lineae, gradus aequales, aut, in inaequali, remotior et propinquior. *c*) *Causae dispensationis*, seu canonicae seu non canonicae. Quandoque dispensatio dicitur concedi vel conceditur *sine causa*, idest vel sine causa exsi-

stente vel sine ulla causa allegata ; et in hoc casu largior eleemosyna vel taxatio imponitur ita ut bonum Ecclesiae sit causa dispensandi. *d*) *Condicio oeconomica* oratorum, ut taxa eis imponenda determinari possit, quae erit maior, si dispensatio petatur in foro externo et in forma ordinaria ; minima, si in foro externo et in forma pauperum ; nulla, si dispensatio in foro interno petatur, quo in casu de statu fortunae oratorum in supplici libello nihil dicendum. Vidimus superiore n. quando oratores dicendi sint pauperes vel fere pauperes ; addimus, in taxanda oratorum fortuna, si agatur de impedimento communi, utriusque partis opes esse simul computandas, nisi tamen alterutra sit acatholica.

571. De vitiis dispensationum deque earum validitate, invaliditate, sanatione.

Error potest incidere vel circa *nomen et cognomen oratorum* etc., vel circa *impedimenta*, vel circa *causas dispensationis*, vel circa *condicionem oeconomicam* oratorum, idest circa unum vel plura ex iis quatuor quae exprimi debent in supplici libello. *a*) Si error inciderit in nomen vel cognomen oratorum, dispensatio valet donec constet de identitate personarum [cf. n. **49**, I, E)]. *b*) Si error incidat, tum in petitione, tum in ipsa dispensatione, circa *impedimenta consanguinitatis vel affinitatis*, dispensatio est *aa*) invalida, quum pro linea recta indicatur collateralis; si loco gradus superioris indicatur inferior ; si in petitione dispensationis *in foro interno*, gradus propinquior vel reticetur vel non accurate manifestatur ; est *bb*) *valida*, si loco gradus inferioris indicatur superior, ex. gr. loco petendi dispensationem a tertio gradu, petatur a secundo, in quo tertius continetur ; si in gradu inaequali omittatur propinquior, *nisi tamen sit primus*, in dispensationis petitione a S. C. de Sacramentis (quod enim relate ad Datariam exsurgebat ex Const. *Sanctissimus* Pii V, valere debet pro S. Congr. de Sacr.). Antiquitus ad validitatem ex-

primi debebat copula incestuosa inter sponsos habita; obligatio cessavit per Decr. S. Off. 25 Ian. 1885. Si reticitum fuit aliud imped. eiusdem speciei in aequali vel inferiore gradu, valida est dispensatio; invalida, si eiusdem speciei in gradu superiore, vel diversae speciei, sed in casu bonae fidei, valida habenda est ex clausula « ac aliis bona fide forsan reticitis... non obstantibus ». *c*) Si error inciderit in *causas dispensationis*, dispensatio petita et concessa a S. C. de Sacram. ab impedimentis *minoris gradus* (consanguinitatis in 3° gradu lineae collateralis; affinitatis in secundo gradu lineae collateralis; cognationis spiritualis; publicae honestatis in secundo gradu; criminis ex adulterio cum promissione vel attentatione matrimonii etiam per actum civilem tantum), *valida semper* est, quia iuxta novam ordinationem Curiae Romanae omnes dispensationes *a minoribus impedimentis* a S. C. de Sacramentis conceduntur *ex rationabilibus causis a S. Sede probatis*, idest sine aliqua causa canonica ex communiter recensitis et ita ut vim habeant ac si *ex motu proprio et ex certa scientia* impertitae essent (et clausula *ex m. pr. et certa sc.* videtur habere maiorem vim, quia sanat heic vitium *obreptionis,* quod antea non sanabat), ideoque nulli obnoxiae sunt impugnationi sive ob subreptionis sive ob obreptionis vitium (cf. etiam can. 1054). Quoad errorem, qui incidat *in causas dispensationis* in supplici libello ad petendam dispensationem *ab impedimentis maioris gradus*, ea recolantur quae diximus n. **40, II, 2°, A**). *d*) Vitium subreptionis vel obreptionis in disp. ab imp. maioris gradus *sanari potest*, obtentis litteris *perinde valere*. *e*) Si error inciderit circa *condicionem oeconomicam* oratorum, dispensatio est *valida:* gratiae enim validitati nihil unquam officit aut error aut fraus circa oeconomicam oratorum condicionem (Const. *Sapienti Consilio. Normae peculiares*).

§ 4. *De forma in qua dispensationes conceduntur.*

572. *Dispensationes matrimoniales triplici modo* concedi possunt: *a*) *in forma gratiosa,* i. e. si dispensatio plena ita conceditur ut nulla exsecutione opus sit; *b*) *in forma commissoria* sc. *per modum gratiae faciendae*, et in hoc casu delegatus totum per se facit, sc. ipse dispensat et exsequitur; *c*) *in forma mixta,* sc. per modum gratiae factae, et in hoc casu exsecutor *nudum ministerium* praestat, sed dispensatio effectum non sortitur ante exsecutionem.

S. Sedes *concedit* plerumque dispensationes matrimoniales in forma mixta, sc. per modum gratiae factae, seu, clarius, *iubet concedi. a*) Dispensationes *in foro externo* committuntur Ordinario sive *oratorum*, sive *loci* in quo matrimonium contrahendum est. *Ordinarius oratorum* intelligitur Ordinarius qui litteras testimoniales dedit et libellum supplicem transmisit ad S. Congregationem, et ipse exsequi debet dispensationem, licet sponsi medio tempore in aliam dioecesim emigraverint, monito tamen Ordinario loci in quo matrimonium contrahendum est. Et dispensationes Ordinario commissas exsequi poterit vicarius generalis et, episcopo defuncto, vicarius capitularis; dispensationes vicario capitulari commissas, exsecutioni poterit mandare episcopus, qui defuncto succedit, eiusque vicarius generalis. Sed, excepta modica aliqua praestatione ex titulo expensarum cancellariae in dispens. pro non pauperibus, locorum Ordinarii eorumve officiales, reprobata quavis contraria consuetudine, nihil exigere possunt occasione dispensationis, nisi S. Sedes id expresse concesserit: secus tenentur ad restitutionem (can. 1055, 1056). *b*) Dispensationes *in foro interno* committuntur *confessario ab oratoribus eligendo.*

§ 5. *De modo exsequendi dispensationes.*

573. De modo exsequendi dispensationes pro foro externo concessas. 1° Si dispensatio fuit concessa in forma *gratiosa*, sufficit ut ea *nota* fiat oratoribus et serventur clausulae. 2° Si in forma commissoria vel mixta, dispensatio est invalida si exsecutioni demandetur ex notitia accepta, ante quam documentum pontificium pervenerit, eiusque authenticitas et integritas recognita sit, nisi praevia eiusdem notitia ad exsecutorem fuerit auctoritate rescribentis transmissa. Is vero *ad liceitatem* debet clausulas semper servare: et *a) ad validitatem* comprobare utrum *preces veritate nitantur*, i. e. si vera sint exposita, quando agitur de impedimentis *maioris gradus*, quia saltem una causa motiva debet esse vera tunc, quum dispensatio conceditur; id vero omittendum cum agitur de impedimentis minoris gradus [cf. n. **571**, *c*)]; *b*) *curare remotionem scandali* et *imponere salutarem poenitentiam*, quum agitur de dispensatione concessa ob causam inhonestam; *c*) *praemittere absolutionem a censuris*, si praescribatur; nam ex CIC. can. 36, § 2, gratiae ac dispensationes omne genus a S. Sede concessae, etiam censura irretitis, ratae sunt ac legitimae, nisi agatur de excommunic. vel interdictis vel suspensis per sententiam condemnatoriam vel declaratoriam; *d*) hisce praemissis, dispensationem *in scriptis* concedere, facta mentione delegationis apostolicae et impedimenti in quo oratores dispensantur, saltem ad liceitatem. — *De dispensatione constare debet* in Acto matrimonii et documentum servari debet.

574. De modo exsequendi dispensationes pro foro interno concessas. Si impedimentum alterutrum tantum afficit, vel quod sit personale, ut votum, vel quod unius culpa inductum, sufficit cum eo dispensare; si impedimentum sit commune utrique, vel ex culpa utriusque inductum, per se dis-

pensatio cum alterutro sufficeret, sed uterque debet confessarium adire, sive eumdem sive diversum, ut dispensationem accipiat et salutarem poenitentiam, quum ea iniungenda est. Et si altera pars diversum eligit confessarium, rescriptum a primo confessario traditur poenitenti, ab hoc autem comparti, ut haec a suo confessario dispensationem petere valeat. Si dispensatio dari debet in foro interno sacramentali, si postea imp. evaserit publicum, erit necessaria alia dispensatio pro foro externo ; *minime vero*, si dispensatio dari debeat in foro interno non sacramentali, sed tunc concessa dispensatio adnotanda est in libro in secreto Curiae archivo servando, nisi aliud ferat S. Poenit. rescriptum (can. 1047). Quoad clausulas *a*) si confessario iniungitur ut comprobet *precum veritatem*, fidem oratori habere debet et iuramentum exigere nequit ; si vero privata scientia sciat preces veritate non niti, nequit dispensare, secus dispensatio erit irrita ; *b*) si praescribitur ut *audiatur prius* oratoris *sacramentalis confessio*, dispensatio dari debet in actu confessionis *ad validitatem*, etsi poenitens non absolvitur aut absolvi non vult vel non potest quia indispositus ; et dispensatio valet, quamvis confessio sit sacrilega ; *c*) si adsit clausula « *iuncta salutari poenitentia* » haec imponenda est, ad dispensationis validitatem, et quidem distincta a poenitentia sacramentali ; et *gravis et longa, gravis et diuturna, gravissima et perpetua,* ratione habita conditionis, aetatis, sexus, imponenda est quoties eiusmodi clausula in rescripto contineatur ; eaque ab oratore *acceptari debet*, quamvis sit valida dispensatio si eam implendi intentionem non habeat et facto non impleat ; *d*) rescriptum *destrui* debet vel a priore vel a posteriore confessario (quum alius sponsus alium seligit), saltem intra triduum, per combustionem vel dilacerationem.

Cap. IV. De celebratione matrimonii.

575. Diximus iam quae matrimonium praecedere debeant, et quaenam servanda sint ad valide et licite matrimonio adsistendum. Nunc videamus quid praestare debeant *testes, contrahentes* in ipsa matrimonii celebratione, et *parochus* in actu celebrationis et post celebrationem.

576. Testes. Codex iuris canonici nihil hac in re immutavit. Quare testes possunt esse omnes qui de aliquo facto testificari valent: sive mares sive feminae, sive consanguinei sive extranei, sive puberes sive impuberes qui habeant rationis usum et intelligant quid agatur, tum catholici tum acatholici (qui tamen *illicite* adhibentur, nisi necessitas excuset), sive accedant sponte, sive metu inducti (nam solus parochus metu inductus invalide adsistit), sive caeci, dummodo ex verbis consensum sponsorum, quorum vocem cognoscunt, percipere possint, sive surdi, modo ex signis consensum intelligere valeant; non vero qui sint simul caeci ac surdi.

577. Contrahentes: *a*) *quoad tempus celebrationis*, possunt quolibet anni tempore contrahere matrimonium, sed cum *sollemnis nuptiarum benedictio* prohibeatur a prima dominica Adventus ad diem Nativitatis Domini inclusive et a feria IV Cinerum ad dominicam Paschatis inclusive (can. 1108), eam debent, citra culpam nisi forte ratione contemptus eam omittant, accipere, vel ipso feriato tempore, si Ordinarius id, salvis liturgicis legibus iustaque de causa, permiserit, abstinendo tamen a nimia pompa, vel post tempus feriatum; sed mulier, cui semel benedictio sollemnis data sit, nequit in subsequentibus nuptiis eam iterum accipere (can. 1143); *b*) *quoad locum celebrationis* contrahere debent *in ecclesia paroeciali cum ritu sacro ab Ecclesia*

praescripto, et tenent Nostri id urgere sub gravi nisi impossibilitas vel necessitas excuset ; ut vero matrimonium celebretur *aa*) in alia ecclesia vel oratorio sive publico sive semipublico Ordinarius vel parochus permittere possunt ; *bb*) in aedibus privatis, Ordinarius, ex iusta et rationabili causa et in casu aliquo extraordinario tantum ; *cc*) in ecclesiis vel oratoriis Seminariorum vel religiosarum, Ordinarius, urgente necessitate et cum debitis cautelis. — Sed matrimonia mixta extra ecclesiam sunt celebranda ; at Ordinarius, ex praevisione maiorum malorum, in hoc poterit dispensare, iis tamen servatis de quibus n. 541 quod ad sacros ritus attinet ; *c*) tenentur esse *in statu gratiae,* quia sacramentum vivorum suscipiunt ; confiteri *per se* non tenentur nisi Eucharistiam sint accepturi et nisi confessio statutis particularibus praecipiatur ; sed, ut ministri sacramenti (quia, si in gravi sunt, ministrant indigno), graviter certo non peccant, tum quia non sunt ad id *consecrati* et personam publicam non agunt, quae ad recipientis dispositiones debeat attendere ; tum quia cooperatio materialis peccato alterius indigni excusatur ob utilitatem quam matrimonium affert.

578. **Parochus** : 1° *In actu celebrationis* debet *a*) *adsistere active* (sc. ritum sacrum peragens), quoties non prohibeatur ; ceterum, Ordinarii iniussu, nequit adsistentiam activam denegare ; *b*) *servare formam Ritualis Romani* vel eam, quae ex legitima consuetudine inducta sit et in ritualibus dioecesanis recepta. 2° *Post matrimonii celebrationem*, debet ipse, vel qui eius vicem gerit, celebratum matrimonium in Regesto adnotare, quamvis sacerdotem rite delegaverit, et, si sponsi sint uterque vel alteruter e sua paroecia, etiam in Regesto baptizatorum, ad nomen utriusque vel alterutrius. Quod si sponsi non sint e sua paroecia, vel, cum sint, alibi tamen baptizati fuerint, debet notitiam celebrati matrimonii transmittere vel directe vel per Curiam Episcopalem ad parochum vel paro-

chos baptismi, ut matrimonium in Regesto baptizatorum adnotari possit. Quum vero matrimonium in mortis periculo, vel extra mortis periculum in casu de quo n. 560, 1°, B), coram quolibet sacerdote contrahitur, vel simpliciter coram duobus testibus, in primo casu sacerdos, in altero testes in solidum cum contrahentibus debent curare ut quamprimum exarentur in Regestis praescriptum Actum et iniunctae adnotationes.

Parochus, qui valide sed *illicite* [cf. n. 560, 2°, *b*)] matrimonio adstiterit, amittit iura stolae, quae cedunt proprio contrahentium parocho.

Cap. V. De matrimonio contracto.

Art. 1. De matrimonio valido et putativo (1).

579. A) Matrimonium validum christianorum *a*) *gratiam confert* non ponentibus obicem ; *b*) *firmitate* et *unitate* gaudet, sc. inducit inter coniuges vinculum natura sua perpetuum et exclusivum ; *c*) *ius* et *officium* mutuum confert coniugibus *ad coniugii usum ; d*) *uxorem* efficit *participem*, nisi iure speciali aliud cautum sit, *status viri* circa canonicos effectus.

B) *Filii a*) *concepti* aut *nati* ex matrimonio tum *valido*, tum *putativo*, *legitimi sunt*, nisi tempore conceptionis prohibitus fuerit parentibus matrimonii antea contracti usus ob emissam sollemnem professionem vel susceptum ordinem sacrum ; *b*) nati saltem post sex menses a die celebrati matrimonii vel intra decem menses a die dissolutae vitae coniugalis, *legitimi praesumuntur ; c*) *illegitimi legitimantur* per subsequens parentum matrimonium sive *validum*, sive *putativum*, sive noviter contractum sive convalidatum, etiam non consumma-

(1) De m. putativo hic agimus tantummodo quoad filiorum legitimitatem vel legitimationem ; quoad reliqua, m. putativo applicentur quae mox dicemus de m. nullo.

tum, dummodo parentes habiles exstiterint ad m. inter se contrahendum tempore conceptionis, vel praegnationis vel nativitatis, et, ad effectus canonicos quod attinet, in omnibus aequiparantur legitimis, nisi aliud expresse cautum fuerit (canones 1110-1117).

C) Matrimonii *firmitas* exceptiones patitur, sive quoad *vinculum*, sive quoad *cohabitationem* et *torum;* dicendum etiam est aliquid de divortiis lege civili nefarie inductis. Postea de coniugii usu.

§ 1. *De exceptionibus relate ad matrimonii firmitatem.*

I. *De exceptionibus relate ad vinculum.*

580. De solutione matrimonii rati et non consummati fidelium. *Matrimonium ratum et non consummatum fidelium solvitur:* A) *Per dispensationem Summi Pontificis*, si *constat* illud non fuisse consummatum et *gravis causa* adsit. Romanum Pontificem posse in eo dispensare probatur *a) ex facto; b)* ex eo, quod Ecclesia ex iusta causa potest in iuris divini obligationibus, quae ex humana voluntate pendent (ex. gr. in votis et iuramentis), dispensare; *c)* quia Rom. Pont. dispensat in vinculo professionis sollemnis religiosae, quod fortius est vinculo coniugii rati, hoc enim professio sollemnis (et de fide est) solvit. B) Per *professionem sollemnem* unius coniugis, ex *definitione* Conc. Trident. (sess. XXIV, can. 6). Cf. CIC. canonem 1119.

581. De solutione matrimonii consummati infidelium. Matrimonium consummatum infidelium solvi potest in casu *privilegii Paulini* et *per dispensationem Summi Pontificis* (can. 1120-1126).

A) **De privilegio Paulino.** Ex privilegio a Christo Domino in favorem fidei concesso et per Apostolum Paulum promulgato (cf. S. Off. 11 Iul. 1886) his

verbis : « *Quod si infidelis discedit, discedat : non enim servituti subiectus est frater aut soror in huiusmodi* » (I Cor. VII, 12 et seqq.), matrimonium *in infidelitate contractum* (etiam haereticorum coniugum, quos *constet* ante matrimonium baptizatos non fuisse), quum *una pars per baptismum susceptum* ad fidem convertitur et *altera pars infidelis* non vult converti vel *saltem* cohabitare *pacifice* (idest *sine contumelia Creatoris*), *post interpellationem,* solvitur *per novas nuptias* a parte fideli initas. *a*) *Pacifica cohabitatio* deesse intelligitur, quum coniux fidelis ex parte alterius coniugis infidelis exponitur periculo graviter peccandi vel amittendae fidei, aut prohibetur a cultu Dei, a prole christiane excolenda, aut cogitur cum concubinis torum dividere etc. ; et ius parti fideli competit etiam quum cohabitatio, solum post plures annos, desinit esse pacifica, nisi tamen coniux infidelis discedat causa adulterii a parte fideli post baptismum admissi, vel cohabitatio desinat esse pacifica non ex facto coniugis infidelis, sed aliorum ex. gr. cognatorum. *b*) *Interpellatio* coniugis infidelis num velit converti aut saltem pacifice cohabitare, *quando non constat aliunde* de intentione coniugis infidelis, *ad validitatem* novi matrimonii requiritur ; *secus, ad liceitatem* tantum (1), et ab ea Ap. Sedes dispensat, quoties moraliter constet aut coniugem infidelem interpellari non posse aut interpellationem fore inutilem vel graviter noxiam. Interpellatio sive iudicialiter sive forma summaria et extraiudiciali facienda est, saltem *semel,* de auctoritate Ordinarii coniugis conversi, concessis ab eodem Ordinario coniugi infideli, si quidem eas petierit, induciis ad deliberandum, eoque monito fore ut, induciis inutiliter praeterlapsis, responsio praesumatur negativa ; et, si eiusmodi interpellatio sit impossibilis, sufficit *privata* ab ipso coniuge

(1) At *in praxi,* haec sententia tuta non est, cum matrimonia, contracta sine praevia interpellatione, fuerint *irrita* declarata in omnibus casibus.

converso facta, dummodo de ea constet vel scripto vel per duos testes. Si conversus habebat plures uxores, primam interpellare debet, vel secundam si matrimonium cum prima fuit certo invalidum; at si haec nolit ad fidem converti, quamvis velit pacifice cohabitare, et quaevis alia ex pluribus uxoribus convertatur ad fidem, conversus poterit, cum dispensatione R. P., hanc retinere, aliis dimissis. Ubi vero *lege ecclesiastica interdicitur* cohabitatio partis fidelis cum infideli, ob perversionis periculum vel scandalum, pars fidelis poterit ad novas nuptias transire si pars infidelis renuat ad fidem converti, quamvis velit pacifice cohabitare.

B) **De dispensatione Summi Pontificis.** Ex Const. Gregorii XIII *Populis ac rationibus* (25 Ian. 1585), Summus Pontifex dispensare *potest* (theologi hanc potestatem alii alio modo explicant) in matrimoniis consummatis infidelium, quum alteruter tantum ad fidem convertitur, vel quum uterque convertitur sed post baptismum non consummavit iterum matrimonium. De quo cf. tractatus ampliores.

II. *De exceptionibus relate ad cohabitationem et torum.*

582. Relate ad cohabitationem. Conc. Trid. (sess. XXIV, can. 8), docet, ex iustis causis separationem a coniugibus fieri posse quoad mensam et torum, seu quoad cohabitationem, sive perpetuo sive ad tempus. Confirmat id CIC. can. 1128-1132.

Causae separationis perpetuae sunt: 1° *Adulterium* unius coniugis moraliter certum, perfectum, formale; et ius separationis competit parti innocenti, *nisi a*) in crimen consenserit vel eidem causam dederit; *b*) illud expresse vel tacite condonaverit, et *tacita condonatio habetur* si coniux innocens, post compertum adulterium, cum altero coniuge sponte, maritali affectu, conversatus fuerit; *praesumitur* vero, nisi intra sex menses coniugem adulterum expulerit vel dereliquerit, aut legitimam accusationem fecerit. Coniux innocens, sive iudicis

sententia sive propria auctoritate se separaverit, *nullo pacto tenetur* adulterum rursus ad vitae consortium admittere; *potest*, nisi ex ipsius consensu et Ecclesiae concessione ille statum matrimonio contrarium susceperit. 2° *Mutuus consensus*, tunc tantum, quum alteruter vult religionem ingredi aut vir sacros ordines suscipere. Sed cum uterque nequeat religionem ingredi sine venia Apostolicae Sedis [coniugati invalide ad novitiatum admittuntur (can. 542, 1°)] et vir uxorem habens sit impeditus ad Ordines (can. 987 — cf. n. 630, 2°) usque dum Apostolicae Sedis dispensatio intercesserit (et si forte, sine dispensatione apostolica, licet bona fide, Ordines maiores susceperit, ab eorundem exercitio prohibetur ex can. 132, 3°), utrique coniugi, si res pro optatis cesserit, standum erit condicionibus quae in concessionis vel dispensationis rescripto apponentur.

Causae separationis temporaneae sunt: *a*) *mutuus consensus*, sive ad maiorem vitae spiritualis perfectionem (S. Paulus: « *nolite fraudare invicem nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* »), sive ob aliam honestam causam ordinis naturalis; *b*) *haeresis* vel *apostasia a fide*, tum ob perversionis periculum, tum in poenam; *c*) *educatio acatholica prolis*; *d*) *vita criminosa et ignominiosa*; *e*) *periculum animae*, ut si ex. gr. alteruter alterum impellat vel cogere velit ad peccata contra castitatem coniugalem; *f*) *periculum corporis*, ex. gr. amentia alterutrius, indigna et saeva tractatio ex parte unius, morbus infectionem producens etc.; *g*) *molesta cohabitatio* ex gravi causa. — In omnibus hisce casibus sep. temporariae, cessante causa, vitae consuetudo restauranda est; sed si separatio ab Ordinario decreta fuerit ad certum incertumve tempus, pars innocens ad id non obligatur nisi exacto tempore vel ex decreto Ordinarii.

Instituta separatione, filii educandi sunt penes coniugem innocentem, vel penes coniugem catholicum, etsi reum, si innocens sit acatholicus, nisi in utroque casu Ordinarius pro ipsorum filiorum

bono, salva semper catholica educatione, aliud decreverit.

In praxi confessarius debet dehortari poenitentes ab hisce separationibus, quae saepe plus detrimenti quam utilitatis afferunt.

583. **Relate ad torum.** *Toro* prohibetur alteruter vel uterque coniux, si votum perpetuae castitatis emisit, in quo tamen peti poterit et debebit, ratione periculi, dispensatio; de hisce iam expedita res est.

III. *De divortiis lege civili inductis.*

584. Tria huc incidunt dirimenda: 1° num iudex ferre possit sententiam divortii; 2° num coniuges divortium petere possint a iudice civili; 3° num advocati possint causam divortii suscipere.

1° **Num iudex ferre possit sententiam divortii.** *Certum* est (S. Off. d. 25 Iun. 1885) *a*) iudicem civilem posse ex gravissimis rationibus, ex. gr. ne officio renuntiare teneatur, acceptare et ad examen revocare causam divortii, dummodo sententiam ferat contra divortium; *b*) eum posse sententiam divortii ferre, quum iam auctoritas ecclesiastica matrimonium invalidum declaravit, vel quum coniuges hoc intendunt ut effectus civiles matrimonii relaxentur ad se a gravissimis incommodis liberandos, quin velint ad alias nuptias transire. *Dubium* est, utrum iudex, extra praedictos casus, possit sententiam ferre divortii; alii *affirmant,* si iudex solos effectus civiles intendat et gravissima damna passurus sit; alii *negant,* iisque adhaereo, quia sententiam divortii dicunt esse rem intrinsece malam et iuri divino repugnantem. Sacrae Congregationes quaestionem in genere non diremerunt neque, probabiliter, dirempturae sunt; sed plerumque iudicium tulerunt in casibus particularibus, et decreverunt pro singulis casibus recurrendum esse ad S. Sedem.

2° **Num coniuges divortium petere possint a iudice civili.** Coniuges nunquam poterunt licite

petere sententiam divortii ut ad alias nuptias transeant, quia peterent rem intrinsece malam et iuri divino repugnantem; sed si separationem quoad cohabitationem tum ex mutuo consensu ob gravissimam causam, tum ex auctoritate Ecclesiae instituerunt, vel si sententiam ecclesiasticam de matrimonii invaliditate obtinuerunt, in utroque casu poterunt licite dissolutionem matrimonii quoad effectus civiles a iudice civili petere.

3° **Num advocati possint causam divortii suscipere.** *a*) Tolerari potest, advocatum partes defensoris vinculi matrimonialis suscipere « dummodo episcopo constet de probitate advocati, et advocatus nihil agat, quod a principiis iuris naturalis et ecclesiastici deflectat » (S. Off. 19 Dec. 1860). *b*) Quoties coniuges licite possunt sententiam divortii a iudice civili petere, toties advocatus licite causam suscipiet. *c*) In ceteris casibus, alii tenent ex gravissima ratione ex. gr. notabilis damni vitandi, licere advocato causam suscipere; at qui contendunt iudici, ratione damni, non licere sententiam ferre de divortio, necesse est contendant advocatum ratione damni multo minus excusari.

§ 2. *De coniugii usu.*

585. De liceitate copulae in se. *Eatenus* copula in matrimonio licita est, *quatenus* ad fines matrimonii essentiales ordinatur, etiam *secundarios, non excluso* tamen *nec facto impossibili primario,* qui est generatio prolis. Ex quo sequitur: *a*) *graviter illicitam* esse copulam, quae ita exercetur ut generatio impediatur, de quo inferius videbimus; *b*) *licitam* esse copulam, quae fit ob fines honestos ex. gr. ad fovendum coniugalem amorem, ad sese exonerandum semine, quia hi fines implicite referuntur ad fines essentiales; *c*) *leviter illicitam* esse copulam, quae exerceatur *ob solam voluptatem,* fine honesto ne virtualiter quidem intento; *d*) *graviter illicitam* esse copulam, ex qua, *ob impotentiam supervenientem* (cf. n. 561), generatio sequi

non potest; at cum nonnulli auctores teneant copulam in casu licere, etsi perperam tenent, et cum difficile sit impotentes se continere, hi in bona fide relinquendi erunt. At *sterilibus* copula *licita* erit, quia *sterilitas* est accidentalis in matrimonio.

586. De liceitate copulae, inspectis eius circumstantiis. Res erit singillatim perpendenda.

I. **Inspectis circumstantiis loci.** Ratione scandali, graviter illicita erit copula in loco publico habita vel coram aliis. Relate ad copulam in loco sacro, cf. n. 183, C, *d*).

II. **Inspectis circumstantiis situs.** Situs *naturalis* est, ut vir sit incubus et mulier succuba; quivis alius *innaturalis* dicitur. Tenent Nostri, situ innaturali perficere copulam gravi carere; quia, si situs innaturalis est minus opportunus, certum est eum esse generationi aptum, et semen, semel in vaginam emissum, vel effundi non posse, cum parietes vaginales arctissime post copulam inter se cohaereant, vel, etiamsi in minima quantitate effundatur, in maiore quantitate, quam fecundatio postulet, permanere. Quaevis igitur rationabilis causa a veniali excusabit. Sed ratione detrimenti, quod valetudini obvenit, vir poterit peccare (contra caritatem erga se ipsum), si succubus vel stans copulam perficiat, cum plura eaque gravissima incommoda, ex medicorum sententia, ipse oppetere possit.

III. **Inspectis circumstantiis temporis.** 1° **Tempore sacro.** Verba SS. Patrum vel canonum ecclesiasticorum vel nonnullorum e Nostris, quae viderentur interdicere copulam tempore sacro aut poenitentiali, ex. gr. quadragesimae, adventus, vel die sacrae Synaxis susceptionem praecedente, non sunt accipienda ut prohibentia sed ut consulentia; et sententia eorum, qui venialem culpam in casu adesse tenent, nequit sustineri. 2° **Tempore fluxus menstrui.** Fluxus menstruus in muliere alius *ordinarius,* qui singulis mensibus accidit, alius *extraordinarius:* ille physiologicus, hic morbosus. *Tempore menstrui ordinarii, per se* copula illicita non

est; ratio enim indecentiae physicae culpam inducere non valet, nec alicuius momenti sunt quae veteres e Nostris, legum physiologicarum ignari, asserebant de ineptitudine ad generationem vel de damno futurae prolis. Igitur *ex quavis rationabili causa* copula erit licita, *nisi* grave damnum mulieris sanitati obvenire possit; quod *cum sit facile timendum,* coniugibus abstinentia, eo magis quod fluxus menstruus ordinarius paucos dies perdurat, consulenda omnino erit. *Tempore fluxus extraordinarii,* medicus consulendus est; at, medico inconsulto vel invito, copulam peragere *difficile* a gravi excusabitur ob gravissima incommoda et pericula, quae mulieris valetudini obvenire possunt. 3° **Tempore praegnationis.** Ex S. Alph. copula, in hac rerum condicione peracta, venialis est, modo periculum abortus absit; sed a veniali excusat periculum incontinentiae. Abortus incidit facilius primis tribus vel quatuor mensibus, et nono; et copula frequentior et vehementior eum adducere potest. At cur venialis sit copula, remoto abortus periculo? Num potius interdicenda sub gravi tunc, quum e copula generatio haberi non potest? Et id dicunt logice sequi e sententia, qua contendimus impotentiam ad matrimonium esse non, simpliciter, impotentiam coeundi, sed impotentiam generandi, et copulam, e qua generatio sequi non potest, esse illicitam. Verum, in casu, adest *impotentia temporanea,* et cum ea licet uti coniugio. 4° **Tempore puerperii,** graviter illicita est copula, ob periculum gravis damni, primis duabus hebdomadis; minus graviter illicita subsequenti tempore usque ad sex hebdomadas, quia periculum perdurat, licet non eiusdem gravitatis, donec organa generationis ad pristinum statum non redierint. Quare viro abstinentia consulenda erit medio tempore; at si periculum incontinentiae adest, nec aliter removeri potest, copula licita erit. 5° **Tempore lactationis,** copula nullum detrimentum affert, praeter quam lactis imminutionem, et demum cessationem, si nova praegnatio evenit, quae tamen

rarior est; quo in casu suppleri potest lactatio naturalis per artificialem. Haec vero ratio esse nequit cur copula prohibeatur. 6° **Tempore morbi,** copula per se illicita est, sed ob periculum incontinentiae haberi poterit dummodo grave periculum non immineat. Si alteruter coniux laborat *morbo syphilitico* seu *gallico,* copula omnino illicita est ob gravissima damna quae alteri coniugi et proli nasciturae obvenirent; si *phthisi,* licita est, tum quia periculum infectionis fere nunquam per copulam inducitur et proles nascitur regulariter sana, quamvis ex hereditate aliquantum ad phtisim disposita, tum quia dispositio hereditaria plerumque per saltum ad mediatam generationem transmittitur, tum quia proli, etsi generatur infirma, *melius est sic esse, quam non esse* (cf. Antonelli, *Medicina Pastoralis,* vol. II ad hunc locum). Tempore morbi acuti, licet non contagiosi, copula erit licita vel illicita prout minor vel maior est debilitas coniugis infirmi et deest, vel non, febris mediocris. 7° **Aliis temporibus.** Quum vir est ebrius, mulier debitum denegare tenetur, ob gravissima incommoda, quae possunt obvenire proli nasciturae; immediate vel fere immediate post prandium, copula non est sine periculo, et proinde coniugi ex caritate, tum erga se ipsum, tum erga alterum coniugem, non licebit.

587. **De liceitate actuum, qui plus minusve cum copula connexi sunt.** De hisce brevius. Actus sive solitarii sive mutui coniugum debent considerari prout fiunt *iuxta,* vel *præter*, vel *contra* matrimonii finem.

1° *Iuxta matrimonii finem* sunt quae ad ius coniugale exercendum omnino pertinent, sc. ad mutuum amorem fovendum, ad concupiscentiam sedandam, ad copulam praeparandam, vel aptius exercendam, ut colloquia, adspectus, tactus, dummodo pollutio, si forte accidat, sequatur per accidens et absit consensus periculum; insuper excitatio mulieris per tactus, ut facilior fiat emissio muci vulvo-vaginalis (quem nonnulli e recentioribus

adhuc *semen* perperam vocant); et haec licita sunt. *Huc incidit quaestio* num licita sit copula analis, quum ex anomalia vel ex operatione mulier habet vaginam communicantem cum intestino recto, loco vulvae (ita ut os anale locum vulvae teneat et per illud etiam menstrua profluant), et copula normalis non est possibilis. Utique licita est, tum quia est unicus modus perficiendi actum coniugalem, tum quia potest haberi fecundatio et partus.

2° *Praeter matrimonii finem* sunt mutui actus imperfecti (tactus, oscula, amplexus etc.) vel iidem solitarie admissi, quum ad copulam non ordinantur. Hi, quia a fine aliquo modo deflectunt, sunt illiciti sed, remoto periculo pollutionis et consensus in pollutionem, gravi carent; secus usus iuris matrimonialis esset causa perpetuae sollicitudinis et periculum damnationis aeternae. A gravi tamen difficile excusantur (etsi nonnulli aliud sentiunt) actus qui valde obsceni sunt, ex. gr. ea, quae dicitur *irrumatio* (cf. n. 252) etc.

3° *Contra matrimonii finem* sunt *pollutio voluntaria et solitaria, copula sodomitica, onanismus.*

A) *Pollutio voluntaria et solitaria,* sc. extra copulam coniugalem, est graviter illicita, imo gravior in coniugatis quam in solutis, quia laedit ius compartis, cum vir sui corporis potestatem non habeat sed mulier, et vicissim. Huc quaestio refertur *fecundationis artificialis.* Si haec eo sensu accipitur, ut homo mansturbetur et semen in vase collectum immittatur in vaginam mulieris per syphonem, graviter illicita est (S. Off. 24 Mart. 1897); si eo sensu, ut, copula physiologico modo peracta, deinde sperma digito vel syphone ulterius ad os uteri impellatur, licita est, quia opus naturae medio licito adiuvatur.

B) *Copula sodomitica* (*sodomia imperfecta*) graviter illicita est (at vid. hoc n., 1°), tum quia adversatur fini naturali actus coniugalis, tum quia adversatur fidei coniugali, ex qua ius utrique coniugi indeclinabile exsurgit, ut coniuges corpore alterius non utantur nisi modo ad generationem

apto. Sed inchoare copulam in vase praepostero ut ea compleatur in vase debito, vel tangere genitalibus vas mulieris praeposterum sine seminis effusione, cum *contra* finem matrimonii non sit, grave non est. Uxor, quae positive cooperetur sodomiae, graviter peccat; at culpa vacabit si passive se habeat, dummodo tunc solum permittat virum sodomitice agere, quum id sine gravissimo suo periculo impedire non potest amplius, et delectationi, si forte suboriatur, non consentiat.

C) *Onanismus* definitur copulae inceptae abruptio, ita ut semen extra vas effundatur, ad impediendam generationem. Huic accensetur usus mediorum, quae dicuntur *praeservativa,* ex. gr. usus *condom* in viris, intra quod semen emissum retinetur, *spongiae* vel *indumenti occlusivi,* quo, in mulieribus, ingressus seminis virilis in uterum impeditur, vel *irrigatoris,* quo semen in vagina receptum diluitur, vel substantiarum chemicarum, quibus semen enecatur. — Onanismus, quum hoc duplici modo perficitur, gravissimum peccatum est, quia adversatur tum fini primario matrimonii, tum fidei coniugali, tum bono societatis, tum coniugum valetudini; et *detestabilis res* in libro Genesis dicitur et a S. Sede declaratus fuit *iure naturali prohibitus* (S. Off. 21 Maii 1851) et *intrinsece malus* (S. Off. 19 Apr. 1853). *Cooperatio uxoris a) formalis,* per consensum, *onanismo* viri, nunquam licita erit et gravi nunquam vacabit; et erit grave peccatum tum *gaudium* tum *delectatio* de peccato ipso, *non vero* de voluptate capta ex eiusmodi copula, nec de effectibus peccati ex. gr. de praeservatione a molestiis praegnationis et partus; *b) materialis* seu *passiva,* postquam uxor virum, quantum in se erat, deterruit ab eiusmodi praxi, erit licita ex gravi causa: ex. gr. ex metu, ne iurgia et rixae oriantur et, pace semel omnino turbata, cohabitatio molesta efficiatur, neve vir adulteria committat; si alias diu uxor cum gravi incommodo ab usu coniugii abstinere cogatur etc.: et ex hac postrema causa uxor, quae per se de-

bitum ex caritate petere vetaretur, potest debitum petere. Ratio, ob quam mulier *licite* materialiter cooperatur vel debitum ex gravi causa petit, est, quod *immediate* licitae copulae cooperatur et *mediate tantum* illicitae seminis effusioni. Mulier vero *condomismo* cooperari etiam materialiter vel ipsamet uti mediis praeservativis nunquam licite poterit, *nisi forte* ex metu mortis vel gravium vulnerum, dummodo omnino passive se habeat.

Sed omni culpa vacat tum abruptio copulae quae ex fortuita necessitate patratur ex. gr. ad vitandum scandalum, quia repente aliquis supervenit, tum abruptio quae ex rationabili causa fiat ex mutuo consensu et sine periculo effusionis seminis (1).

588. De obligatione actus coniugalis. A) Neuter coniux *per se* tenetur petere debitum, quia nemo tenetur uti iure suo; sed *per accidens* uterque, et praesertim vir, ex caritate teneri potest, ob periculum incontinentiae alterius partis, quando haec ob verecundiam non petat vel *licite* petere nequeat ob votum etc. B) Coniux tenetur *ex iustitia* et *sub gravi* reddere debitum alteri vel expresse vel tacite sed serio petenti, praeter quam si alter ius amisit aut immoderate vel illicito modo petat. Diximus: *a*) *sub gravi*, et patet; sed negare debitum, *excluso incontinentiae periculo*, raro tantum, vel quum alter non serio petit, culpa gravi vacabit; *b*) *si alter ius amisit;* et ius amittitur per adulterium et per amentiam perpetuo, per ebrietatem, quamdiu ea duret, quia uxor viro ebrio reddere non tenetur ob damnum prolis oriturae; *c*) *si alter immoderate petat*, sive absolute, sive relative ad valetudinem et vires alterius coniugis: revocatis autem quae diximus de liceitate copulae tempore

(1) Licita, ut patet *ex se* et ex resp. S. Poenit. (16 Iun. 1889), est praxis copulam habendi eo tempore, quo conceptio difficilius habetur, id est a quinto decimo die post antecedentem menstruationem ad quartum vel tertium diem ante menstruationem subsequentem; im *prudenter* et *caute* suadenda esset iis coniugibus, qui ex metu numerosae prolis onanismo se dederunt vel timetur ne indulgeant.

morbi habendae, addimus, coniugem, qui reddendo exponeretur periculo gravis morbi vel mortis (ex. gr. quia vitio cordis organico laborat), vel mulierem, quae parere nequit sine mortis periculo, ad debitum reddendum non cogi; *d*) *si alter illicito modo* petat (ex. gr. onanistice, sodomitice etc.), non vero si tantum *illicite* petat (si ex. gr. votum emisit), quia actus coniugalis ex parte alterius licitus est, et petens, etsi illicite agit, ius non amisit.

Art. 2. De matrimonio dubio.

589. Quum **dubia** est **validitas** matrimonii, sive dubium exstitit ante quam contraheretur matrimonium sive matrimonio contracto supervenit, si dubium est *leve*, spernendum erit. Si matrimonium videtur *probabiliter* nullum, tunc diligens inquisitio erit instituenda; et interim si *alteruter* coniux dubitet, ipse petere nequit, reddere debet; si *uterque* dubitet, neuter petere vel reddere potest. Inquisitione peracta, *a*) si matrimonium certo nullum fuisse deprehenditur, in hoc casu ea serventur, quae inferius, ubi de matrimonio nullo; *b*) si *dubium permaneat*, quamvis pro matrimonii validitate nulla probatio, pro nullitate probabilis sed non certa probatio adsit, standum est pro valore matrimonii, tum quia matrimonium possidet, tum quia quodvis factum praesumitur recte factum, etsi cum dubio matrimonium fuit contractum; poterit tamen peti dispensatio ad cautelam. Unica exceptio habetur in dubio impedimento ligaminis; nam, *donec non constet* de morte prioris coniugis, antecedens matrimonium possidet, et altero coniugio uti non licet.

Art. 3. De matrimonio nullo.

590. Matrimonium potest esse nullum vel *ex defectu consensus*, vel *ex defectu formae* sc. *ob impedimentum clandestinitatis*, vel *ob aliud impedimentum*. Ut patet, quum uterque coniux novit nullitatem et vult separari, promovenda est iuridica

nullitatis sententia, coniugibus interea quoad cohabitationem separatis.

591. De matrimonio nullo ex defectu consensus. Si matrimonium est invalidum ex defectu consensus, tum quia ficte, tum quia ex errore, tum quia ex metu consensus fuit praestitus, consensus fictus potest quandolibet suppleri, consensus ex errore vel ex metu praestitus postquam error aut metus cessaverit. Sed consensus, si *publice* de nullitate *constat,* debet renovari *coram parocho et testibus.* Quum defectus consensus *non* est *publicus,* aut consensus *ex utraque parte* defuit, aut *ex alterutra; si primum,* consensus debet ab utroque coniuge renovari *formaliter atque externe,* ac si tunc contraheretur matrimonium, si alter alterum non consensisse sciat, *interius* si alter alterum non consensisse ignoret; *si secundum*, pars quae non consensit, quando ex parte alterius consensus moraliter perdurat, consensum supplere debet *interius,* si defectus consensus fuit mere internus; secus, *externe,* aliquo modo privato ac secreto; sed quum altera pars medio tempore consensum *positive* retractavit, requiritur utriusque partis consensus ad matrimonium revalidandum (cf. CIC. can. 1136).

592. De matrimonio nullo ex defectu formae, sc. ex impedimento clandestinitatis. Aut *nullitas* est *publica,* aut *occulta.* Si *publica, per se* matrimonium contrahi debet in ecclesia, coram parocho et testibus, servata forma Ritualis Romani; quum alteruter vel uterque sponsus renuit ecclesiam adire, sed tamen non repugnat adesse coram parocho et testibus, privatim matrimonium iniri poterit, remoto deinde scandalo per manifestationem matrimonii contracti; si alteruter coram parocho et testibus comparere nolit, sed velit consensum dare per epistolam vel per procuratorem, id fieri poterit de Episcopi consensu; si alteruter nolit consensum renovare, quia id inutile putat, sanatio in radice petenda erit; si demum neuter velit adesse coram parocho vel delegato et duobus testibus, suo re-

probo sensui erit relinquendus, nec petenda sanatio in radice, quae ab Ecclesia iis non impertitur qui eius leges obstinate despiciunt. Si *nullitas* est *occulta,* sufficit ut *secreto*, coram parocho et testibus, consensus renovetur (cf. CIC. can. 1137).

593. De nullitate matrimonii ob aliud impedimentum. Aut *revalidatio obtineri nequit*, quia agitur de impedimento indispensabili, aut *obtineri potest*. A) *Si revalidatio obtineri nequit:* Aut *a*) *nullitas* est *publice nota*, et coniuges separandi sunt et promovenda nullitatis sententia. Aut *b*) nullitas est *alterutri vel utrique coniugi tantum* nota, et promovenda erit iudicialis sententia de invaliditate; sed si nullitas iuridice probari nequit, coniuges, sub specie divortii quoad torum et cohabitationem, separandi sunt, quum periculum incontinentiae adest; si hoc desit, poterunt vivere uti frater et soror. Aut *c*) nullitas est *sacerdoti tantum nota* et *coniuges* sunt *in bona fide*, et monendi sunt si facile separari queant et nullum scandalum vel damnum inde oriturum sit; secus, erunt in bona fide relinquendi. B) *Si revalidatio obtineri potest*, quia in impedimento dispensatio conceditur, plures casus occurrunt. *a*) Si *nullitas* est *publice nota*, coniuges separandi sunt donec obtineatur dispensatio; et contrahi denuo debet matrimonium in forma ad celebrationem praescripta, etiamsi id primo factum fuerit, tum ad reparandum scandalum, tum ut publice constet de matrimonii validitate. Si tamen coniuges renuant - quod facile fit - denuo publice in ecclesia contrahere, poterunt consensum privatim renovare coram parocho et testibus, dummodo deinde manifestetur matrimonium contractum ad removendum scandalum. *b*) Si nullitas est *neutri coniugi nota*, quum nullum periculum timeri potest, petenda est dispensatio, et deinde coniuges debent moneri, ut renovent consensum sine forma pro celebratione praescripta; sed quum adest gravis ratio non revelandi impedimentum, ex. gr. quia error Ordinarii vel parochi intercessit, aut dubi-

tatur utrum coniuges velint consensum renovare, consultius erit petere sanationem *in radice*, de qua paullo inferius. *c*) Si nullitas est *alterutri tantum coniugi nota,* dispensatio petenda est, et pars impedimenti conscia consensum privatim et secreto renovet, modo altera in consensu praestito perseveret. Sed, medio tempore, pars conscia impedimenti debet abstinere a copula petenda et reddenda; et si, altero ignaro potente, nesciat absolute quomodo se liberare a reddendo, censent nonnulli e Nostris impedimentum heic cessare, quia lex positiva, etsi irritans, nequit obligare cum tanto incommodo; at dispensatio semper petenda erit, saltem ad cautelam. *d*) Si nullitas est *utrique coniugi nota,* ab utroque, accepta dispensatione, renovari debet consensus, non adhibita forma pro celebratione praescripta; et nedum uterque prohibetur, medio tempore, petere et reddere, sed, si periculum adest incontinentiae, separatio fieri debet sub aliquo praetextu ex. gr. itineris etc. (cf. CIC. can. 1133, 1135).

Sanatio in radice est sanatio consensus, impedimento dispensato, et ablatio effectuum a nullitate provenientium, per Summum Pontificem facta. *Sanatio in radice* potest habere locum quum simul *hae condiciones* concurrunt: *a*) si impedimentum est *iuris ecclesiastici*, non vero si iuris naturalis vel divini, etiamsi cessaverit; *b*) si consensus fuit *vere matrimonialis;* attamen sanatio haud raro conceditur quando coniugum unio habet extrinsecam et naturalem matrimonii figuram, ut in *matrimonio civili; c*) si consensus *virtualiter* perseverat (ex. gr. si alteruter coniux in amentiam inciderit, *non vero* si obierit); si in utraque vel alterutra parte vel ab initio defuit consensus vel, etsi ab initio praestitus, fuit postea revocatus, sanatio in radice fieri nequit, sed si consensus ab initio defuit sed postea praestitus fuit nec unquam revocatus, sanatio concedi potest a momento praestiti consensus; *d*) si gravis causa adest, et quando adsit vidimus hoc n. et superiore **592** (cf. CIC. can. 1138-1141).

PARS ALTERA

DE MEDIIS AB ECCLESIA EDITIS

SECTIO PRIMA

DE MEDIIS COERCITIVIS SEU DE CENSURIS

CAP. I. De censuris in genere.

(Cf. CIC. can. 2241-2253)

ART. I. De notione et distinctione censurae.

594. Censura definitur poena medicinalis spiritualis, qua baptizatus delinquens et contumax quibusdam bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis per potestatem ecclesiasticam privatur, donec a contumacia recedens, absolvatur. Cum *in odiosis* versemur, censura est *strictissimae interpretationis.*

Censura distinguitur *a)* ratione *essentiae,* seu bonorum quibus privat, in *excommunicationem, interdictum, suspensionem; illa* et *istud* feruntur in omnes, *haec* in solos clericos; *illa* habet vim solius *censurae* seu poenae medicinalis; *istud* et *haec* possunt habere etiam vim poenae *vindicativae* (in dubio autem praesumuntur censurae), et hac de caussa tenent etiam personas morales et innocentes (1); *b)* ratione *auctoris,* seu *causae efficientis,* distinguitur alia *a iure,* alia *ab homine,* prout lege

(1) Excommunicatio, quae attingit tantum personas physicas, si feratur in corpus morale, intelligitur singulos afficere qui in delictum concurrerint, non igitur innocentes [cf. n. **596**, III, C)].

stabili fertur adversus futura delicta, vel, contra, fertur a superiore per modum mandati seu praecepti aut per sententiam iudicialem particularem aut per modum legis seu statuti; *c*) ratione *modi, quo incurritur,* alia *latae sententiae,* alia *ferendae sententiae*, prout statuitur incurrenda *ipso facto,* quo aliquis legem violat, vel, contra, statuitur incurrenda post iudicis sententiam; *d*) ratione *potestatis absolvendi*, alia *reservata*, alia *non reservata*, prout absolvi potest potestate propria et ordinaria a censuram ferente aut eius superiore vel successore tantum, vel etiam ab inferioribus ministris.

Reservatio *censurae a*) *latae sententiae,* non sustinetur, nisi eam reservari ex lege aut praecepto expresse constet: in dubio tum iuris tum facti non urget; *b*) *impedientis receptionem sacramentorum*, (cf. n. **476**), importat reservationem peccati cui censura est adnexa; verum si quis vel a censura excusatur vel fuit ab ea absolutus, reservatio peccati cessat; *statuta pro particulari territorio*, cessat extra territorium, ita ut censuratus possit a quolibet confessario extra territorium absolvi; sed *d*) *censurae ab homine* tenet ubique locorum.

Casus papales seu censurae hodie vigentes distinguuntur ratione *modi*, *quo reservantur: a*) In censuras *specialissimo modo* R. P. *reservatas;* eo sensu, quod earum absolutio *specialissima facultate* indiget et non comprehenditur in facultate absolvendi a censuris speciali modo R. P. reservatis. *b*) In c. *speciali modo* R. P. *reservatas.* Hae ita vocantur, tum quia pro iis generalis facultas absolvendi a censuris R. P. reservatis non sufficit, tum quia eximuntur a potestate Episcopis concessa a iure (cf. CIC. can. 2237, § 2), tum quia praesumentes ab iis absolvere sine speciali facultate, extra casus urgentiores et articulum mortis (de quibus cfr. n. **480**), incurrunt (item ac qui sine debita facultate et extra eos casus absolvere praesumunt a cens. *specialissimo modo* reserv.) excomm. R. P. simpliciter reservatam. *c*) In c. *simpliciter* seu *or-*

dinario modo R. P. *reservatas. d*) In c. *Ordinario reservatas. e*) In c. *nemini reservatas*, i. e. quae eosdem, ac ceterae, gignunt effectus, sed possunt a quolibet confessario absolvi.

Art. 2. Quis possit ferre censuram et quaenam ad censuram ferendam requirantur.

595. Quis possit ferre censuram. Censuram ferre potest qui potestatem sive *ordinariam* in utroque foro sive *delegatam* ad id habet. Habent potestatem *ordinariam* et censuras ferre possunt *Summus Pontifex* et *Concilium Oecumenicum* pro tota Ecclesia ; *legati apostolici* intra fines territorii sibi assignati ; *Concilium provinciale* pro tota provincia ; *Episcopi* (quo nomine comprehendimus Patriarchas residentiales et Archiepiscopos seu metropolitas in sua dioecesi, non in dioecesi suffraganeorum nisi in actu visitationis, modo agatur de criminibus notoriis vel notoriis offensis quae sibi aut suis illatae sint, ex can. 274, 5°, CIC.) intra territorium suae iurisdictionis, itemque *Abbates nullius* cum iurisdictione, *Vicarii generales,* si habuerint speciale mandatum, et, sede vacante, *Vicarii capitulares ; Praelati regulares* in suos subditos, iuxta constitutiones Ordinis sui. *Parochi nequeunt* censuras ferre, quia iurisdictione in foro externo non potiuntur; S. R. E. *Cardinales* in ecclesiis titularibus *probabilius* nequeunt ferre censuras, post Constit. Innoc. XII « *Rom. Pontifex* » d. 17 Sept. 1692. *Potestate delegata* donari possunt *soli clerici,* quia non clerici sunt incapaces iurisdictionis ecclesiasticae.

596. Quaenam ad censuram ferendam requirantur. Alia requiruntur *ex parte rei*, alia *ex parte censuram ferentis*, alia *ex parte subiecti.*

I. **Ex parte rei.** Peccatum *externum , mortale, consummatum, non mere praeteritum, cum contumacia coniunctum.* Et 1° *Externum;* et sane peccatum internum plecti nequit censura ferendae

sententiae, quia in iudicio probari non potest, sed *per se* censurae latae sententiae peccatum internum obnoxium foret, quia si Ecclesia praecipere potest actus mere internos (cf. n. 46), posset eos sub censura praecipere; hoc tamen nec usuvenit nec expediret, cum poena tam gravi coerceri non deceat nisi actus qui ordinem externum violant. 2° *Mortale*, tum ratione actus interni, tum ratione actus externi. Igitur ex parvitate materiae et imperfectione actus censura non incurritur, etiamsi actus externus gravis appareat, quo in casu qui peccatum subiective mortale non admisit, ad vitandum scandalum debet se gerere ac si censuratus esset; nec incurritur censura si actus est interne gravis, sed non externe, ut ex. gr. si quis ex odio et intentione graviter mala clericum levissime percusserit. 3° *Consummatum*. Cum enim leges poenales sint strictissimae interpretationis, *non cadit* sub censuram actus: *a*) *attentatus* (ex. gr. non incurrit censuram qui in clericum explodit et eum non attingit); *b*) *non completus* in suo esse (ex. gr. non incurrit provocans ad duellum, si provocatio, licet mandata, per mandatarios ad provocatum non pervenit); *c*) actus, quem *effectus non* fuerit *secutus*, si ab effectu capit perfectionem (non incurritur censura, quae fuerit lata in homicidium, si ex. gr. ex propinato veneno mors non fuerit secuta). Si quem vere *ante consummationem*, i. e. *ante quam sequatur effectus*, facti poeniteat, censuram item incurrit si effectum cavere non potest, quia poenitentia non impedit quominus effectus postea secutus sit omnino voluntarius. Nec valet ratio a S. Alph. adducta, deesse hic contumaciam, quia contumacia adest in eo qui, legem et poenam cognoscens, eam voluntarie violat, etsi postea voluntatem retractat. 4° *Non mere praeteritum*, quum agitur de censuris ferendae sententiae; quum enim delictum est mere praeteritum relate ad suos effectus et peccator se ad bonam frugem recepit, quorsum poena medicinalis spectaret? 5° *Cum contumacia coniunctum*.

Contumacia alia *specialis,* quae constat contemptu legis et poenae ecclesiasticae, et habetur cum quis, legitime monitus, a delicto non desistit vel patrati delicti poenitentiam, cum debita damnorum ac scandali reparatione, agere detrectat; alia *generalis*, quae consistit in voluntaria legis violatione, quum noscitur, licet *habitualiter* et non in actu peccati, ei poenam esse adnexam. *Illa* requiritur ad incurrendam censuram ferendae sententiae; *haec* sufficit ad incurr. censuram latae sententiae.

In uno eodemque subiecto *multiplicatur:* 1° *Censura ab homine,* si plura praecepta aut plures sententiae, aut plures distinctae partes eiusdem praecepti vel sententiae suam quaeque censuram infligant; 2° *Censura latae sententiae*, si *a*) diversa delicta, quibus singulis censura adnexa est, eadem vel distincta actione admittantur; *b*) idem delictum, censura punitum, pluries repetatur ita ut plura sint distincta delicta; *c*) delictum, diversis censuris a distinctis superioribus punitum, semel aut pluries committatur. In quo tamen notandum, Ordinarium non posse, si qua censura sit Apostolicae Sedi reservata, aliam censuram sibi reservatam in idem delictum ferre (can. 2244).

Poena latae sententiae, sive medicinalis sive vindicativa, delinquentem, qui sibi sit conscius delicti, ipso facto in utroque foro tenet: sed is, ante sententiam declaratoriam, a poena observanda excusatur quoties eam servare sine infamia nequit, et in foro externo ab eo eiusdem poenae observantiam exigere nemo potest, nisi delictum sit notorium. Declaratoriam vero sententiam dat, vel non, Superior pro sua prudentia; *dare debet*, si pars, cuius interest, vel bonum commune id postulet, et sententia poenam ad momentum patrati delicti retrotrahit (can. 2232; 2223, § 4).

II. **Ex parte censuram ferentis.** 1° Ut sit *sui compos;* proinde non valet censura ab ebrio inflicta. 2° Ut censuram ferat *intra fines suae iurisdictionis.* Sed *episcopus*, extra suam dioecesim exsistens, potest ferre censuram in subditum suum *a*) iniussu Or-

dinarii loci, per modum praecepti, ad futurum delictum praecavendum, et per modum sententiae, quae iudiciali strepitu non indigeat; *b*) si iniuste fuerit a dioecesi sua expulsus vel a iurisdictione ibi exercenda impeditus, etiam cum iudicii apparatu, certiore facto loci Ordinario. *Praelatus regularis*, ubicumque moratur, potest per modum sententiae particularis subditum censura plectere, quia eius iurisdictio est praecipue personalis. 3° Ut delinquentem *de censura infligenda praemoneat*. In censuris latae sententiae vel ferendae sententiae per legem alicui futuro delicto adnexis, ipsa *lex* monet, sc. habetur *monitio legalis*. Item, si censura *ab homine* per modum praecepti incurrenda praefigitur, ipsum *praeceptum monet;* si agitur vero de censuris ob delictum vel praeteritum, quod in suo effectu perduret, vel praesens, *monitio* ad validitatem censurae *praemittenda est*, ut de contumacia constet. Et debet fieri *triplex*, vel *una* saltem, in qua adhibenda exprimatur eam esse *peremptoriam* et *valere pro tribus*. Si triplex fiat, spatium saltem duorum dierum interponendum est inter singulas monitiones; si una peremptoria adhibeatur, sex dies inter hanc et censurae inflictionem interponi debent, *nisi facti necessitas aliud suadeat*. 4° *Ad liceitatem*, in censuris ab homine infligendis, *ut sententia in scriptis feratur*, nisi quando periculum sit in mora; sed *valet* oretenus lata. Et potest ferri *ex die* et *sub condicione suspensiva* (ex. gr. post hebdomadam, nisi intra hebdomadam id feceris), et etiam *sub condicione resolutiva* (donec creditori satisfeceris). Et quum dies vel condicio apposita est in favorem tertii (ex. gr. si intra mensem creditori non satisfeceris), *probabile est*, tertium — etiam auctore censurae inaudito — posse diem prorogare (ex. gr. alium mensem ad solutionem concedere, suspendendo per eum mensem censuram).

III. **Ex parte subiecti.** 1° Ut sit *baptizatus;* Ecclesia enim potest ferre censuras in haereticos et schismaticos, sed non in infideles, qui ei non sub-

sunt. 2° Ut sit homo *viator*, cum Ecclesia in mortuos non habeat iurisdictionem. 3° Ut sit *rationis compos*, non enim censura plectuntur qui peccare nequeunt. *Impuberes* excusantur a poenis *latae* sententiae, et potius poenis educativis quam censuris aliisque poenis gravioribus vindicativis corrigendi sunt; puberes vero, qui eos ad legem violandam induxerint vel cum iis in delictum concurrerint ad normam can. 2209, § 1-3, poenam lege statutam incurrunt (can. 2230). 4° Ut sit *subditus*. A) *Censuris papalibus omnes* subiiciuntur, nisi sint iure excepti: et iure statuitur *Cardinales* non comprehendi sub lege poenali, nec Episcopos sub poenis l. s. suspensionis et interdicti nisi expresse nominentur (can. 2227). B) *Censuris episcopalibus*, etsi in episcoporum civitate resident, non subduntur ii qui supremum tenent populorum principatum, eorum filii ac filiae, iique quibus ius est proxime succedendi in principatum. *Episcopus* censuram ferre potest *a*) *in subditum suum in aliena dioecesi exstantem*, sed tantum per modum praecepti vel sententiae particularis (non incurrit censuram *generali statuto* latam subditus in aliena dioecesi exstans, quia generale statutum non obligat extra territorium), pro crimine vel in sua dioecesi admisso, vel in aliena patrato *quod tamen* sua iurisdictione contineatur (ut ex. gr. si quis renuat ad residentiam reverti vel ad Synodum venire); *b*) *in peregrinum* in sua dioecesi delinquentem, quum agitur de laeso iure *non* speciali (quo peregrinus non ligatur) sed communi, quoties eidem sanctio adnexa est excommunicationis vel alterius poenae a iudice ecclesiastico infligendae; *c*) in *regulares quoslibet*, tamquam delegatus Apostolicae Sedis, in iis, in quibus regulares a iure episcopis subiiciuntur (cf. n. 406). C) *Censuris, tum papalibus, tum episcopalibus quomodo* et *quousque* subiiciatur *integra communitas*, ex. gr. universitas, monasterium, civitas, capitulum, videamus. *a*) *Excommunicatio* nequit ferri in totam communitatem, sed in culpabiles tantum, quia poena tam gravi

innocentes plecti aequum non est. *b*) *Interdictum* fertur iure in totam communitatem, quia in innocentes non habet rationem poenae sed *privationis*. *c*) *Suspensio* ferri potest in totam communitatem, sed *ea* tantum, quae prohibet actum, qui toti communitati, qua tali, competit, ex. gr. suspensio a iure eligendi superiorem.

Art. 3. Quaenam a censura incurrenda excusent et quomodo censura cesset.

597. Quaenam a censura incurrenda excusent. 1° *Ignorantia* tum invincibilis, tum vincibilis, tum legis, tum poenae ; si enim ignoratur actum lege vetari, deficit culpa ; si ignoratur censura, deficit contumacia. Sed sola ignorantia vincibilis non excusat a *poenis l. s. vindicativis* (de quibus in can. 2291) : *a*) Si lex poenam vindicativam infligens *careat* verbis : *praesumpserit*, *ausus fuerit*, *scienter*, *studiose*, *temere*, *consulto egerit*, aliisve similibus. — Si quis sciat aliquid prohiberi sub censura, ignoret tamen censuram esse reservatam, reservatio non cessat, quia haec naturaliter censuram consequitur et non est aliquid extraordinarium censurae adiectum. *b*) Si lex censuram infligens *habeat* illa verba, de quibus supra, quaeque plenam cognitionem ac deliberationem exigunt, excusat ignorantia *etiam crassa et supina* tum legis, tum solius poenae ; *secus*, eiusmodi ignorantia a nulla l. s. poena eximit. *c*) Ignorantia *affectata* sive legis sive solius poenae *nullo pacto* a poenis l. s. excusat. 2° *Metus gravis*, modo delictum non vergat in contemptum fidei vel ecclesiasticae auctoritatis, aut in publicum animarum damnum. 3° *Lubrietas, omissio debitae diligentiae*, *mentis debilitas, impetus passionis*, si culpabilitatem ita minuant ut gravis non sit. 4° *Dubium* sive iuris sive facti, non autem dubium iustitiae iuris, i. e. utrum lex sit iusta. 5° *Legitima appellatio* interposita sive ante sententiam, sive post sententiam

dum pendet dies vel *condicio* (cf. n. 596, II, 3°); si vero censura sit absolute lata, tunc appellatio erit non in suspensivo, sed in devolutivo. 6° *Certitudo moralis* de sententiae nullitate vel iniustitia, tum formali (quia culpa defuit), tum materiali (quia defuit probatio); at ea contemni non poterit sine scandalo, ideoque qui fuit iniuste censuratus debet *publice* ita se gerere ac si iuste censuratus esset.

598. Quomodo censura cesset. Cessat 1° *Ipso iure, a*) si pendente die vel condicione (ex. gr. eris suspensus, si intra trimestre creditori non satisfeceris), ius superioris fuerit medio tempore resolutum vel per eius obitum, vel per cessationem a munere, vel per excommunicationem et suspensionem nominatim inflictam; *b*) si lata fuit sub condicione resolutiva (sis suspensus, donec creditori non satisfacias), et haec impleta fuerit (et tu satisfeceris). 2° *Absolutione.* A) Quinam absolvere possint, quando, quomodo, vide nn. 477, 478, 480. B) Absolutio *denegari nequit,* quoties reus a contumacia recesserit, sc. vere eum poenituerit, parti laesae satisfecerit, damna et scandalum reparaverit aut se satisfacturum, reparaturum serio promiserit, quibus de rebus iudex ille est a quo absolutio petitur, quique, etsi absolvat, poterit, si res ferat, congruam vindicativam poenam vel poenitentiam infligere. Censura, semel per absolutionem sublata, non reviviscit, nisi in casu quo onus, sub poena *reincidentiae* impositum, impletum non fuerit ex gravi culpa et cum nova contumacia. *Reincidentia* est *a iure* vel *ab homine;* quae *ab homine*, apponi nequit nisi ab eo qui potest ferre censuram. C) *Dari potest a*) quum quis pluribus censuris detinetur, ab una tantum, ceteris minime absolutis: igitur qui absolutionem petit a censuris et *non omnes* indicat, absolutio valet *pro indicatis*, si ab *iis* superior vel confessarius absolvit; pro omnibus *bona fide* reticitis (exceptis specialissimo modo reservatis) si *ab om-*

nibus absolvit; *b*) *a peccatis, firma censura*, si agatur de censura quae non impedit sacramentorum receptionem; *secus*, peccata absolvi nequeunt, nisi praevia censurae absolutione; *c*) sive *absolute* sive *sub condicione*, et valida est sed illicita adiectio condicionis de praeterito vel de praesenti, ex gravi causa licita est adiectio condicionis de futuro (ex. gr. absolvo te, si restitues); *d*) *in foro non sacramentali* quovis modo, sed decet uti forma in Rituali vel Pontificali Rom. praescripta: *in foro sacramentali debet* adhiberi consueta absolutionis forma (n. 486). D) *Data in foro externo*, prodest quoque in interno; si d. *in foro interno* tantum, absolutus potest, remoto scandalo, uti talem se habere in externo, sed, nisi concessio absolutionis probetur vel legitime praesumatur in f. externo, censura poterit a Superioribus fori externi, quibus reus parere debet, urgeri, donec absolutio in foro externo habita sit (can. 2248-2251).

Art. 4. De obligatione petendi absolutionem a censuris.

599. Qui censuram certo incurrit, tenetur, *sub gravi*, ex caritate erga se ipsum, petere absolutionem cum primum id poterit sine incommodo gravi, et graviter peccat non petendo, si censura impedit quominus aliis praeceptis, ex. gr. annuae confessionis et communionis, satisfaciat. Qui in excommunicatione per annum insordescit, in foro externo habetur ut suspectus de haeresi, et vere reus delicti censura affecti praesumitur; clericus vero qui in suspensione per semestre insordescit, graviter monendus, et si, exacto a monitione mense, a contumacia non recesserit, privari debet beneficiis aut officiis, si qua in Ecclesia forte habeat (can. 2340).

Cap. II. De censuris in specie.

Art. 1. De excommunicatione.

600. De excommunicationis natura et distinctionibus. *Excommunicatio* definitur censura qua homo baptizatus privatur communione fidelium in divinis et in civilibus.

Triplex est communio fidelium inter se: *a*) mere *interna,* consistens in fide et caritate, qua fideles inter se et cum Christo uniuntur; *b*) *mere externa*, quae locum habet in actionibus profanis et civilibus, i. e. in fidelium convictu, colloquio, commerciis, etc.; *c*) *mixta,* quae fit per participationem actibus religiosis externis, qui ex instituto suo diriguntur ad bonum spirituale animarum, ut sunt administratio et susceptio sacramentorum, sacrificium Missae, publicae preces nomine Ecclesiae factae, indulgentiae. Communione fidelium mere interna Ecclesia neminem privare potest, at mere externa et mixta potest privare et facto privat.

Excommunicatio alia *maior,* alia *minor* dicitur; *illi* competit definitio excommunicationis, quam dedimus; *haec* privabat sola sacramentorum susceptione et electione passiva ad dignitates et beneficia, et ante promulgationem Constitutionis *Ap. Sedis* incurrebatur ab iis qui cum excommunicato vitando communicassent. Maior hodie unice viget; minor per Const. *Ap. Sedis* sublata est.

Qui excommunicationem maiorem incurrunt, alii *vitandi* dicuntur et sunt, eo quod fideles cum iis communicare vetantur; alii *tolerati*, quibuscum communicare fideles permittuntur. Antiquitus omnes, qui excomm. maiorem incurrissent, vitandi erant; rem Martinus V temperavit Const. *Ad evitanda;* hodie ex CIC., can. 2258, **vitandi** sunt *a*) qui fuerunt nominatim a Sede Apostolica excommunicati, excommunicatione publice denun-

ciata, et expresse edicto ipsos vitari debere; *b*) *ipso facto* qui violentas manus in personam R. P. iniecerint (can. 2343, § 1, n. 1).

601. De excommunicationis effectibus. Ex CIC. can. 2259-2267,

Excommunicatio privat:

1° **Usu divinorum officiorum.** Excommunicatus quilibet prohibetur sub gravi assistere divinis officiis (*non tamen* praedicationi verbi Dei). Excommunicatus *notorius*, qui *passive* assistat, si toleratus, non est necesse ut expellatur; si vitandus — *dummodo id fieri possit sine gravi incommodo* — expellendus est, aut, si expelli nequeat, ab officio cessandum (et si de Missa agatur, ea, nondum incepto canone, abrumpenda; secus, fidelibus recedentibus, continuanda erit usque ad consummationem utriusque speciei, et reliqua absolvenda in sacrario vel alio loco decenti); ab adsistentia vero *activa*, quae aliquam secumferat participationem in divinis officiis, repellendus est non modo vitandus, sed etiam quilibet post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam aut alioquin notorie excommunicatus. — Sed vitando, et a fortiori tolerato, licebit, tempore quo divina officia non celebrantur, Ecclesiam ingredi ibique sive seorsum sive coniunctim cum fidelibus privatim orare; concioni, ut diximus, interesse, officium divinum privatim recitare.

2° **Usu passivo seu susceptione sacramentorum:** imo, post sententiam declaratoriam aut condemnatoriam, etiam **sacramentalium. Toleratus** peccat graviter si ad sacramenta accedat ante quam absolutus fuerit ab excomm., sed valide sacramenta suscipit, praeterquam sacr. poenitentiae si *mala fide* accesserit. Sed non peccat si ad sacramenta accedat, sive quum inculpabiliter ignorat se susceptione sacramentorum privari, sive ex metu mortis vel gravis damni, quia lex ecclesiastica non obligat quum ignorantia inculpabilis vel grave incommodum intercedit. *Quando peccat* toleratus

suscipiendo, peccat item qui ei *scienter* sacramenta ministrat. **Vitandus** a fortiori peccat sacramenta suscipiendo; unice non arcetur a *poenitentiae sacramento* (D'Ann. III, 360) *in casu necessitatis*, ut quum in letali versatur et diu in statu peccati ei manendum foret; et in mortis periculo nec a viatico suscipiendo. At cf. n. **480.**

3° **Sepultura ecclesiastica,** modo intercesserit sententia declaratoria vel condemnatoria et excommunicatus *non* dederit ante mortem aliqua poenitentiae signa (can. 1240, § 1, n. 2). Privatis sepultura ecclesiastica, deneganda quoque sunt tum quaelibet Missa exsequialis, etiam anniversaria, tum alia publica officia funebria (can. 1241). Discrimen inter toleratum (post sent. declar. vel condemn.) et vitandum in hoc est, quod, si sine poenitentiae signis decessit, toleratus illicite sepelitur in loco sacro, sed non est extrahendus; vitandus vero exhumandus erit et in loco profano reponendus (cf. can. 1242, 1214, 1212).

4° **Usu activo seu confectione et administratione sacramentorum et sacramentalium.** Prohibetur excommunicatus licite sacramenta et sacramentalia conficere et ministrare. Sed fidelibus licet *ex qualibet iusta causa,* maxime si alii ministri desint, sacramenta et sacramentalia petere ab excommunicato (*ante* sent. declarat. vel condemnat.), et hic potest eadem ministrare, neque tenetur causam a requirente percontari; *in mortis articulo* petere tum absolutionem sacramentalem, tum etiam, si alii desint ministri, cetera sacramenta et sacramentalia a vitando et a tolerato (*post* sent. declar. vel condemn.). Sed *in primo casu* toleratus (*ante* sent. declar. vel condemn.) qui ministrat *non rogatus* a fidelibus (*nec tacite*), peccat et irregularitatem contrahit ob illicitum ordinis exercitium; toleratus *post* sent. declar. vel condemn. et vitandus poenitentiam invalide (quia iurisdictione caret) et illicite, itemque illicite alia sacramenta ministrat, et irregularitatem incurrit.

5° **Communibus Ecclesiae suffragiis,** i. e. iis

quae publice et nomine Ecclesiae fiunt. Privatur sc. excommunicatus quilibet, licet sit in statu gratiae, indulgentiis, suffragiis et fructibus publicarum Ecclesiae precum (non vero fructu qui oritur ex suis precibus vel bonis operibus). Non prohibentur tamen fideles pro eo privatim orare, et sacerdotes Missam privatim ac remoto scandalo pro eo applicare, sed, si sit vitandus, pro eius conversione tantum.

6° **Iurisdictione ecclesiastica.** Actus iurisdictionis tam fori externi quam interni positus ab excommunicato est illicitus, et, post sententiam declarat. vel condemnat., etiam invalidus, cum iis tamen exceptionibus de quibus paulo ante sub 4°.

7° **Iuribus fere omnibus in Ecclesia.** Et excommunicatus *a*) removetur ab actibus legitimis ecclesiasticis intra fines suis in locis iure definitos (can. 2256, 2°); *b*) prohibetur in causis ecclesiasticis agere, cum exceptionibus tamen in can. 1654 contentis; *c*) vetatur ecclesiasticis officiis seu muneribus fungi, concessisque antea ab Ecclesia privilegiis frui; *d*) exercere *licite* nequit ius eligendi, praesentandi, nominandi, et *nec valide* si vitandus aut si sent. declarat. vel condemn. intercesserit; *e*) nequit consequi *licite* dignitates, officia, beneficia, pensiones ecclesiasticas aliudve munus in Ecclesia, et collatio erit *invalida* si agatur de vitando vel de excomm. post sentent. declar. vel condemnat., qui nequit praeterea gratiam ullam pontificiam valide consequi, nisi in pontificio rescripto mentio de excommunicatione fiat; *f*) nequit ad ordines promoveri; *g*) exc. post sentent. declar. vel condemn. privatur fructibus dignitatis, officii, beneficii, pensionis, muneris, si quod habeat in Ecclesia; vitandus ipsamet dignitate, officio, beneficio, pensione, munere.

8° **Communione civili** cum fidelibus, sed unice vitandos, nisi agatur pro his de coniuge, parentibus, liberis, famulis, subditis, et generatim nisi rationabilis causa excuset.

602. De poenis latis in CIC. ob communicationem cum excommunicatis. *a*) Impendentes quodvis auxilium vel favorem excomm. vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes, ipso facto incurrunt in excomm. l. s. Sedi Apostolicae simpliciter reservatam; *b*) admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos post sent. declarat. vel condemn., contrahunt ipso iure interdictum ab ingressu ecclesiae, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint (can. 2338, § 2 et 3); *c*) qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae excommunicatos contra praescriptum can. 1240, § 1 (cf. supra sub 3°), contrahunt excommunicationem l. s. nemini reservatam; sponte vero sepulturam eisdem donantes, interdictum ab ingressu ecclesiae Ordinario reservatum (can. 2339).

Art. 2. De interdicto.

(Cf. CIC. can. 2268-2277)

603. Quid interdictum, quomodo distinguatur, a quibus ferri possit. A) *Interdictum* est censura qua fideles, in communione Ecclesiae permanentes, prohibentur divinis officiis, nonnullis sacramentis et aliquatenus sepultura ecclesiastica. B) Interdictum dividitur in *personale* et *locale*. **Personale** illud dicitur quod *directe* afficit *personas,* quibus usus eorum bonorum interdicitur, earumque ossibus haeret, quocumque eant; et erit *generale,* si feratur in populum certi territorii, in personam moralem seu communitatem (ex. gr. in monasterium, in capitulum, in studiorum universitatem); *particulare,* si in singulas quasdam personas. **Locale** illud dicitur quod *directe* afficit *locum,* neque urget extra locum interdictum; sed in loco interdicto omnes, etiam exteri et exempti, excluso peculiari privi-

legio, illud servare debent. Si territorium afficit, *locale generale* dicitur et comprehendit omnia loca sacra, etiam exempta ; si afficit determinatum locum (ex. gr. ecclesiam paroecialem) dicitur *locale particulare*, et hoc non continentur (ex. gr. si interdicto subiiciantur omnes ecclesiae loci determinati) nec ecclesiae exemptae nec oratoria privata. C) Generale interdictum tam locale in territorium reipublicae, dioecesis, quam personale in populum reipublicae, dioecesis, ferri potest ab Apostolica Sede tantum vel de eius mandato ; generale, tam locale in territorium paroeciae, quam personale in paroeciae populum, in communitatem, et particulare, sive locale sive personale, etiam Episcopus ferre potest.

604. De effectibus interdicti. I. Interdictum locale generale prohibet in loco quodlibet divinum officium vel sacrum ritum. Sed *a*) diebus festis Nativit. Domini, Paschatis, Pentecostes, SS. Corporis Christi et Assumptionis B. M. V. interdictum locale suspenditur, et prohibentur tantum collatio ordinum et sollemnis nuptiarum benedictio ; *b*) licet morientibus et infirmis viaticum privatim deferre itemque morituris sacramenta ac sacramentalia, servatis servandis, ministrare ; c) *nisi decreto interdicti aliud expresse caveatur, aa*) permittitur clericis, modo non sint personaliter interdicti, omnia divina officia et sacros ritus in quavis ecclesia vel oratorio privatim obire, ianuis clausis, voce submissa et campanis non pulsatis ; *bb*) in ecclesia cathedrali, in ecclesiis paroecialibus vel in ecclesia, etsi non paroeciali, quae unica sit in oppido, *in iisque solis* permittuntur unius Missae celebratio ; asservatio SS. Sacramenti ; administratio baptismatis, Eucharistiae, poenitentiae ; assistentia matrimoniis, exclusa benedictione nuptiali, mortuorum exsequiae, vetita tamen quavis sollemnitate ; benedictio aquae baptismalis et sacrorum oleorum ; predicatio verbi Dei. Sed in his sacris functionibus abstinendum a cantu, pompa in sacra

suppellectili et sonitu campanarum, organorum aliorumque instrumentorum musicalium.

II. **Interdictum locale particulare**, quum latum fuerit *in certam ecclesiam vel oratorium* (et tunc interdicta sunt sacella contigua, minime vero coemeterium), si ecclesia sit *capitularis* et capitulum non sit interdictum, valent quae diximus supra, sub I, *a*), *c*) *aa*) nisi tamen interdicti decretum praecipiat Missam conventualem celebrari et horas canonicas recitari in alia ecclesia vel oratorio ; si *paroecialis*, valent quae sub I, *a*), *b*), et *c*) *bb*), nisi interdicti decretum aliam ecclesiam pro interdicti tempore eidem suffecerit. Quum interdictum latum est in *sacellum* (quo in casu non est interdicta integra ecclesia) vel *altare* alicuius ecclesiae, nullum sacrum officium seu sacer ritus in iisdem celebrari potest : si vero latum fuit in coemeterium (quo in casu non est interdicta ecclesia ipsi contigua, sed interdicta sunt omnia oratoria in ipso erecta), fidelium quidem cadavera sepeliri ibidem possunt, sed sine ullo ecclesiastico ritu.

III. **Interdictum personale generale** habet, quoad omnes interdicto perculsos, eosdem effectus quos giguit interdictum personale particulare quoad singulos personaliter interdictos (v. infra). Quum vero agitur de *communitate,* si interdictum latum est *a*) in communitatem qua talem, ipsa prohibetur omnia spiritualia iura, quae sibi competant, exercere ; si *b*) in singulas personas delinquentes, ea valent quae mox dicturi sumus de personaliter interdictis ; si *c*) in communitatem et in personas delinquentes, effectus cumulantur.

IV. **Interdictum personale particulare.** *Personaliter interdicti : a*) nequeunt officia divina celebrare vel iis, excepta praedicatione verbi Dei, assistere ; si passive assistant, non est necesse ut expellantur ; sed ab assistentia activa, quae sc. secumferat aliquam participationem in divinis officiis celebrandis, repellendi sunt interdicti post sent. declarat. vel condemnat. aut alioquin notorie interdicti ; *b*) aequiparantur excommunicatis quoad

confectionem, susceptionem, administrationem sacramentorum et sacramentalium et sepulturam ecclesiasticam (cf. n. 601, 2°, 3°, 4°).

V. **De exceptione in causa innocentis.** Qui interdicto locali vel interdicto in communitatem seu collegium lato subest, quin eidem causam dederit, nec alia censura prohibeatur, potest, si rite sit dispositus, sacramenta recipere, quae conferri licet tempore interdicti, quin teneatur absolutionem ab interdicto petere vel quovis modo satisfacere auctoritati quae interdictum tulit.

VI. **De cessatione interdicti.** *a*) *Interdictum locale* et *interdictum personale generale*, latum in populum vel in communitatem qua talem (quae non sunt censura, sed privatio), cessant per *remissionem* eius qui illud tulit, vel adveniente die, si in diem latum fuit: ceterum locale non viget extra locum seu territorium, et interdictum in communitatem qua talem non viget *quoad singulos*, quum communitatem, monasterium etc. deserunt. *Interdictum personale particulare* cessat *absolutione*, a quovis confessario concessa, servatis servandis (nam est vera censura), nisi sit *ab homine* vel *a iure reservatum*.

605. Accedit interdicto stricte sumpto *interdictum ab ingressu ecclesiae*, quod est censura [sed potest ferri etiam ut poena vindicativa (can. 2391)] qua quis prohibetur in ecclesia celebrare officia divina, iisdem assistere (sed, si assistat, non est necesse ut expellatur) et ecclesiasticam sepulturam habere (sed, si sepeliatur, non est amovendus). Igitur *in ecclesia* ei licebit privatim orare et sacramenta recipere; *in privato oratorio* vel *in coemeterio ecclesiae contiguo* ordinem exercere, sacris interesse; si poenitens decedat, iure sepeliendus est in loco sacro. — Interdictum hoc est *a iure* vel *ab homine;* quod *a iure* est, nisi sit reservatum, a quovis confessario absolvitur.

Art. 3. De suspensione.

(Cf. CIC. can. 2278-2285)

606. De suspensionis natura, distinctionibus, effectibus. *Suspensio* definitur censura qua clericus vel *officio* vel *beneficio* vel *utroque* prohibetur.

A) Suspensio alia *proprie dicta*, alia *improprie dicta: illa* est quae habet rationem *censurae* seu *poenae medicinalis*, haec est vel *poena vindicativa* vel *mera prohibitio;* quarum *utracumque* violetur, incurritur irregularitas (1). Habent, generatim loquendo, rationem censurae suspensiones latae sententiae quae a iure sunt, vel ab homine feruntur per modum legis stabilis seu statuti; item, quae *praecepto* adnectuntur, et quae feruntur ob delictum grave etc. non mere praeteritum, praemissa monitione canonica et servato iuris ordine. *Potest* etiam *habere* rationem censurae suspensio *ex informata conscientia* seu *extraiudicialis,* de qua mox dicemus. Sed non habent rationem censurae suspensiones quae utcumque propter culpam mere praeteritam feruntur; nec quae tum omissa monitione, tum non declarata causa, tum oretenus infliguntur; nec quae feruntur in personam moralem (innocentes enim nequeunt *censurari*, sed possunt *privari*).

B) Suspensio alia *generalis*, alia *specialis*. Suspensio *generalis*, seu generaliter lata (ex. gr. te suspendimus) privat clericum *omni* usu potestatis ecclesiasticae, provenienti ab officio et beneficio, nisi aliud constet. Afficit, si *a iure*, omnia beneficia et officia quaecumque et ubicumque possideantur; si *ab homine*, omnia officia et beneficia, nisi aliud appareat, quae possideantur in dioecesi Superioris suspendentis; Ordinarius vero nequit clericum suspendere ab officiis et beneficiis quae in aliena dioecesi possideat. Suspensio *specialis* privat usu

(1) Cf. n. 629, 7°.

potestatis unius vel alterius speciei, ut melius patebit infra.

C) Suspensiones *speciales* plures enumerantur. Et *a*) Suspensio *ab officio* simpliciter, nulla adiecta limitatione, afficit, nisi aliud appareat, omnia officia quae clericus habeat in dioecesi Superioris suspendentis, et vetat omnem actum tum potestatis ordinis et iurisdictionis, tum etiam merae administrationis ex officio competentis, excepta administratione bonorum proprii beneficii. *b*) Suspensio *a beneficio* afficit, nisi aliud appareat, omnia beneficia quae clericus possidet in dioecesi Superioris suspendentis, et eum privat *fructibus* beneficii (quos si, censura non obstante, perceperit, restituere debet et ad id cogi potest canonicis quoque sanctionibus), *non* autem *iure* administrandi bona beneficialia nisi decretum vel sententia suspensionis ipsam administrandi potestatem suspenso expresse adimat et alii tribuat. *c*) Suspensio *a iurisdictione* generatim, vetat omnem actum potestatis iurisdictionis pro utroque foro tam ordinariae quam delegatae. *d*) Suspensio *a divinis* prohibet omnem actum potestatis ordinis quam quis sive per sacram ordinationem sive per privilegium obtinet (ex. gr. facultatem confirmandi pro presbytero). *e*) Susp. *ab ordinibus* vetat omnem actum potestatis ordinis receptae per s. ordinationem; *a sacris ordinibus*, omnem actum potestatis ordinis receptae per ordinationem in sacris; *a certo et definito ordine exercendo*, omnem actum ordinis designati, et praeterea suspensus prohibetur tum eumdem ordinem conferre, tum superiorem recipere receptumque post suspensionem exercere; *a certo et definito ordine conferendo,* ipsum ordinem conferre, non vero inferiorem nec superiorem. *f*) Suspensio *a certo et definito ministerio*, ex. gr. audiendi confessiones, vel *officio*, ex. gr. cum cura animarum, vetat omnem actum eiusdem ministerii vel officii. *g*) Susp. *ab ordine pontificali* prohibet omnem actum ordinis episcopalis; *a pontificalibus*, vetat sacras functiones peragere quae ex legibus liturgicis re-

quirunt insignia pontificalia, idest baculum et mitram.

D) Suspensus *ea quoque* ***iura amittit***, quae excommunicato auferri diximus **n. 601, 7°**, *c*), *d*), *e*). — Quoties suspensio *vetet administrationem Sacramentorum vel Sacramentalium*, idem **ius** valet pro suspensis ac pro excommunicatis (cf. **n. 601, 4°**); si vero prohibeat *actum iurisdictionis in foro seu interno seu externo*, actus, ex. gr. absolutio sacramentalis, est *invalidus*, si intercessit sent. declarat. vel. condemnat., aut Superior expresse declaravit se ipsam iurisdictionis potestatem revocare; secus est *illicitus* tantum, et *neque illicitus* si a fidelibus petitus fuerit ex iusta causa, maxime si alii ministri defuerint. — Si *communitas seu collegium clericorum* delictum commiserit, suspensio potest ferri vel in singulas personas delinquentes, vel in communitatem qua talem, vel in personas delinquentes et communitatem; si 1um, effectus suspensionis colligantur ex antea dictis; si 2um, communitas prohibetur exercitio iurium spiritualium quae ipsi, uti communitati, competunt; si 3um, effectus cumulantur. — Suspensio cessat absolutione, si fuit lata per modum censurae; per remissionem Superioris, si lata per modum poenae, et impleta condicione, veniente die, si sub condicione et ad diem inflicta fuit.

607. Suspensio **ex informata conscientia** seu **extraiudicialis** (can. 2186-2194) ea est, qua Ordinarius suspendit clericum ab officio sive in parte sive in totum *ex causis sibi notis*. A) *Ad ferendam eiusmodi suspensionem a*) Ordinarius *licite* devenire nequit, si potest sine gravi incommodo ad iuris normam in subditum procedere; *b*) *non requiruntur* neque formae iudiciales neque canonicae monitiones; *c*) Ordinarius debet antea ex peractis investigationibus tales collegisse probationes, quae eum certum reddant de delicto patrato et adeo gravi ut ea poena sit coercendum; *d*) delictum debet esse occultum, et sufficit ut e pluribus delictis u-

num sit occultum; delictum notorium seu publicum tunc tantum plecti potest hac suspensione, si processus iudiciarius *incipi* vel *perfici* nequit, tum quia testes probi ac graves, qui delictum Ordinario patefecerunt, nequeant induci ad testimonium publice ferendum et aliae probationes desint, tum quia clericus, minis aliisque mediis adhibitis, processum impediat, tum quia processui conficiendo ferendaeque sententiae impedimenta ex adversis civilibus legibus aut e gravi scandali periculo oriantur; *e*) Ordinarius ferre debet decretum, in scriptis (designato die, mense et anno), quo dicat se infligere suspensionem ex informata conscientia seu ex causis sibi notis, indicet tempus durationis poenae, et actus determinatos qui prohibentur, si suspensio non in totum sed ex parte irrogetur. Poterit vero Ordinarius ferre suspensionem in tempus indeterminatum, tamquam censuram, sed in hoc casu debet clerico causas patefacere. — Etiam extra hunc casum, potest Ordinarius clerico delictum, si opportunum duxerit, patefacere, ita tamen ut poena vindicativa, paternis monitis interpositis, in emendationem rei cedat. B) Si in locum clerici suspensi, ex. gr. in cura animarum, alius sit interim sufficiendus, pensionem huic ex fructibus beneficii Ordinarius prudenti iudicio constituere debet, salva clerico facultate petendi pensionis imminutionem ab immediato Superiore qui in via iudiciaria esset iudex appellationis. Quod si clericus recursum ab ipsa suspensione interponat, Ordinarius tenetur mittere ad Sedem Apostolicam probationes, e quibus constet de patrato delicto extraordinaria eiusmodi poena digno.

608. Huc solent referre et adiici **depositio** et **degradatio**, quas inter medium *nunc* tenet locum **privatio habitus ecclesiastici.** — Sed de his cfr. CIC. can. 2303-2305.

Cap. III. De censuris latae sententiae hodie vigentibus (1).

Art. 1. De excommunicationibus.

§ 1. *De excommunicationibus specialissimo modo R. P. reservatis.*

609. Ex CIC. excommunicationem *specialissimo modo* R. P. reservatam incurrunt:

1° *Qui species consecratas abiecerit vel ad malum finem abduxerit aut retinuerit (can. 2320).*

Retinuerit, sc. ab alio abductas.

2° *Qui violentas manus in personam Romani Pontificis iniecerit (can. 2343, § 1).*

Est praeterea ipso facto vitandus (ibidem). *Violentas manus:* igitur exc. haec non incurritur per iniuriam verbalem, sed facto, i. e. laesione tum corporis, tum libertatis, tum dignitatis (foedando sputo vel sordibus, vestes dilacerando, currum detinendo, galerum, pileum, baculum detrahendo etc.), etiamsi agatur de actibus in se levibus, qui tamen contineant laesionem gravem *saltem* dignitatis.

3° a) *Absolvens vel fingens absolvere complicem in peccato turpi, idque etiam in mortis periculo, si alius sacerdos, licet non adprobatus ad confessiones, sine gravi aliqua exoritura infamia et scandalo, possit excipere morientis confessionem, excepto casu quo moribundus recuset alii confiteri;* b) *etiamsi complex peccatum complicitatis, a quo nondum est absolutus, non confiteatur ideo, quia ad id a complice confessario sive directe sive indirecte inductus est (can. 2367).*

De complicitate in peccato turpi cf. nn. **481-484.** *Absolvens vel fingens absolvere:* igitur *non* incurrit *a*) qui *illicite* audit complicis confessionem sed non absolvit; *b*) absolvens complicem, qui peccatum complicitatis non confitetur, dummodo

(1) Commentaria singulis censuris subiiciemus eo uberiora, quo illae magis ad praxim poenitentialem spectant et explanatione indigent; sin minus, vel vix ulla, vel nulla prorsus.

hic ad tacendum non sit inductus directe vel indirecte a confessario complice; *c*) qui dubitat, num poenitens sit suus complex et proinde absolvit, quia non tenetur inquirere cum dedecore suo et status sacerdotalis.

4° *Confessarius qui sigillum sacramentale directe violare praesumpserit (can. 2369).*

Praesumpserit: cf. n. 597. — De violatione directa sigilli sacramentalis v. n. 495.

§ 2. *De excommunicationibus speciali modo R. P. reservatis.*

610. Ex CIC. excommunicationem *speciali modo* R. P. reservatam incurrunt:

1° *Omnes a christiana fide apostatae et omnes et singuli haeretici aut schismatici (can. 2314, § 1)*

Apostatae hic sunt qui totaliter deficiunt a fide per baptismum suscepta et sive interius sive exterius nolunt haberi ut catholici, sive ad alium cultum vel sectam quamlibet transierint, sive nullum cultum profiteantur (ut athei, qui vulgo audiunt *liberi-pensatori*). *Haeretici* sunt omnes christiani qui aliquam veritatem ab Ecclesia propositam *exterius aliquo modo*, etiamsi nemo audiat, *formaliter negant* vel de ea dubitant, vel aliquam superstitionem, quae haeresim contineat, cum advertentia ad haeresim exercent. — Si delictum apostasiae, haeresis vel schismatis ad forum externum Ordinarii loci quovis modo deductum fuerit, etiam per voluntariam confessionem, idem Ordinarius, non vero Vicarius Generalis sine mandato speciali, resipiscentem, praevia abiuratione iuridice peracta (idest coram ipso Ordinario loci vel eius delegato et saltem duobus testibus) aliisque servatis de iure servandis, sua auctoritate in foro exteriore absolvere potest; ita vero absolutus, potest deinde a peccato absolvi a quolibet confessario in foro conscientiae (can. 2314, 2°).

2° *Opere publici iuris facto, editores librorum apostatarum, haereticorum et schismaticorum, qui apostasiam, haeresim, schisma propugnant, itemque eosdem libros aliosve per apostolicas litteras nominatim prohibitos defendentes aut scienter sine debita licentia legentes vel retinentes (can. 2318, § 1).*

Opere publici iuris facto; non igitur, si quid opinor, dum imprimunt, aut opere vix impresso, quod nondum ex officina prodierit, sed quum opus venale prostat et damnum afferre potest. Libros igitur, non aliquam haeresim continentes, ut ex. gr. fabulam Romanensem ab haeretico conscriptam, in

quam obiter aliquis error *inciderit,* sed *propugnantes* haeresim; libros apostatarum, haereticorum et schismaticorum, non igitur iudaei vel catholici; *scienter* legentes, sc. quibus certo constat librum esse ab apost., haeret. et schismatico conscriptum et haeresim etc. propugnare. Quid *libri* nomine veniat et nomine legentium, retinentium, defendentium, v. n. 117, I. II.; cetera sunt clarissima.

3° *Qui ad ordinem sacerdotalem non promotus, Missae celebrationem simulaverit aut sacramentalem confessionem exceperit (can. 2322).*

4° *Omnes et singuli, cuiuscumque status, gradus seu conditionis etiam regalis, episcopalis vel cardinalitiae fuerint, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes (can. 2332).*

Omnes et singulos, sc. personas physicas, nam personis moralibus appellantibus consultum est per interdictum; *pro tempore exsistentis,* non igitur defuncti, sede vacante; *ad Universale Concilium,* tum futurum, tum praesens *etsi suspensum* (lex enim non distinguit), non igitur qui appellaverit ad futurum pontificem, vel ad concilium provinciale praesens vel futurum, licet atrocior sit iniuria; sed appellantes in hisce casibus difficile effugient excomm. latam n. 1; *appellantes,* i. e. tamquam ad superiorem iudicem. Excommunicatio haec incurritur, vix appellatione interposita, etiam effectu non secuto.

5° *Recurrentes ad laicam potestatem ad impediendas litteras vel acta quaelibet a Sede Apostolica vel ab eiusdem Legatis profecta, eorumve promulgationem vel exsecutionem directe vel indirecte prohibentes, aut eorum causa sive eos ad quos pertinent litterae vel acta sive alios laedentes vel perterrefacientes (can. 2333).*

Litteras i. e. Apostolicas in forma Constitutionis vel Brevis; *Acta* Sedis Apostolicae intelliguntur esse ea, quae a S. Sede tum immediate tum mediate per Congregationes Romanas prodeunt. *Exsecutionem* prohibet magistratus et princeps, qui ex. gr. negat *regium exsequatur* bullae Apostolicae. *Ad quos pertinent,* i. e. eos ad quos Litterae vel Acta diriguntur; *alios,* eos sc. quibus commissa est actorum promulgatio aut exsecutio. *Laedentes,* i. e. *in corpore* et graviter; *perterrefacientes,* i. e. metum gravem incutientes.

6° a) *Qui leges, mandata et decreta contra libertatem aut iura Ecclesiae edunt;* b) *qui impediunt directe vel indirecte exercitium iurisdictionis eccle-*

siasticae sive interni sive externi fori, ad hoc recurrentes ad quamlibet laicalem potestatem (can. 2334).

Qui leges... edunt, i. e. condunt et sanctione sua muniunt; quare *deputati* et *senatores* qui adprobant, *ministri* qui proponunt et votum suum ferunt, *princeps* qui sancit et promulgat. *Mandata* vel *decreta;* mandatum afficit singulos, decretum communitatem. Qui edunt mandata vel decreta *auctoritate sua,* non qui applicant vel urgent. *Iurisdictionis ecclesiasticae,* igitur *non* exercitium *potestatis ordinis* (ex. gr. celebrationem sacri, confirmationem, benedictiones), vel *officii* (docere, praedicare); *nec* exercitium iurisdictionis praelati regularis. Sed incurrunt qui impediunt Superiorem, quominus alteri iniungat quae sunt ordinis vel officii. *Ad hoc recurrentes* etc. Huc incidit quaestio. In Const. *Ap. Sedis* legebamus: *impedientes... et ad hoc:* Nostri interpretabantur, ex Bulla Coenae: *vel ad hoc,* quibus verbis merito censebant duos impediendi modos contineri. Nunc si standum est legis verbis, non omnes qui impediunt exercitium iurisdictionis ecclesiasticae censuram incurrunt, sed ii tantummodo qui, ad impediendum, recurrunt ad quamlibet laicalem potestatem.

7° *Qui ausus fuerit ad iudicem laicum trahere aliquem ex S. R. E. Cardinalibus vel Legatis Sedis Apostolicae, vel Officialibus maioribus Romanae Curiae ob negotia ad eorum munus pertinentia, vel Ordinarium proprium (can. 2341).*

Ausus fuerit: cf. n. **597.** — *Ob negotia ad eorum munus pertinentia: hoc* afficit solum Officiales maiores Romanae Curiae, quare non incurrit *hanc* excomm., qui ob alia quaelibet negotia eiusmodi officiales trahit.

8° *Qui violentas manus iniecerit in personam S. R. E. Cardinalis, Legati Romani Pontificis, Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi etiam titularis tantum (can. 2343, § 2 et 3).*

Violentas manus: cf. n. **609,** 2°.

9° *Usurpantes vel detinentes per se vel per alios bona aut iura ad Ecclesiam Romanam pertinentia (can. 2345).*

Usurpantes. Usurpare est *a*) rem occupare, *b*) a domino, *c*) quasi ad se pertinentem; et usurpatio, ex Nostris, debet esse *auctoritativa* et *potentialis.* Igitur, ex hoc *solo* capite, hanc excomm. non incurrerent *aa*) qui bona aut iura Eccl. Romanae, citra occupationem, detinent, vel usurpantis successores et heredes; *bb*) qui rem ab alio usurpatam invadunt, occupant, ab usurpatore acquirunt vel acquisitam alienant; *cc*) qui rem non quasi sibi debitam usurpant. Praeterea, ut patet, ipsi usurpantes non incurrunt nisi formaliter et letali-

ter peccaverint. Verum, quos recensuimus sub *aa*), *bb*), *cc*), et ipsi incurrunt, si *detinentes*, modo ipsi quoque et formaliter et graviter peccent. *Per se vel per alios:* res omnino liquet.

10° *Omnes fabricatores vel falsarii litterarum, decretorum vel rescriptorum Sedis Apostolicae, vel iisdem litteris, decretis vel rescriptis scienter utentes (can. 2360).*

Fabricatores vel falsarii: tum qui ex integro *falso* confingunt, tum qui *vera* corrumpunt. *Sedis Apostolicae*, i. e. Romani Pontificis et Sacrarum Congregationum. *Utentes*, nempe ad effectum falsi vel corrupti documenti obtinendum.

11° *Qui per seipsum vel per alios confessarium de sollicitationis crimine apud Superiores falso denuntiaverit (can. 2363).*

Qui hanc excommunicationem contraxerit, nequit ab ea ullo modo absolvi, nisi falsam denuntiationem formaliter retractaverit, et damna, si qua inde secuta sint, pro viribus reparaverit, imposita insuper gravi ac diuturna poenitentia, firmo praescripto can. 894 Codicis, quo edicitur peccatum falsae denuntiationis esse ratione sui Apostolicae Sedi reservatum (ibidem).

§ 3. *De excommunicationibus simpliciter seu ordinario modo R. P. reservatis.*

611. Ex CIC. excommunicationem R. P. *simpliciter* reservatam incurrunt:

1° *Quaestum facientes ex indulgentiis (can. 2327).*

2° *Nomen dantes sectae massonicae aliisve eiusdem generis associationibus quae contra Ecclesiam vel legitimas civiles potestates machinantur (canon 2335).*

Ut societates dici possint prohibitae sub censura, non sufficit ut machinentur quoquo modo, sed requiritur etiam ut societates vel sectae *vere* dici possint: non igitur hac censura comprehenduntur factiones politicae. Hucusque condemnatae sunt societates *massonica, carbonaria, fenianorum* in America et in Hibernia, *nihilistae* et *anarchicae*. Relate ad soc. *cremationis cadaverum* (cf. n. **370**), qui nomen ei dederunt, tunc tantum incurrunt censuram, si ea societas sit massonicae affiliata. Cessat nunc obligatio denuntiandi coryphaeos ac duces; *sed clerici et religiosi nomen dantes sectae massonicae aliisque similibus associationibus denuntiari debent Sacrae Congregationi S. Officii* (can. 2336, § 2).

3° *Absolvere praesumentes sine debita facultate ab excommunicatione latae sententiae specialissimo vel speciali modo Sedi Apostolicae reservata (canon 2338, § 1).*

Praesumentes; igitur quaelibet imminutio plenae cognitionis ac deliberationis absolventem a censura eximit (can. 2229, § 2).

4° *Impendentes quodvis auxilium vel favorem excommunicato vitando in delicto propter quod excommunicatus fuit; itemque clerici scienter et sponte in divinis cum eodem communicantes et ipsum in divinis officiis recipientes (can. 2338, § 2).*

Quodvis auxilium vel favorem... Ut semel dicamus, *consilium* praestat, qui alterum inducit ad agendum persuasione; *auxilium*, qui aliqua materiali ope in ipsam actionem concurrit; *favorem*, qui praestat quamlibet opem moralem, seu faciendo, ex. gr. commendationibus, pecunia, seu id omittendo, quod ad impediendum facere deberet. *Excommunicato vitando*, sive a R. P., sive a Sacris Congregationibus nominatim fuerit excommunicatus. Huic censuram incurrunt: *a*) qui auxilium vel favorem praestant vitando, ut in ipso crimine, ob quod vitandus est, perseveret; *b*) clerici, qui *scientes* aliquem esse vitandum, non vi aut metu compulsi, eum *ad officia divina peragenda* admittunt.

5° *Qui ausus fuerit ad iudicem laicum trahere Episcopum (non Ordinarium suum) etiam mere titularem, aut Abbatem vel Praelatum nullius, vel aliquem ex maioribus religionum iuris pontificii Superioribus (can. 2341).*

Qui ausus fuerit : cf. n. **597**. *Non Ordinarium suum :* nam qui trahit Ordinarium suum, plectitur excomm. de qua supra n. **610** 7°.

6° a) *Clausuram monialium violantes, cuiuscumque generis aut conditionis vel sexus sint, in earum monasteria sine legitima licentia ingrediendo, pariterque eos introducentes vel admittentes;* b) *mulieres violantes regularium virorum clausuram et Superiores aliique, quicumque ii sint, eas cuiuscumque aetatis introducentes vel admittentes*; c) *moniales e clausura illegitime exeuntes (can. 2342).*

Non incurrunt impuberes, nec qui veniam legitime habuerint, nec qui ex iure ingredi possunt, idest, *a*) quoad regularium virorum clausuram, uxores eorum qui supremum

actu tenent populorum principatum, cum comitatu; *b*) quoad cl. monialium, Ordinarius loci aut Superior regularis in actu visitationis, servatis servandis; confessarius ad ministranda sacramenta infirmis et assistendum morientibus; medici chirurgi aliique quorum opera est necessaria, servatis servandis; qui supremum actu tenent populorum principatum eorumque uxores cum comitatu; S. R. E. Cardinales. *Illegitime exeuntes:* non igitur, si exeant ex speciali S. Sedis indulto vel in casu imminentis periculi mortis vel alius gravissimi mali, recognoscendi tamen scripto ab Ordinario loci, si tempus suppetat (CIC. can. 598, 600, 601). — Hac in re datur parvitas materiae, et non videtur grave admittere et censuram incurrere virum qui, *uno passu,* intrando, monialem quae, *uno passu,* exeundo, clausurae limites praetergrediantur.

7° *Qui bona ecclesiastica cuiuslibet generis, sive mobilia sive immobilia, sive corporalia sive incorporalia, per se vel per alios in proprios usus convertere et usurpare praesumpserit aut impedire ne eorumdem fructus seu reditus ab iis, ad quos iure pertinent, percipiantur (can. 2346).*

Haec censura multo arctioribus finibus continetur, quam vetus illa Tridentina ex cap. *Si quem,* suppressis praesertim verbis « *vel quae ad eum quomodocumque pervenerint* ». Itaque incurrunt qui usurpaverint, propria ac stricta significatione (cf. n. 610, 9°); qui convertunt etc., impediunt etc., non quovis modo, sed iure usurpationis et quasi ad se pertinentia, sc. auctoritative et potentialiter. At non incurrunt, si quid opinor, nec emptores bonorum etc. a Guberniis nec eorum heredes (licet peccent et ad restitutionem seu compositionem cum Ecclesia teneantur), nec locatores, conductores, emphyteutae (quia, praeter alia, non ipsi impediunt, sed lex), nec qui beneficia et cappellanias a Guberniis usurpatas quasi patroni vindicaverint [non enim *a domino* (cf. n. 610, 9°) vindicant, neque auctoritative quia lege a Guberniis lata nituntur] etc. — Utrum is incurrat, qui *scienter,* sc. de censurae exsistentia conscius (*praesumpserit*), bona etc. a Gubernio nondum usurpata, tamquam sua a possessore vindicet atque occupet, etsi ego ad affirmandum proclivis sum, sapientiores viderint. — Haec excomm. tenet reum, donec bona ipsa integre restituerit, praedictum impedimentum removerit, ac deinde a Sede Apostolica absolutionem impetraverit (ibidem).

8° *Duellum perpetrantes aut simpliciter ad illud provocantes vel ipsum acceptantes vel quamlibet operam aut favorem praebentes, necnon de industria spectantes illudque permittentes vel quantum in ipsis est non prohibentes, cuiuscumque dignitatis sint (can. 2351).*

Cf. n. 239.

9° *Clerici in sacris constituti vel regulares aut moniales post votum sollemne castitatis, itemque omnes cum aliqua ex praedictis personis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes (can. 2388, § 1).*

Praesumentes: cf. n. **597.** Itaque non incurrit qui contrahit, quia nescit agi de clerico in sacris aut de regulari vel moniali voto castitatis sollemni ligatis.

10° *Delictum perpetrantes simoniae in quibuslibet officiis, beneficiis aut dignitatibus ecclesiasticis (can. 2392).*

Cf. n. **188.**

11° *Vicarius Capitularis aliive omnes tam de Capitulo, quam extranei, qui documentum quodlibet ad Curiam episcopalem pertinens sive per se sive per alium subtraxerint vel destruxerint vel celaverint vel substantialiter immutaverint (can. 2405).*

Cf. etiam CIC. can. 382.

§ 4. *De excommunicationibus Ordinario reservatis.*

612. Ex CIC. contrahunt excommunicationem Ordinario reservatam:

1° a) *Qui, dispensatione habita super impedimento mixtae religionis, ante vel post matrimonium coram Ecclesia initum, sive per se sive per procuratorem matrimonium ineunt etiam coram ministro acatholico;* b) *qui matrimonio uniuntur cum pacto explicito vel implicito ut omnis vel aliqua proles educetur extra catholicam Ecclesiam;* c) *qui scienter liberos suos acatholicis ministris baptizandos offerre praesumunt;* d) *parentes vel parentum locum tenentes qui liberos in religione acatholica educandos vel instituendos scienter tradunt (can. 2319).*

Quae sub *b*), *c*), *d*), *e*) afficiunt omnes, eos etiam qui matrim. mixtum non contraxerunt.

2° *Qui falsas reliquias conficit, aut scienter ven-*

dit, distribuit vel publicae fidelium venerationi exponit (can. 2326).

3° *Qui violentas manus iniecerit in personas clericorum infra eos, de quibus n.* 610, 8°, *vel utriusque sexus religiosorum (can. 2343, § 4).*

4° *Procurantes, matre non excepta, abortum, effectu secuto (can. 2350, § 1).*

Cf. n. 235.

5° *Professi votorum simplicium perpetuorum tam in Ordinibus quam in Congregationibus religiosis, itemque omnes cum iis matrimonium etiam civiliter tantum contrahere praesumentes (can. 2388, § 2).*

Cf. supra n. 611, 9°, in notula.

§ 5. *De excommunicationibus Superioribus maioribus religionum vel Ordinario reservatis.*

613. Ex CIC.:

Religiosus, apostata a religione, incurrit ipso iure in excommunicationem proprio Superiori maiori vel, si religio sit laicalis aut non exempta, Ordinario loci, in quo commoratur, reservatam (c. 2385).

§ 6. *De excommunicationibus nemini reservatis.*

614. Ex CIC. contrahunt excomm. nemini reservatam:

1° *Auctores et editores qui sine debita licentia Sacrarum Scripturarum libros vel earum adnotationes vel commentarios imprimi curant (can. 2318, § 2).*

Cf. nn. 113, 114, 118, 120.

2° *Qui ausi fuerint mandare seu cogere tradi ecclesiasticae sepulturae infideles, apostatas a fide, vel haereticos, schismaticos aliosve sive excommunicatos sive interdictos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam (can. 2339).*

Qui ausi fuerint: cf. n. 597.

3° *Omnes quovis modo rei, sive dando sive recipiendo sive consensum praebendo, alienationis rerum pretiosarum vel rerum quae valorem excedant triginta millium libellarum seu francorum, praetermisso scienter beneplacito apostolico (can. 2347, § 3).*

Cf. n. 305. Heic alienationis nomine venit quivis contractus, quo conditio Ecclesiae peior fieri possit. *Praetermisso scienter:* cf. n. 597.

4° *Omnes, qualibet etiam dignitate fulgentes, qui quoquo modo cogant sive virum ad statum clericalem amplectendum, sive virum aut mulierem ad religionem ingrediendam vel ad emittendam religiosam professionem tam sollemnem quam simplicem, tam perpetuam quam temporariam (c. 2352).*

5° *Poenitens qui scienter omiserit confessarium, a quo sollicitatus fuit, intra mensem denuntiare loci Ordinario vel S. Congregationi S. Officii (c. 2368, § 2).*

Non absolvendus nisi postquam obligationi satisfecerit aut se satisfacturum serio promiserit (ibidem). Cf. n. 506.

Art. 2. De interdictis.

§ 1. *De interdictis speciali modo R. P. reservatis.*

615. Ex CIC. subiiciuntur interdicto speciali modo R. P. reservato:

Universitates, Collegia, Capitula aliaeve personae morales, quocumque nomine nuncupentur, a legibus, decretis, mandatis Romani Pontificis pro tempore exsistentis ad Universale Concilium appellantes (can. 2332).

Cf. n. 610, 4°.

§ 2. *De interdictis R. P. vel Ordinario reservatis.*

616. Ex CIC.:

Scienter celebrantes vel celebrari facientes divina in locis interdictis vel admittentes ad celebranda officia divina per censuram vetita clericos excommunicatos, interdictos, suspensos post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae ipso iure contrahunt, donec, arbitrio eius cuius sententiam contempserunt, congruenter satisfecerint (can. 2338, § 3).

Eius cuius . . . sc. vel R. P., vel S. Congreg., vel Ordinarii qui interdictum tulerit.

§ 3. *De interdictis Ordinario reservatis.*

617. Ex CIC.:

1° *Qui sponte sepulturam ecclesiasticam donaverint infidelibus, apostatis a fide, vel haereticis, schismaticis, aliisve sive excommunicatis sive interdictis post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, interdictum ab ingressu ecclesiae contrahunt Ordinario reservatum (can. 2339).*

§ 4. *De interdictis nemini reservatis.*

618. Ex CIC.:

Qui causam dederunt interdicto locali aut interdicto in communitatem seu collegium, sunt ipso facto personaliter interdicti (can. 2338, § 4).

Art. 3. De suspensionibus.

§ 1. *De suspensionibus R. P. simpliciter reservatis.*

619. Ex CIC. contrahunt suspensionem R. P. simpliciter reservatam:

1° *Episcopus aliquem consecrans in Episcopum,*

Episcopi vel, loco Episcoporum, presbyteri assistentes, et qui consecrationem recipit sine apostolico mandato (can. 2370).

2° *Clerici, qui per simoniam scienter promoti fuerint aut alia Sacramenta ministraverint vel reœperint, suspensionem incurrunt (can. 2371).*

3° *Qui recipere ordines praesumunt ab excommunicato vel suspenso vel interdicto post sententiam declaratoriam vel condemnatoriam, aut a notorio apostata, haeretico, schismatico, contrahunt suspensionem a divinis; qui vero bona fide a quopiam eorum sit ordinatus, exercitio careat ordinis sic recepti donec dispensetur (can. 2372).*

4° a) *Qui alienum subditum sine litteris dimissoriis Ordinarii proprii ordinaverint;* b) *qui subditum proprium, qui alibi tamdiu moratus sit ut canonicum impedimentum contrahere ibi potuerit, ordinaverint sine testimonialibus litteris Ordinarii eius loci;* c) *qui aliquem ad ordines maiores promoverint sine titulo canonico;* d) *qui, salvo legitimo privilegio, religiosum, ad familiam pertinentem quae sit extra territorium ipsius ordinantis, promoverint, etiam cum litteris dimissorialibus proprii Superioris, nisi legitime probatum fuerit aut Episcopum dioecesanum veniam dedisse, aut esse diversi ritus aut abesse aut ordinationem habiturum non esse proximo legitimo tempore, aut dioecesim vacare, nec regi ab aliquo qui charactere episcopali polleat; incurrunt in suspensionem ab ordinum collatione per annum (c. 2373).*

5° *Religiosus in maioribus ordinibus constitutus, cuius professio ob admissum ab ipso dolum nulla fuerit declarata, ipso facto suspensus manet, donec Sedi Apostolicae aliter visum fuerit (can. 2387).*

§ 2. *De suspensionibus Ordinario reservatis.*

620. Ex CIC. contrahit suspensionem Ordinario reservatam:

Clericus qui, non obtenta ab Ordinario loci li-

centia, ausus fuerit ad iudicem laicum trahere quamlibet personam privilegio fori fruentem, infra eas de quibus n. 610, 7°, *n.* 611, 5°, *incurrit in suspensionem ab officio (can. 2341).*

§ 3. *De suspensionibus Superioribus maioribus religionum reservatis.*

621. Ex CIC.:

Religiosus fugitivus, si sit in sacris, incurrit in suspensionem proprio Superiori maiori reservatam (can. 2386).

§ 4. *De suspensionibus nemini reservatis.*

622. Ex CIC. contrahunt suspensionem nemini reservatam:

1° *Sacerdos qui sine necessaria iurisdictione praesumpserit sacramentales confessiones audire, est ipso facto suspensus a divinis; qui vero a peccatis reservatis absolvere, ipso facto suspensus est ab audiendis confessionibus (can. 2366).*

2° *Qui sine litteris vel cum falsis dimissoriis litteris, vel ante canonicam aetatem, vel per saltum ad Ordines malitiose accesserit, est ipso facto a recepto ordine suspensus (can. 2374).*

3° *Clericus qui in manus laicorum officium, beneficium aut dignitatem ecclesiasticam resignare praesumpserit, ipso facto in suspensionem a divinis incurrit (can. 2400).*

4° *Abbas vel Praelatus* nullius, *qui intra tres menses, a receptis litteris Apostolicis, cessante legitimo impedimento, benedictionem non receperit, est ipso facto a iurisdictione suspensus (can. 2402).*

5° *Vicarius Capitularis concedens litteras dimissorias pro ordinatione, praeterquam in casibus in Codice expressis can. 958, § 1, n. 3, ipso facto subiacet suspensioni a divinis (can. 2409).*

6° *Superiores religiosi qui, extra casus in Codice c. 965-967 contentos, subditos suos ad Episcopum*

alienum ordinandos remittere praesumpserint, ipso facto suspensi sunt per mensem a Missae celebratione (can. 2410).

Cf. n. 619, 4°.

SECTIO ALTERA

DE MEDIIS IMPEDIENTIBUS SEU DE IRREGULARITATIBUS ET IMPEDIMENTIS AD ORDINES

Cap. I. De irregularitatibus in genere.

623. De irregularitatis notione. *Irregularitas* definitur impedimentum canonicum *perpetuo* prohibens, *directe* ne quis clero adscribatur vel ad superiorem ordinem adscendat, et *indirecte* ne suscepto ordine fungatur. Dicitur: 1° *impedimentum canonicum;* lege enim ecclesiastica statuitur ob reverentiam divini ministerii, et *nulla irregularitas incurritur nisi sit in iure expressa.* 2° *Perpetuo;* hodie certum est impedimenta temporanea (n. 630), quae sine dispensatione ipso facto cessare possunt (cf. n. 631), non esse proprie et vere irregularitates. 3° *Prohibens*, habet enim rationem legis prohibentis tantum, non irritantis; quare tonsurae vel ordinum susceptionem reddit *illicitam, non* vero *invalidam.* 4° *Directe* etc. i. e. irregularitas per se et directe statuitur ad ineptos a clero arcendos; *indirecte et per consequens* prohibet *a*) ordinum susceptorum exercitium, et quidem hodie *sacrorum tantum*, cum officia ordinum minorum passim a laicis impleantur; *b*) *collationem et receptionem beneficii*, cui adnexum est officium, quod irregularis non potest exercere; et *dispensatus* potest obtinere beneficia non consistorialia etiam curata, sed renuntiari nequit S. R. E. Cardinalis, Episcopus, Abbas vel Praelatus Nullius, Superior maior in religione clericali exempta (can. 991, § 3); *c*) *non*

vero prohibet a iurisdictione sive ordinaria sive delegata accipienda et exercenda; quare irregularis licite exercere potest actus iurisdictionis, qui non exigunt ordinis exercitium, ut ex. gr. dispensare in votis, in iuramentis etc. vel conferre alteri facultatem absolvendi.

624. De irregularitatis distinctionibus. Irregularitas: *a*) Alia *ex defectu*, alia *ex delicto*. Irregularitas *ex defectu* ea est, quae oritur ex defectu qualitatis ad susceptionem ordinis requisitae, vel ex vitio naturali aliquo unde quis fit inhabilis ad ordines suscipiendos vel exercendos; non est poena, nec ad instar poenae, sed inhabilitas, proinde incurri potest sine culpa et facto proprio. Irregularitas *ex delicto* ea est, quae oritur ex proprio delicto cui ex iure adnexa sit, et, quamvis poena non sit, habet tamen se ad instar poenae. *b*) Alia *totalis*, alia *partialis: illa*, quae omnium ordinum susceptionem vel exercitium prohibet; *haec*, quae vel solam promotionem ad superiorem ordinem vel solum exercitium partiale alicuius ordinis: sic ex. gr. diaconus, qui sinistro oculo caret, a sacerdotio probabiliter arcetur sed diaconatum licite exercet; sacerdos, pollice carens, celebrare vetatur, sed potest confessiones audire.

625. Quaenam ad irregularitatem contrahendam requirantur. A) *Ex parte auctoris*, ut sit iure constituta; et iure constituunt vel Summus Pontifex per se et per suas Congregationes, vel Concilium Oecumenicum. B) *Ex parte subiecti*, ut hic *a*) sit *mas baptizatus;* feminae enim, et mares non baptizati sunt incapaces Ordinis; *b*) sit *iuri communi subiectus;* ideo irregularitatem incurrunt omnes, etiam Episcopi et Cardinales licet eorum mentio expresse in iure non fiat, sed non Summus Pontifex; nec pueri incurrunt irregularitates ex delicto ante completum septemnium; an impuberes incurrant, controvertitur, sed sententia *negans* videtur probabilior. *Potest vero aliquis plures irregulari-*

tates simul incurrere, et quidem *plures* irregularitates *ex defectu, ex causis specie diversis* (ex. gr. aliam ex defectu natalium, aliam ex defectu corporis), *non vero* ex multiplici causa eiusdem speciei (ex. gr. iudex, qui decem capitis condemnavit, unicam irregularitatem ex defectu lenitatis contrahit); *plures ex delicto* per actus repetitos in alio subiecto (ex. gr. qui plura homicidia committit), *non vero* per actus repetitos in se ipso (ex. gr. sacerdos suspensus, qui pluries celebrat, unicam irregularitatem contrahit). C) *Ex parte rei: a*) Ut irregularitas sit *certa. b*) Ut *actio* in irregularitatibus *ex delicto* sit *graviter culpabilis* et post baptismum perpetrata, si excipias eam quae patratur per baptismum voluntarie de manu acatholici susceptum éxtra casum necessitatis; irregularitas enim ex delicto afficit *ad instar poenae*, et gravissima poena nequit infligi nisi adsit culpa gravis. In i. *ex defectu* culpa non requiritur, quia inhabilitas etiam inculpabiliter contrahitur. *c*) Ut *actio* in utraque irregularitate sit *externa*, sive publica sive occulta, et *consummata*, quia in odiosis versamur, et odia sunt restringenda (cf. CIC. can. 986).

626. Quenam ab irregularitate excusent. *a*) Cum irregularitas debeat esse *certa*, excusat *dubium*, sive *iuris*, sive *facti*, licet in dubio facti expediat dispensationem petere, ne forte quis irregularitate teneatur si postea factum apparuerit certum. *b*) Cum actio in i. *ex delicto* debeat esse *graviter culpabilis*, ab i. incurrenda excusat omne id quod a mortali excusat, i. e. inadvertentia, bona fides, materiae parvitas, metus gravis, ignorantia gravis obligationis. *c*) *Ignorantia non* excusat ab irregularitatibus tum ex defectu tum ex delicto, neque ab impedimentis, de quibus infra cap. III (cf. CIC. can. 988).

627. Quomodo cesset irregularitas. Irregularitas cessat duplici modo: 1° *Professione religiosa sol-*

lemni in i. ex defectu natalium. 2° *Dispensatione.* Videamus quomodo dispensatio petatur et concedi possit, et quinam dispensent. A) Dispensatio *peti debet*, expositis adiunctis personae, causa ex qua inducta est irregularitas, et singulis irregularitatibus, si plures sint; secus, dispensatio generalis valebit quidem etiam pro reticitis bona fide (exceptis homicidio voluntario et procurato abortu — effectu secuto — et i. deductis ad forum iudiciale), *non* pro reticitis mala fide. In homicidio voluntario debet, sub poena nullitatis, exprimi numerus delictorum (cf. CIC. can. 991). *Conceditur valide* semper, *licite* ex iusta causa (quae plerumque est sive penuria sacerdotum sive probitas ordinandi) et imposita salutari poenitentia; *forma* nulla praescribitur, sed haec adhiberi poterit: « *dispenso tecum in i., quam incurristi ex causa... in nomine* etc. ». Sed dispensatio in foro interno non sacramentali concessa, scripto consignari et de ea in secreto Curiae libro constare debet (can. 991). B) *Dispensare possunt: a) Summus Pontifex* in omnibus irregularitatibus, per *S. C. de Sacr.* pro foro externo, per *S. Poenitent.* pro interno; at raro dispensat in bigamia vera, in homicidio publico, in defectu enormi corporis. *b) Ordinarius, potestate ordinaria*, tum per se, tum per alios, in *i. ex delicto occulto*, ea excepta, quae oritur ex homicidio voluntario, ex procurato abortu, effectu secuto, aliisque ad forum contentiosum iam deductis. *Potestate delegata* quid possit Episcopus, colligendum ex concessionis indulto. *c) Praelatus regularis* et Superior maior relig. clericalis exemptae suos subditos ab omnibus i., in quibus Episcopi possunt. *d) Confessarii regulares* tum clericos tum laicos ab omnibus i. in quibus Episcopi. *e) Confessarius quilibet* dispensat ab iisdem ac Episcopus in casibus occultis urgentioribus in quibus Ordinarius adiri nequeat et periculum immineat gravis damni vel infamiae, sed ad hoc dumtaxat ut poenitens ordines iam susceptos exercere valeat (cf. CIC. can. 990).

Cap. II. De irregularitatibus in specie.

Art. 1. De irregularitatibus ex defectu.

628. **Irregularitates ex defectu** ex triplici capite fluunt: *ex defectu status, ex defectu corporis, ex defectu animi et lenitatis.*

1° Irregularitas **ex defectu status** contrahitur: A) *Ex defectu natalium,* ex quo irregulares sunt filii, quos *constet,* sive publice sive occulte, esse illegitimos. Et tollitur irregularitas, tum per subsequens matrimonium, tum per professionem religiosam sollemnem et dispensationem, ut vidimus. B) *Ex defectu famae,* ex quo irregulares sunt qui laborant *infamia iuris* (seu *legalis*). *Infamia iuris,* seu a iure canonico statuta, quae nonnisi dispensatione R. P. tollitur, afficit eos qui species consecratas abiecerint vel ad malum finem abduxerint vel retinuerint; qui mortuorum cadavera ad furtum vel alium malum finem violaverint; qui violentas manus iniecerint in R. P., in S. R. E. Cardinalem, in Legatum R. P.; duellantes eorumque patrinos; eos qui, non obstante coniugali vinculo, aliud matrimonium, etsi civile tantum, attentarunt; laicos legitime damnatos ob delicta contra sextum cum minoribus infra 16 annos admissa vel ob stuprum, sodomiam, incestum et lenocinium. C) *Ex defectu sacramenti,* ex quo fiunt irregulares qui *bigamiam veram* commiserint, matrimonium *validum* consummando cum duabus uxoribus successivis, quia, cum Christus unicam sibi sponsam Ecclesiam assumpserit, in secundo matrimonio deficit mysterium. Et irregularitas tenet, etiamsi quis utramque uxorem ante baptismum habuerit, vel unam ante, alteram post baptismum.

2° Irregularitas **ex defectu corporis** tenet *corpore vitiatos,* eos sc. qui, secure propter debilitatem, vel decenter propter deformitatem, altaris ministerio defungi non valeant. Ad impediendum

tamen exercitium Ordinis legitime recepti, gravior requiritur defectus, neque ob hunc defectum prohibentur actus qui rite poni possunt.

3° Irregularitas **ex defectu animi** vel **lenitatis.** Et A) *ex defectu animi* irregularitatem contrahunt qui epileptici vel amentes vel obsessi sunt aut fuerunt: at si post receptos Ordines tales evaserint, et constet eos iam liberos esse, potest Episcopus subditis suis receptorum Ordinum exercitium rursus permittere. B) *Ex defectu lenitatis* contrahunt iudex, qui mortis sententiam tulit; qui munus carnificis susceperint eorumque voluntarii et immediati ministri in exsecutione capitalis sententiae (cf. CIC. can. 984).

Art. 2. De irregularitatibus ex delicto.

629. **Irregulares ex delicto** sunt:

1° **Apostatae a fide, haeretici, schismatici** (cf. n. 109, 110, 111);

2° Qui, praeterquam in casu extremae necessitatis, **baptismum ab acatholicis** quovis modo **sibi conferri** siverunt;

3° Qui **matrimonium attentare** aut civilem tantum actum ponere ausi sunt, vel ipsimet vinculo matrimoniali aut ordine sacro aut votis religiosis etiam simplicibus ac temporariis ligati, vel, a quovis vinculo liberi, cum muliere iisdem votis adstricta aut matrimonio valido coniuncta;

4° Qui **voluntarium homicidium** perpetrarunt aut fetus humani **abortum** procuraverunt, effectu secuto, omnesque cooperantes;

5° Qui seipsos vel alios **mutilaverunt** vel **sibi vitam adimere** tentaverunt;

6° **Clerici medicam vel chirurgicam artem sibi** vetitam exercentes, si exinde **mors** sequatur;

7° Qui **actum Ordinis,** clericis in Ordine sacro constitutis reservatum, **ponunt,** vel **eo Ordine carentes,** vel **ab eius exercitio** poena canonica sive personali, medicinali aut vindicativa, **sive locali prohibiti** (CIC. can. 985).

Cap. III. De impedimentis ad Ordines.

630. Sunt simpliciter **impediti** ab Ordinibus suscipiendis :

1° Filii acatholicorum, quamdiu parentes in suo errore permanent ;

2° Viri uxorem habentes ;

3° Qui officium vel administrationem gerunt clericis vetitam cuius rationes reddere debeant, donec, deposito officio atque administratione redditisque rationibus, liberi facti sint ;

4° Servi servitute proprie dicta ante acceptam libertatem ;

5° Qui ad ordinarium militare servitium civili lege adstringuntur, antequam illud expleverint ;

6° Neophyti, donec, iudicio Ordinarii, sufficienter probati fuerint ;

7° Qui infamia facti laborant, dum ipsa, iudicio Ordinarii, perdurat (CIC. can. 987).

631. *Ignorantia* impedimentorum ab iisdem non excusat. — Impedimenta *multiplicantur* ex diversis eorumdem causis, non autem ex repetitione eiusdem causae. — Impedimenta *cessant,* cessante causa vel dispensatione. Dispensatio petenda est ab Apostolica Sede, et omnia et singula impedimenta, si plura sint, indicanda sunt ; secus dispensatio generalis valebit quidem pro reticitis bona fide, minime vero pro reticitis mala fide. *Dispensatio* generalis *ad Ordines,* — et idem dicatur quoad irregularitates — valet pro Ordinibus quoque maioribus (cf. CIC. can. 991).

SECTIO TERTIA

DE MEDIIS SEU SUBSIDIIS INCITANTIBUS

CAP. I. De Indulgentiis.

632. De indulgentiae notione. *Indulgentia,* theologice sumpta, definitur remissio poenae temporalis, seu satisfactionis, Deo debitae pro peccatis quoad culpam remissis, ab Ecclesia concessa extra sacramentum poenitentiae per applicationem thesauri Ecclesiae, seu satisfactionum Christi et sanctorum, et quidem *quoad vivos* per modum absolutionis simul et solutionis, *quoad defunctos* per modum solutionis.

Quoad vivos; et quidem *per se* aliquis posset lucrari indulgentias et applicare aliis viventibus, si positiva accederet Summi Pontificis concessio, quae tamen non adest (cf. CIC. can. 930). Effectus indulgentiae vivis concessae, positis condicionibus ab Ecclesia praescriptis, infallibilis est, quia Ecclesia absolvit; *quoad defunctos,* effectus certus est, sed non constat utrum indulgentia de facto applicetur illi determinatae personae, cui aliquis applicare intendit, quod tamen regulariter fieri sperare licet a Dei misericordia.

633. De indulgentiarum distinctione. Indulgentia: *a)* Alia *plenaria,* alia *partialis; illa,* qua tota poena temporalis, peccatis iam absolutis debita, remittitur, sed ita intelligitur concessa ut qui eam plenarie lucrari nequeat, partialiter lucretur pro dispositionibus quas habet (can. 925); *haec,* qua pars tantum. Sed indulgentia partialis, ex. gr. 40, 100 dierum, non importat remissionem 40 vel 100 dierum poenarum Purgatorii, sed tantam poenae remissionem, quantam obtinuissent 40 vel 100 dies antiquae poenitentiae canonicae; ideoque quantitas

poenae remissae, quae concessioni respondeat, nobis ignota est. *b*) Alia *personalis,* alia *localis,* alia *realis,* prout conceditur personis, quae ex. gr. hoc vel illud opus impleverint; vel locis, ex. gr. templo, oratorio, alio vel alio modo visitandis; vel rei, ex. gr. sacro numismati, vel cruci, vel rosariis etc. *Indulgentiae locales,* quae plures eidem loco adnecti possunt, *non* cessant, si ecclesia vel oratorium, cui adnexae sunt, destruatur, modo iterum aedificetur intra 50 annos sub eodem titulo, tum eodem loco, tum non ultra 20 aut 30 passus (cf. can. 924). *Indulgentiae reales* adnecti possunt *obiectis solidis et duraturis* tantum, minime vero fragilibus. Quare nequeunt adnecti obiectis ex vitro insufflato et non solido. Cessant vero indulgentiae reales: *aa*) si obiectum fere destruatur aut ita immutetur ut moraliter idem dici nequeat (ex. gr. si crucifixi imago in duas partes frangatur, si pleraque coronae grana simul amittantur, *non* si filum coronae rumpitur et grana denuo nectuntur, subiectum enim indulgentiae sunt grana, *neque* si pauca tantum grana, 4 vel 5, amittantur et amissis alia substituantur; *bb*) si obiecta alteri venduntur (can. 924). Indulgentiae *reales adnecti*untur, nisi formula praescribatur, per simplex crucis signum, etiam una simul pluribus obiectis, et plures uni eidemque obiecto. *c*) Alia *perpetua,* alia *temporanea,* prout indulgentia fuit in perpetuum vel ad tempus concessa. *d*) Alia *defunctis applicabilis,* alia *defunctis non applicabilis;* sed indulgentiae omnes a R. P. concessae, nisi aliud constet (ut de indulgentia in articulo mortis lucranda), sunt defunctis applicabiles, et, contra, indulgentiae ab *aliis* concessae non sunt defunctis applicabiles (can. 913). *e*) Alia *toties quoties* in lucro, alia *semel in die, in hebdomada, in mense;* hoc diiudicandum ex concessione. Et *partiales* in lucro sunt regulariter *toties quoties* praescripta opera impleantur; *plenariae, non item* (cf. infra n. 635); at hodie minus raro conceditur plenaria toties quoties in aliquo die festo.

634. Quinam indulgentias concedere possint et quantas. *a) Rom. Pontifex,* et *Concilium Oecumenicum* quascumque et quantascumque velint pro universa Ecclesia, tam pro vivis, quam pro defunctis. Quoad indulgentias a R. P. concessas, CIC. statuit can. 920, eos omnes qui a R. P. impetraverint indulgentiarum concessiones *pro omnibus fidelibus,* teneri, sub poena nullitatis gratiae obtentae, authentica exemplaria earumdem concessionum ad S. Poenitentiariam deferre. *b) S. R. E. Cardinales* in locis vel institutis ac pro personis suae iurisdictionis vel protectionis, concedere possunt indulgentias 200 dierum, etiam toties quoties lucrandas; item in aliis locis, sed a praesentibus solummodo, singulis vicibus, lucrandas (can. 239). *c) Nuntii Apostolici,* intra limites suae legationis, *partiales,* quae annum non attingant; *locales,* templis vel oratoriis, septem annorum totidemque quadragenarum. *d) Patriarchae et Metropolitae* tum in sua dioecesi, tum in suffraganeorum, 100 dies. *e) Episcopi* in sua quisque dioecesi possunt *aa)* bis in anno, i. e. Paschate Resurr. et alio die festo sollemni ab ipsis designando, etiamsi Missae sollemni adstiterint tantum, impertiri bened. papalem cum indulg. plenaria (et idem possunt uno tantum die ex sollemnioribus in suis territoriis Abbates et Praelati Nullius, Vicarii et Praefecti apostolici etsi sine charactere episcopali); *bb)* concedere indulgentias 50 dierum, etiam in perpetuum; et indulgentias ab Episcopo concessas lucrari possunt subditi [etiam extra territorium eas quae sub *bb)*], peregrini, vagi, exempti intra territorii fines (cf. can. 274, 349, 914). *f) Episcopi titulares ceterique omnes* nihil possunt; Vicariis capitularibus praescriptum est ut abstineant se ab indulgentiis concedendis. *g) In consecratione ecclesiae vel altaris, consecrator,* licet iurisdictione in territorio careat, concedit indulg. unius anni ecclesiam vel altare visitantibus ipso consecrationis die; in anniversario, 50 dierum, si sit Episcopus; 100, si Archiepiscopus; 200, si S. R. E. Cardinalis (can. 1116).

Omnes R. P. inferiores nequeunt 1° facultatem concedendi indulgentias aliis committere, nisi id iis a Sede Apostolica expresse fuerit indultum; 2° ut supra diximus, indulgentias concedere defunctis applicabiles; 3° indulgentias adnectere eidem rei vel actui pietatis vel sodalitio, cui iam ab Apostolica Sede vel ab alio indulgentiae concessae sint, nisi alias condiciones vel alia opera implenda superaddant; nec possunt *singulis* partibus unius orationis vel unius operis *singillatim* indulgentias, quas sibi licet, adnectere; nec Episcopus successor potest orationem vel opus, cui antecessor indulgentiam contulit, etiam ipse indulgentia ditare (cf. can. 913).

635. **De condicionibus ad lucrandas indulgentias requisitis. Praemittenda.** *Indulgentiae a) plenariae* concessae *pro festo D. N. I. C. vel B. M. V.* intelliguntur concessae dumtaxat pro festis quae in calendario universali reperiuntur; *b) plenariae* vel *partiales* concessae *pro festis Apostolorum*, intelliguntur concessae dumtaxat pro natali eorum festo; *c) plenariae*, concessae in forma i. *quotidianae*, *perpetuae* vel *ad tempus*, visitantibus aliquam ecclesiam vel oratorium publicum, ita intelligendae sunt ut quovis die, sed *semel tantum in anno* ab unoquoque fideli acquiri possint, nisi aliud in concessione expresse dicatur; *d) plenariae* vel *partiales* adnexae festis vel sacris supplicationibus vel precibus novendialibus, septenariis, triduanis, quae ante vel post festum vel etiam eius octavario peraguntur, translatae intelliguntur in eum diem, in quem eiusm. festa legitime transferantur, si festum translatum habeat officium cum Missa sine sollemnitate et externa celebratione et translatio fiat in perpetuum, aut si transferatur, vel ad tempus vel in perpetuum, sollemnitas et externa celebratio; *e) plenariae*, nisi aliud expresse cautum sit, acquiri possunt semel tantum in die, etsi idem opus praescriptum pluries ponatur; *partiales*, nisi contrarium in concessione expresse dicatur, etiam

saepius in die, eodem opere repetito. 1° **Condiciones necessario pro quibuslibet indulgentiis requisitae.** *a*) Ut qui lucrari velit, *sit subditus concedentis.* Quare episcopus nequit extradioecesano indulgentiam concedere; sed peregrini et vagi et exempti (et subditi etiam extra territorium), ut et quatenus supra diximus, lucrantur intra territorium concedentis indulgentiam universaliter concessam. *b*) *Status gratiae* (et, ut patet, ab excommunicatione liber) saltem quando *ultimum* opus, ex pluribus ad lucrandam indulgentiam praescriptis, ponitur. *c*) *Intentio lucrandi*, saltem habitualis et implicita (cfr. can. 925). *d*) *Positio operis* praescripti; quod si pars notabilis omittatur, indulgentia non adquiritur. Si plura opera praescribuntur, non refert quo ordine impleantur, etsi ordo videatur iniunctus. At operi praescripto non satisfit per idem opus iam *ex alio titulo*, *sub peccati poena*, iniunctum (nisi id expresse concesserit qui indulgentiam dedit), quum agitur de indulgentiis partialibus, sed satisfit per idem opus in sacramentalem poenitentiam iniunctum; praeterea, tum communione Paschali, tum communionibus praescriptis in congregationibus et Ordinibus religiosis, acquiri possunt indulgentiae plenariae, pro quibus communio iniungitur. At uno eodemque opere, cui ex variis titulis indulgentiae adnexae sint (excepta confessione et communione), nequeunt plures adquiri indulgentiae, nisi aliud in concessione fuerit expressum (cfr. can. 932-933). *Relate ad indulgentiam pro defunctis lucrandam*, requiritur *a*) *intentio eas applicandi* defunctis, saltem habitualis; *b*) *probabilius, status gratiae*, quia videtur nemo posse alteri dare nisi quod suum fecerit; certum tamen est, sacerdotem, qui ad altare privilegiatum *in mortali* celebrat, lucrari indulgentiam altaris privilegiati pro anima, cui Missam applicat. 2° **Condiciones regulariter praescriptae ad indulgentiam plenariam lucrandam.** Generatim praescribuntur *confessio, communio, ecclesiae visitatio, recitatio precum ad intentionem Summi Pontificis.* Et *a*) *confessio*, quando

requiritur, peragenda est etiam ab iis qui sunt in statu gratiae, eaque *sacramentalis*, seu in ordine ad absolutionem, quamvis hanc recipere non sit necessarium. Et peragi potest intra octo dies qui immediate praecedunt vel subsequuntur diem cui indulgentia adfixa est, et, si agatur de indulgentiis adnexis exercitio in triduum, hebdomadam etc. ducendo, fieri potest tum intra praedicti exercitii dies, tum etiam intra octiduum quod immediate sequitur exercitium expletum. Sed si quis solet, nisi legitime impediatur, saltem bis in mense confiteri, id sufficit ad omnes indulgentias lucrandas, exceptis indulg. iubilaei ordinarii vel extraordinarii vel ad instar iubilaei. *b*) *Communio* recipi potest pridie diei festi, cui ind. adnexa est, die festo et per octiduum subsequens; si agatur de exercitiis in triduum, hebdomadam etc., tum intra eos dies, tum intra octiduum post expletum exercitium. *Ex speciali concessione*, ubi indulg. Portiunculae adnexa est primae Augusti dominicae, c. fieri potest inde a feria V praecedenti; a die 30 Iulii, ubi ea manet affixa diei 2 Augusti; et quoad festum SS. Rosarii, inde a feria VI praecedenti. Sed qui solent s. synaxim in statu gratiae et cum recta piaque mente quotidie recipere, quamvis semel aut iterum per hebdomadam ab eadem abstineant, possunt omnes indulgentias consequi, exceptis iis de quibus supra ubi de confessione (cf. can. 931). *c*) *Ecclesiae visitatio* peragi potest a meridie diei praecedentis usque ad mediam noctem quae statutum diem claudit; et quidem debet peragi visitatio ecclesiae *determinatae*, si determinata praescribitur, secus cuiuslibet ecclesiae vel oratorii *publici*. Sed qui in communitate vivunt, quoties praescribitur visitatio ecclesiae non determinatae vel oratorii publici indeterminati, satisfaciunt per visitationem proprii sacelli, si tamen in eo obligatio sacri audiendi impleri potest (cf. can. 923, 929). *d*) *Recitatio precum ad intentionem Summi Pontificis;* et quidem *vocalis*, non mentalis, *quarumlibet precum*, quae brevissimae non sint: saltem quinque

Pater et *Ave*, aut aequivalentium, nisi peculiaris aliqua assignetur: quo in casu, ea recitari potest quovis idiomate, dummodo 1° de fidelitate versionis constet ex declaratione vel S. Poenitentiariae vel unius ex Ordinariis locorum ubi vulgaris est ea lingua, 2° nihil adprobatae versioni addatur, detrahatur, interpoletur. Et eam orationem licet alternis cum socio, si id fieri potest, recitare, vel mente prosequi dum alius recitat (cf. can. 934). *Surdi-muti* visitare ecclesiam tenentur; preces praescriptae si debeant esse publicae, tenentur se populo adiungere et mente orare; secus vel eas mente fundere vel oculis percurrere, sine ulla pronuntiatione, vel aliquod externum opus agere ex commutatione a confessario obtinenda (cf. can. 936).

Commutatio operum iniunctorum, in casu necessitatis, a simplici confessario fieri potest, etiam extra sacramentalem confessionem (cf. can. 935).

Cap. II. De Iubilaeo.

636. De iubilaei notione. *Iubilaeum* est indulgentia plenaria sollemnis, quam Summus Pontifex aliquando concedit omnibus fidelibus sub condicione peragendi certa opera, tribuens simul confessariis specialem facultatem absolvendi a peccatis vel censuris reservatis, vota commutandi et dispensandi in aliquibus irregularitatibus et impedimentis matrimonialibus. — *Per se* iubilaeum nonnisi *accidentaliter* differt ab indulgentia plenaria.

637. De iubilaei distinctione. Iubilaeum *a*) aliud *maius* et *ordinarium*, quod recurrit *vigesimo quinto quoque anno*, qui *sanctus* vocatur; aliud *minus* et *extraordinarium*, quod conceditur, plerumque, post exaltationem singulorum Summorum Pontificum et occasione alicuius eventus extraordinarii, ex. gr. centenarii etc.; *b*) aliud *generale*, quod universo orbi conceditur; aliud *particulare*, quod nationi, provinciae, dioecesi, civitati.

In iubilaeo maiore, toto anno quo Romae celebratur, suspenduntur indulgentiae omnes tam plenariae quam partiales *pro vivis;* at eae omnes possunt acquiri *pro defunctis.* Excipiuntur tamen a generali pro vivis suspensione *a*) indulgentiae pro morientibus; *b*) indulgentiae iis concessae, qui recitant precem *Angelus Domini*, qui visitant SS. Sacramentum sollemniter expositum, qui Viaticum comitantur; omnes indulgentiae ab alio, quam a R. Pontifice, concessae.

638. De condicionibus ad lucrandum iubilaeum requisitis. Plerumque haec praescribuntur: *a*) *Ieiunium ecclesiasticum* in diebus determinatis et, si dies non determinantur, in diebus, in quibus ex praecepto non sit servandum aliud ieiunium. Obligat etiam eos, qui lege ieiunii ecclesiastici nondum tenentur vel ab ea ex iusta causa dispensati fuerunt; at, si omnino non possunt, a confessario commutationem petant. *b*) *Eleemosyna,* sive per se, sive per alium, cum intentione et consensu, facienda, quantalibet, nisi praescribatur condicioni domesticae proportionata. *c*) *Confessio et Communio. Paschalis communio* non valet ad iubilaeum lucrandum, nisi ex expressa R. P. concessione. Et si quis, ante quam *omnia* praescripta opera impleat, in mortale incidit, denuo confiteri tenetur, quin tamen opera iam peracta repetere cogatur. *d*) *Visitatio ecclesiarum* vel *ecclesiae;* et numerus visitationum vel ecclesiarum in Constitutione, quae iubilaeum indicit, determinatur. Sed plura in his, si ecclesiarum numerus deficiat, potest Ordinarius. *Ceterum* verba et concessiones Const. attendenda sunt.

639. De facultatibus quae confessariis conceduntur. Quaenam sint, colligendum erit in singulis casibus ex Bulla Iubilaei. Haec tamen principia sunto: *a*) *Confessarii* nequeunt facultatibus uti extra sacramentalem confessionem, et nonnisi *semel* cum *eodem* poenitente; sed tamen *pluries*

commutare queunt opera iniuncta, si poenitens pluries indulgentiam lucrari velit quum id conceditur. *b*) *Absolutio a censuris* et *dispensationes*, semel poenitenti disposito concessae, valent, etiamsi is, mutato consilio, non omnia opera iniuncta compleat. *c*) *Per sacrilegam confessionem* non auferuntur censurae ac reservatio, cum desit dispositio ad lucrandum iubilaeum.

Cap. III. **De altari privilegiato.**

640. Altare dicitur **privilegiatum,** cui R. P. (1) adnectit indulgentiam plenariam, solis defunctis applicandam (2), quae « si spectetur mens concedentis et usus clavium potestatis, animam statim liberet ab omnibus Purgatorii poenis; si vero spectetur applicationis effectus, intelligenda est indulgentia, cuius mensura divinae misericordiae beneplacito et acceptationi respondet » (S. C. Ind. 28 Iul. 1840). Non igitur differt ab aliis plenariis indulgentiis, quae defunctis applicantur, nisi in quantum *certiorem* habet *effectum*, ut qui non a dispositionibus celebrantis pendet, sed a divina victimae oblatione.

Privilegium vero erit *a*) *locale*, si altari adnexum, ideoque non intelligitur sine altari *fixo* (non *stricte* sensu liturgico), quod e loco moveri non possit, licet sit ligneum et muro non affixum (in quo proinde sine amissione privilegii *lapis* potest mutari et substitui), in ecclesia vel oratorio saltem

(1) At, iure ipso (can. 916), Episcopi, Abbates vel Praelati *nullius*, Vicarii ac Praefecti Apostolici et Superiores maiores religionis clericalis exemptae, possunt designare et declarare unum altare privileg. quotidianum perpetuum, modo aliud ibi non adsit, in suis eccl. cathedralibus, abbatialibus, collegiatis, conventualibus, paroecialibus, quasi-paroecialibus, non autem in oratoriis publicis vel semi-publicis, nisi sint ecclesiae paroeciali unita seu eiusdem subsidiaria.

(2) *Altare privilegiatum pro vivis atque defunctis* ita interpretandum est, ut concessa indulgentia intelligatur vivo, si pro vivo Missa applicatur; defuncto, si pro defuncto.

benedictis; *b*) *personale*, quum personae adhaeret, et intelligitur adesse, in quocumque altari aliquis celebret, sive fixo, sive portatili; *c*) *mixtum*, quod altari determinato adnectitur, ita tamen ut eo frui nequeant nisi sacerdotes determinati vel e quodam coetu.

Quoad *altare gregorianum ad instar* v. in amplioribus tractationibus.

641. Indulgentia altaris privilegiati adquiritur *a*) etiam sine intentione, quum Missa *ad altare privilegiatum* celebratur pro uno defuncto; si pro pluribus, nequit applicari nisi uni, quem celebrans determinaverit. *b*) Quum agitur *de privilegio personali,* intentio seu applicatio necessario fieri debet. *c*) *Indulgentia nequit separari a fructu sacrificii,* nec si pro vivis celebretur; nam ei animae applicanda est, pro qua celebratur (S. C. Ind. d. 25 Aug. 1897). *d*) Ad adquirendam Indulgentiam *altaris privilegiati, laudabiliter* legitur Missa *de requie* quum ea ex novis rubricis permittitur, vel Missa de feria quum eam novae rubricae celebrari iubent vel sinunt, cum oratione pro defunctis pro quibus sacrum fit; at *non est necessarium* (S. Off., Sect. de Indulg. 19-20 Febr. 1913). *e*) *Die Commem. omnium fidelium defunctorum* omnes Missae gaudent privilegio ac si essent ad a. privilegiatum celebratae; et omnia altaria ecclesiae per eos dies quibus in ea peragitur supplicatio *Quadraginta Horarum* sunt privilegiati (cf. CIC. can. 917). Pro Missis celebrandis in altari privil., nequit, sub obtentu privilegii, maior exigi eleemosyna (can. 918).

Cap. IV. De Sacramentalibus.

(CIC. can. 1144-1153)

642. Quid sint et a cuius potestate pendeant. **Sacramentalia** sunt res aut actiones quibus Ecclesia, in aliquam Sacramentorum imitationem, uti solet ad obtinendos ex sua impetratione effectus praesertim spirituales. Nova Sacramentalia constituere aut recepta authentice interpretari, ex iisdem aliqua abolere aut mutare, sola potest Sedes Apostolica.

643. Quaenam sint et quomodo distinguantur. Sacramentalia adeo multa et varia sunt ut ea singillatim persequi res esset propemodum infinita. Plura obsoleverunt; plura recentioribus temporibus Ecclesia instituit. Distingui vero possunt: A) *Ratione obiecti*, in *actiones* et *res*, prout effectus spiritualis vel temporalis provenit immediate ab aliqua actione ex. gr. benedictione, exorcismo, vel mediate per rem benedictam. B) *Ratione finis*, in *benedictiones* et *exorcismos*, prout directe tendunt ad effectum spiritualem assequendum aut ad potestatem daemonis frangendam vel minuendam. E **benedictionibus**, quae sunt preces a clerico nomine Ecclesiae adhibitae ad obtinendum a Deo alicui bonum aliquod sive spirituale sive temporale, *α) ratione effectus α)* aliae sunt *constitutivae*, quibus *aa)* res vel personae sacrae fiunt et ad cultum divinum deputantur (ex. gr. tonsura, ordines minores, benedictio Abbatis, consecratio virginum, chrisma, oleum sacrum), vel *bb)* res ideo benedicuntur et fiunt sacramentalia permanentia, ut ex earum pio usu aliquid boni hominibus oriatur vel aliquid mali ab iis avertatur (ex. gr. aqua benedicta, agnus Dei); *b)* aliae sunt *invocativae*, seu simplices preces ad bonum implorandum (ex. gr. benedictio agrorum, infirmi etc.); *β) ratione formae*,

aliae dicuntur *reales*, et sunt consecrationes, in quibus unctio adhibetur, puta calicis; aliae *verbales*, quae sc. verbis tantummodo impertiuntur, ut benedictio aquae, linteaminum sacrorum. **Exorcismus**, qui est adiuratio imperativa in daemonem facta, potest esse *sollemnis* vel *simplex*, prout fit ad expellendos daemones ab obsessis vel ad daemonis virtutem coercendam ne noceat; *publicus* vel *privatus*, prout fit ab Ecclesiae ministris nomine eius, vel a quovis fideli nomine proprio ad tentationes repellendas. C) *Ratione ministri*, in *reservata* [*R. P.*, ut benedictio pallii, agnus Dei, rosae aureae; *Episcopis*, ut benedictiones reales (consecratio calicis) quae nequeunt sacerdoti delegari sine indulto S. Sedis, et verbales quae possunt sacerdoti delegari; *nonnullis Ordinibus regularibus* (quae ab ipsis delegari possunt cuilibet sacerdoti)] et *non reservata*, quae a quovis sacerdote impertiri possunt, exceptis iis quae parochis competunt, ut ex. gr. benedictio domorum Sabbato Sancto.

644. Quinam eorumdem ministri. Iam generatim innuimus. Minister Sacramentalium est clericus, cui ad id potestas collata sit, quique a competenti auctoritate ecclesiastica non sit prohibitus eamdem exercere. Et singillatim: *a*) consecrationes nemo, qui charactere episcopali careat, valide peragere potest, nisi vel iure vel apostolico indulto id ei permittatur; *b*) exceptis benedictionibus reservatis, de quibus supra, ceteras sacerdos licite et valide peragit; reservatas si sine facultate impertiatur, illicite quidem peragit, sed valide, nisi in reservatione Ap. Sedes aliud expresserit; *c*) diaconi et lectores illas tantum valide et licite benedictiones dare possunt, quae ipsis expresse a iure permittuntur; *d*) nemo, etsi potestate exorcizandi praeditus, exorcismos in obsessos proferre legitime potest nisi de peculiari et expressa Ordinarii licentia, ab eo non concedenda nisi sacerdoti pietate, prudentia et vitae integritate praedito,

qui tunc tantum procedere ad exorcizandum poterit si ex diligenti prudentique investigatione sibi constiterit de veritate obsessionis. Exorcismorum denique, qui in baptismo, consecrationibus et benedictionibus occurrunt, ministri sunt iidem qui eorumdem sacrorum rituum legitimi ministri sunt.

Benedictiones, imprimis impertiendae catholicis, dari quoque possunt catechumenis, imo, nisi obstet Ecclesiae prohibitio, etiam acatholicis ad obtinendum fidei lumen vel, una cum illo, corporis sanitatem; exorcismi vero fieri possunt non modo in fideles et catechumenos, sed etiam in acatholicos et excommunicatos.

In Sacramentalibus conficiendis seu administrandis accurate servari debent ritus ab Ecclesia probati; in consecrationibus autem ac benedictionibus tum constitutivis tum invocativis, *ad validitatem*, adhibenda est formula ab Ecclesia praescripta.

645. Quos effectus producant et quomodo. A) Effectus Sacramentalium praecipui sunt quatuor: *a*) *Cohibitio daemonis*, tum ne noceat physice hominibus eorumque bonis, tum ne tentationibus eos ad peccatum alliciat et impellat, tum ne corpora obsideat et ut obsessa deserat; *b*) *Bonorum temporalium assecutio vel tuitio,* ex. gr. ut restituatur sanitas, mala avertantur et conferatur temporalis prosperitas; *c*) *Culpae venialis remissio;* quam delent culpam ex. gr. aqua benedicta, impositio cinerum quadragesimalium, recitatio precis *Confiteor* cum adiectis versiculis; *d*) *Collatio gratiae actualis*, ut ex. gr. in benedictione Abbatum, in collatione ordinum minorum, in benedictione nuptiali et in plurimis aliis benedictionibus. B) Sacramentalia eiusmodi effectus producunt, *non ex opere operantis*, etsi ministri Deo placentis meritis augeri effectus quandoque possunt, *non ex opere operato*, quia deest divina institutio, sed *ad instar operis operati* seu *ex opere operantis Ecclesiae,* sc. vi impetrationis Ecclesiae.

646. Utrum adhiberi possint ad profanos usus. Res consecratae, vel benedictae constitutiva benedictione, reverenter tractari debent et nequeunt adhiberi ad usum profanum vel non proprium vel superstitiosum, etsi in dominio privatorum sunt.

LAUDES AC GRATIAE SINT OMNI MOMENTO SANCTISSIMO ET DIVINISSIMO SACRAMENTO.

INDEX ANALYTICUS

Indicantur numeri marginales, non paginarum.

Abbates Nullius quoad ordinationem, 520; quoad litt. dimissorias, 520; quoad censuras ferendas, 595.

Abortus, 231 et seq.; poena in procurantes abortum, 235; 612, 4°.

Abortivorum baptismus, 427.

Abrogatio legis, 59.

Absolutio a casibus episcopalibus, 477-479; papalibus, 480; proprii complicis in re turpi, 481-484; absolutionis forma, et quomodo absolutio dari debeat, 485-487; quando danda, differenda, deneganda, 490.

Absentia a territorio quoad oblig. legis, 40.

Abstinentia ab operibus servilibus, 217.

Abstinentiae lex, 354-356, 363-365.

Acceptatio, quoad privilegium, 40; dispensationem, 40; hereditatem et legata, 286; contractus, 293.

Accessio, 277.

Accrescendi ius, 285.

Accusator, 380.

Acedia, 76.

Actor, 380.

Actus, humanus, 2; moralis, 2; hominis, 2; actus humani distinctiones in elicitum, imperatum, internum, externum, 2; bonus, malus, indifferens, 52; actus humani obiectum, circumstantiae (finis), finis distinctiones, 53; actus fidei, 98, 102-103; spei, 122, 123; cultus, 155-161; luxuriae externi consummati, 247-253; non consummati, 257; interni, 258; coniugalis, liceitas, 585-586; obligatio, 588.

Adcrescendi ius, 285.

Adiunctio, 277.

Adiuratio, eiusque species et malitia, 191, 643.

Administratio Sacramentorum, 398; baptismi, 430; confirmationis, 433; Euch., 444; Extr. Unctionis, 513.

Adoptio, qua imp. impediens, 542, qua dirimens, 552.

Adoratio, 155-156.

Adsistentia morientibus, 398; Episcopo debita a canonicis, 396.

Adulterium, 254; restitutio ob adult., 528; qua imp. dirimens, 553; qua causa instituendi separationem inter coniuges, 582.

Adultorum baptismus, 429.

Advena, quoad leges ecclesiasticas, 47.

Advocatus, 375; in causa divortii, 584.

Aedificatio, 277.

Aemulatio, 71.

Aequiprobabilismus, 91.

Aequivocatio, 350.

Aetas, quoad Ordines suscipiendos, 522; qua imp. dirim., 558.

Affinitas, qua imp. dirim., 559.
Aggressoris iniusti occisio, 229.
Aleatorii contractus, 312; *ludi*, quoad clericos, 390.
Alluvio, 277.
Altare, quoad Missam, 451; privilegiatum, 640-641.
Alvei mutatio, ut modus acquirendi dominii, 277.
Ambitio, 70.
Amphybologia, 350.
Amplexus, 257; coniugum, 577.
Animalium occupatio, 275; *locatio*, 308.
Antichresis, 313.
Apostasia, 109; poenae in apostatas, 109; 610, 1°.
Apostatae, quoad leges ecclesiasticas, 47.
Apparitor, 379.
Applicatio Missae, 452-454; pro populo, 398.
Approbatio quoad confessiones, 469.
Arbitri, 384.
Armorum delatio quoad clericos, 390.
Ars notoria, 173-174.
Ars sanitatum, 173-174.
Articulus mortis, quoad absolut. a censuris, 480; complicis, 483; quoad impedim. matrim., 564.
Artifices, 388.
Adspectus turpes, 257; coniugum, 577.
Assecuratio damnorum, vitae, 312.
Assertorium iuramentum, 195-200.
Astrologia iudiciaria, 170.
Asyli, immunitatis violatio, 153.
Attentatum matrimonium, 525, 629.
Attentio actualis in administr. Sacram. 417; in recitatione officii, 392.
Attritio, 463-464; in sacram. recipiendis, 421.
Auctor, quoad dominium, 272.
Auditio Missae, 220-221.
Avaritia, 73.
Avulsio, ut modus acquirendi dominii, 277.

Banna, v. *denuntiationes*.
Baptismus, 422; materia b., 425; forma, 424; minister, 425; subiectum, 426; b. fetuum, monstrorum, b. in utero matris, 427; infantium, 428; adultorum, 429; b. administratio, 430.
Beatorum cultus, 154.
Bellum, 240-242; quoad clericos, 390.
Benedictiones, 643-646.
Beneficiariorum officia, 395.
Bestialitas, 253.
Bigamia, 628.
Binatio, 451.
Blasphemia, eiusque species et malitia, 192-194.
Bona auctorum, 272; clericorum, 271; Ecclesiae, ecclesiastica, quoad sacrilegium, 182; hominis eiusque species, dominium, 266; filiorumf., 268; uxorum, 270; temporalia quoad eleemosynam, 132; vacantia, 276.
Bona fides, quoad praescriptionem, 279.
Breviarium Romanum, 392.
Bursae ludus seu *operationes*, 312.

Caelibatus lex, 392.
Caesarea operatio, 231, 233, 427.
Calendarium officii recitandi, 392.
Calix quoad Missam, 451; quoad consecrationem, 643
Calumnia, 71, 345-347.
Cambium, 306.
Cancellarius, 378.
Canonicarum horarum recitatio, 392.
Canonicorum officia, 396-397.
Canonis privilegium, 400.
Cardinales, quoad leges ferendas, 45; quoad iurisdictionem, 470; quoad censuras ferendas, 595; quoad indulgentias, 634.

Caritas, 125; ordo in caritate servandus, 126; distinctiones, 127; erga Deum, 128; erga proximum, 129-135; erga inimicos, 139.
Carnifex seu lictor, 379; 628, 3°.
Carnium esus, 354.
Castitatis votum, 210-211; 404; v. *Votum*.
Casus episcopales, 476-479; *papales*, 480, 594, 609-622.
Casuum reservatio, v. *Reservatio casuum*.
Catechizandi obligatio, 394, 398.
Caupo quoad cooperat., 152.
Cauponas ingredi quoad clericos, 390.
Causae cessationis legis, 39; impedientes et eximentes a lege, 40; excusantes a restitutione, 332-334; a recitatione divini officii, 392; c. matrimonii, 526; dispensationis in imped. m. dirim., 566-568; excusantes a censura incurrenda, 597; excusantes ab irregularitate incurrenda, 626.
Celebratio matrimonii, 575-578; Missae, 451.
Censura praevia librorum, 113-115.
Censura, ut poena; notio, distinctiones, reservatio, 594; quis ferre possit, 595; quaenam ad ferendam c. requirantur, 596; quaenam ab incurrenda c. excusent, 597; quomodo cesset, 598; obligatio petendi absolut. a censuris, 599; censurae in specie, 600-608; censurae latae sententiae hodie vigentes, 609-622.
Census, 311.
Certitudo moralis, 78.
Cessatio legis in se, 39; quoad obligationem, 39-40; reservationis, 476; censurae, 598; interdicti, 604; suspensionis, 607; irregularitatis, 627.
Cessio bonorum (*fallimento*) quoad restitutionem, 333.
Character sacramentalis, 409.
Chiromantia, 170.
Chirurgus, 385; chirurgicae artis exercitium quoad clericos, 390.
Chorale servitium quoad canonicos, 396.
Choreae quoad clericos, 390.
Chrisma, 431.
Cibi quoad abstinentiam et ieiunium, 354-364.
Circumstantiae actus humani, 53; restitutionis, 331; actus coniugalis, 586.
Civilis lex, 41.
Civium obligatio quoad electiones, 225.
Clandestinitas, imp. dir., 560.
Clausura: lex, 405; cl. violantes, 611, 6°.
Clerici, quoad leges civiles, 43; quoad bona, 271; obligationes negativae, 390; positivae communes, 391; cl. in sacris, 392; iura et privilegia in genere, 400.
Cogitatio de rebus obscenis, 258.
Cognatio legalis ex adoptione, uti imp. impediens, 542; naturalis, spiritualis et legalis, qua imp. dirimens, 552.
Cohabitatio; separatio coniugum quoad cohabit., 582.
Coloni, 308.
Commissio Codici I. C. interpretando, 45.
Commixtio quoad dominium, 277; aquae et vini in Missa, 62, 440.
Commodatum, 298.
Communia opera in die festo, 217.
Communicatio cum infidelibus, haer., apost., schism., in divinis et in civilibus, 112; cum excommunicatis, 602.
Communio annua Paschalis, 367; subiectum comm., 446; necessitas, 447; dispositiones, 448; comm. frequens, 449.
Commutatio voti, 214; satisfactionis sacramentalis, 499; operum iniunctorum ad indulgent. lucrandas, 635.

Compensatio occulta, 318-334.
Complicitas in re turpi, 481-484; officia poenitentis et confessarii quoad complicis manifestationem, 502, 503.
Compositio a Summo Pontifice facta, 334.
Concilia, quoad leges ferendas, 45; quoad censuras fer., 595.
Concilii S. Congr., 45.
Concubinatus, 247; quando clerici praesumantur concubinarii, 390.
Concupiscentia, 15; divisiones, 16; principia, 16
Concursus legis cum altera lege, 40; simonia in concursibus ad paroec., 186-187.
Condicio, qua imp. dirimens matrim., 550.
Condiciones, ad praescriptionem, 279; in testamentis, 285; in contractibus, 294; in administratione sacramentorum, 416; in matrimonio contrahendo, 526; in sponsalibus, 531; requisitae ad censuras ferendas, 596; ad indulgentias lucrandas, 635; ad lucr. iubilaeum, 638; altaris privilegium, 641.
Condimenta, 354, 363.
Condonatio ex parte creditoris quoad restitutionem, 334.
Conductor in locatione, 308.
Confessarii officia, qua est pater, 488; qua doctor, 489; qua iudex et minister, 490; qua medicus, 491; post confessionem (sigillum sacramentale), 492-495; obligatio imponendi satisfactionem, 497, 499; supplendi defectus confessionum, 501; o. quoad complicis manifestationem, 503; o. enascentia confessario e sollicitatione, 505.
Confessarius, quoad approbationem, 469; quoad iurisdictionem, 470; quoad dispensationem a ieiunio et abstinentia, 365; complicis in re turpi, 481-484; monialium, 472-473; regularis et regularium, 471.
Confessio annua, 366; confessio, 466-467; conf. generalis, 468; confessionis defectus supplendi, 500-501.
Confirmatio, 431; materia, forma, 431; minister, subiectum, 432; c. administratio, 433; quoad ordinationem, 522.
Confusio quoad dominium, 277.
Congregationes Romanae, quoad praxim poenitentiariem, 45.
Coniugalis actus, obligatio, 588.
Coniuges quoad petendum divortium, 584.
Coniugicidium, imp. dirimens 553.
Coniugii usus, 585-588.
Coniugum separatio, quoad cohab., 582; quoad torum, 583, (v. etiam *divortia*).
Consanguinitas, imp. dirimens, 552.
Conscientia, 77; distinctiones, 78; certa et invincibiliter erronea, 79-82; vincibiliter erronea, laxa, negative dubia, perplexa, scrupulosa, 83-87; probabilis, positive dubia, 88-96.
Conscripti milites, 242, 339.
Consecratio Euchar.; requisita ad validitatem, 437-439; ad liceitatem, 440; minister, 441-442.
Consensus, in contractibus, 293; in matrimonio, 526; defectus consensus in m. quomodo supplendus vel renovandus, 591.
Consentiens in cooperatione, 329.
Conservatio vitae quousque obliget, 727.
Consuetudinarii, 491.
Consuetudo, 50; divisiones, requisita ad inducendam cons., abrogatio, 50; c. in iure canonico et civili italico, 50.

Consulens in cooperatione, 328.
Contestatorium iuramentum, 195.
Contractus eiusque species, 292; elementa essentialia, 293; accidentalia, 294; obligatio, 295; c. gratuiti, 296-303; onerosi, 304-312; subsidiarii, 313; consensus in contr., 293; error in contr., 293; poena conventionalis, iuramentum, condiciones, modi in contr., 294; Contractus trinus, 309.
Contrahentes matrimonium, quoad celebrationem, 577.
Contritio, 461-462, 464.
Contumelia, 72, 348.
Conventualis Missae celebratio, 396.
Cooperatio, 150; distinctiones, 150; regulae de cooperatione formali et materiali, 150-152; in furto et damnificatione, 327-330.
Copia confessarii quando desit relate ad comm., 448.
Copula inter coniuges, 585-588.
Coronae gestatio quoad clericos, 392.
Corporale quoad Missam, 451.
Corporis decentia quoad Euch. 448.
Correptio fraterna, 131.
Craniotomia, 231.
Credenda de necessit. medii et praecepti, 101.
Crematio, 370.
Crimen imp. dirimens, 553.
Crux in altari quoad Missam, 451.
Cultus, 154; distinctiones, 154; actus cultus in specie, 155-161.
Cultus disparitas, imp. dir., 554.
Custodes agrorum, 387.

Damnificatio, 314, 319; quoad restitut., 326.
Decalogi praecepta: 1um, 153; 2um, 189; 3um, 215; 4um, 222; 5um, 226; 6um et 9um, 243; 7um et 10um, 259; 8um, 341.
Decimae, 368.
Decreta SS. Congregationum, 55.
De disciplina Sacramentorum Congreg., 45.
Defectus confessionum supplendi, 500-501; consensus in matr., 591; formae in matr., 592; irregularitates ex defectu, 624, 628.
Degradatio, 608.
Delatio armorum, quoad clericos, 390.
Delectatio morosa, 68.
Delegata iurisdictio quoad confess., 470; quoad dispens., 40.
Deliberatio in voto, 205.
Delictum quoad irregularitates, 624-627, 629.
Denuntiatio confessarii sollicitantis, 506.
Denuntiationes matrimonii, 535.
Deperditae res quoad dominium, 276.
Depositio, 608.
Depositum, 300.
Deputatorum electio, 225.
Derelictae res, quoad dominium, 276.
Derogatio legi, 39.
Desiderium malum, 58, 68, 258.
Desperatio, 124.
Desuetudo, quoad legem, 39.
Detractio, 71, 344; quoad restitutionem, 346-347.
Diaconatus, 514, 518-519, 522-523.
Dies festi, 216.
Dimissoriales litterae pro ordinatione, 520, 522.
Dirimentia impedim. matrimonii, 538, 545-574 (v. *Impedimenta*).
Disparitas cultus, imp. dirim., 554.
Dispensatio in iure naturae et positivo-divino, 20, 49; in lege, 40; in lege ecclesiast., 49; in votis, 209; in lege abstin. ab operibus servilibus die festo, 219;

in lege abstin. et ieiunii, 365; dispensatio ab imped. imped., 544; ab imp. dir. a quo detur, 563-564; quomodo petatur, 569-570; quomodo concedatur, 522; quomodo exsecutioni demandetur, 565, 573-574; de disp. ab imped. dirim. validitate, invaliditate, sanatione, 571; in matrim. rato et non consummato fidelium, 580; in m. consummato infidelium, 581; in irregularitatibus, 627, 631.

Dispensationis Euch. minister, 441, 443.

Disponibilis portio in hered., 284.

Dispositiones ad conficiend. et sumendam Euch., 448; ad frequentem commun. 449.

Disputatio religiosa cum acatholicis, 115.

Dissolutio sponsalium, 533.

Distillatio activa, 251.

Distinctio peccatorum theologica, 60-64; specifica, 65; numerica, 66.

Distractiones, 161, 417.

Divinatio, 169; d. species, 170; malitia, 171.

Divortia lege civili inducta, 584.

Documentum status liberi, 536.

Domicilium, 47; quoad ordinat., 520; quoad matrimonium, 535.

Dominium; obiectum, 266; subiectum, 267-272; filiorumf. 268-269; uxorum, 270; clericorum, 271; auctorum, 272; modi d. acquirendi, 273.

Donatio, 297.

Dubium, iuris et facti, 29; 78; 86; 91-98; 96.

Duellum, 236-238; poenae, 239.

Dulia, 154.

Ebrietas, 75.

Ecclesiae vetitum (impedim. impediens), 540.

Effectus sacramentorum, 409-410; baptismi, 422; confirmationis, 431; Eucharistiae, 436; poenitentiae, 459; extremae unctionis, 511; Ordinis, 515; matrimonii, ut sacramenti, 527; sponsalium, 532; legis impedim. diriment., 548; matrim. validi et putativi, 579; excommunicationis, 601; interdicti, 604; interd. ab ingressu eccl., 605; suspensionis, 607; sacramentalium, 645.

Efficacia orationis 158; sacrificii Missae, 450; sacramentalium, 645.

Electiones deputatorum, 225.

Eleemosyna, 132-135.

Embryotomia, 231, 233.

Emphyteusis, 307.

Emptio-venditio, 305.

Epicheia, 34, 37.

Episcopatus, 514, 518.

Episcoporum iura et privilegia, 402; e. quoad leges, 45; quoad censuras ferendas, 595; quoad irregularitates, 627.

Episcopus ordinationis, 520.

Error, 8; in rescriptis, 49; in voto, 205; in contractibus, 293; in officii divini recit., 392; quoad iurisdictionem, 470; qua imp. dirimens matrimonii, 549; in libello ad petendas dispens. matrim., 571.

Esus carnium, lacticin., ovorum, 354.

Eucharistia, 434; qua sacramentum, 435; eius effectus, 436; materia, 437, 439; forma, 438; de requisitis ad licitam consecr., 440; minister consecrationis, 442; minister dispensationis, 443; quo modo ministranda, 444; quomodo asservanda, 445; subiectum, 446; necessitas, 447; dispositiones ad conficiendam et sumendam E., 448; ad communionem frequentem et quotidianam, 449; qua sacrificium, 450-454.

Excommunicatio, natura et distinctiones, 600; effectus, 601; excommunicationes latae sent. hodie vigentes, 609-614.
Exemptio a iurisd. Ordinarii, 406.
Exorcismi, 643-645.
Exorcistatus, 514, 518.
Exploratio secreti, 351.
Exsecratorium iuramentum, 195.
Exsecutores testamentarii, 287.
Extensio legis impedimentorum dirim., 547.
Extrema necessitas quoad furtum, 318.
Extrema Unctio, 507; materia, 508; forma, minister, 509; subiectum, 510; effectus, 511; necessitas, 512; administratio, 513.

Fama eiusque laesio, 342-347.
Famuli, quoad cooper. peccatis dominorum, 132; quoad furta, 317; quoad occultam compens., 318.
Fascinatio, 173.
Festi dies, 216.
Fetuum baptismus, 427.
Fideiussio, 313.
Fides, 98; obiectum f., 98; distinctiones, 99; necessitas, 100-104; fidei professio, 105-106.
Filiifamilias quoad dominium, 268-269; quoad furtum, 316.
Filii illegitimi, quoad testam., 282; eorum legitimatio, 579.
Filiorum obligationes erga parentes, 223.
Finis actus h., distinctiones, 53.
Foenus, 299.
Fontes moralitatis, 55-58.
Forensia opera quando non liceant, 217.
Fori privilegium, 400.
Forma Sacramentorum, 412-413; quando et quomodo proferenda, 416; baptismi, 424; confirmat., 431; Euch., 438; poenit., 457, 485-487; extr. unct., 509; Ordinis, 517-518; matrim., 527; f. qua dispensat. matrimoniales conceduntur, 572; defectus formae in matrimonio, 592.
Forma gratiosa, commissoria, mixta in Rescriptis, 49; in dispens. matrim., 572.
Fornicatio, 247.
Fraus, 73; in tributis, 340.
Frequens communio, 449.
Frigiditas, 561.
Fructus, 263; sacrificii Missae, 450.
Fructuarius, iura et onera, 263.
Furtum, 315-318.

Gaudium malum, 68.
Gestio negotiorum, 303.
Gratia sanctificans, sacramentalis, 409.
Gratuiti contractus, 296-303.
Gravitas peccati, 60-64; materiae in furto, 315-317.
Gula, 75.

Habitatio (usus aedium), 264.
Habituati, 490.
Habitus clericalis gestatio, 392.
Haeresis, 110.
Haeretici, 110: poenae in h. 110; 610, 1°.
Hereditas, ex testamento, 284-286, ab intestato, 289-291.
Hermaphroditi, 561.
Homicidium in Ecclesia admissum, 183; definitio et divisiones, 226.
Honestas publica, imp. dir., 557.
Honoris laesio, 348.
Horae canonicae, 392.
Hyperdulia, 154.
Hypnotismus, 177.
Hypotheca conventionalis, 313.

Idololatria, 167-168.
Ignorantia, 7, 8; iuris, facti, invincibilis, vincibilis, cras-

sa, supina, affectata, 9; principia de ignorantia, 10; quoad legem in genere et leges irritantes et inhabilitantes, 40; quoad reservationem casuum, 476; quoad impedimenta dirimentia, 547; quoad censuras, 597; quoad irregularitates, 626.
Illegitimi f. quoad testam., 282; eorum legitimatio, 579.
Immunitatis ius, 183.
Impedimenta matrimonii in statu libero agnoscendo, 536; si appareant tunc quum m. est contrahendum, 537; natura, 538; impedientia, 539-543; dispensatio ab imp. imp., 544; impedimenta dirimentia in genere, 545-548; in specie, 549-562; imp. dir. gradus minoris et maioris, 546; quid in casu imp. certi, dubii, putativi, 548; dispensatio ab imp. dirim. 563-574; imp. ad Ordines, 630.
Impediti ad Ordines, 630.
Impotentia; physica et moralis quoad restitutionem, 323; qua imp. dir. matrim., 561.
Imprecatio, 72.
Impuberes, 47; quoad censuras, 596; quoad irregularitates, 625.
Incardinationis Episcopus, 520.
Incestus, 255-256.
Incommodum grave quoad obligationem legis, 40.
Indifferentes actus, 52.
Indissolubilitas matrimonii, 528, 579.
Inductio in malum, 148-149.
Indulgentiae notio, 632; distinctio, 633; quinam ind. concedere possint, 634; condiciones ad lucr. ind. requisitae, 635.
Infamia iuris quoad patrinos, 450; irregularitas ex infamia iuris, 628.
Infantium baptismus, 428.
Infidelitas, 107-108.
Ingressus in religionem, quoad restitutionem, 333.
Inimici dilectio, 130.
Iniuria in genere, 314; in specie, 315-319.
Iniusta sententia, 373.
Iniusta damnificatio, 319.
Iniusti aggressoris occisio, 229.
Innocentis occisio, 230.
Integritas in confessione, 467.
Intentio, quoad votum, 205; in recit. divini officii, 392; in ministro sacramenti, 416; in susceptione sacramenti, 420.
Interitus rei, quoad privileg. reale, 40; in voto disiunctivo, 206; quoad restitutionem, 323-324, 333; quoad indulgentias locales et reales, 633.
Interdictum, quid, quomodo distinguatur, a quibus ferri possit, 603; effectus, 604; interdictum ab ingressu Ecclesiae, 605; interdicta l. s. hodie vigentia, 615-618.
Interpres, quoad confessionem, 467, 493; quoad matrim., 526.
Interpretatio legis, 34-37.
Interstitia, 528.
Intrusi, 111.
Inventarii beneficium, 286.
Inventio, ut m. adquirendi dominii, 276.
Involuntarium eiusque distinctiones, 4-5.
Ira, 72.
Irregularitas, notio, 623; distinctiones, 624; quomodo contrahatur, 625; quaenam excusent ab. i. incurrenda, 626; cessatio, 627; irregularitates ex defectu, 628; irreg. ex delicto, 629.
Irreligiositas, eiusque species, 178.
Irritatio voti, 208.
Irrumatio, 252; inter coniuges, 587.
Iteratio sacramentorum, 410; baptismi, 429.

Ieiunium, 357-365.
Ientaculum, quoad ieiunium, 358.

Iubens seu *mandans* in cooperatione, 328.
Iubilaeum, 636-639.
Iudex, 373; in causa divortii, 584.
Iudicium temerarium, 343.
Iuramentum, antimodernisticum, 106 (nota 1); iur. definitio, species, 195; moralitas, 196; requisita ad essentiam et valid., 197-199; ad liceit., 200; i. promissorii obligatio, 201; i. politicum vel civile, 202; suppletorium, 536.
Iurati, 374.
Iurisdictio quoad confessionem, 469; in genere, 470; in specie, quoad regulares, 471; quoad moniales et religiosas, 472-473; quoad peregrinos et vagos, 474; in navigantes, 475; iurisdictionis restrictio, seu reservatio casuum, 476-487.
Ius naturae, 19; ius immunitatis et asyli, 183; definitio iuris in genere et distinctiones, 260; ius adcrescendi in hered. testamentaria, 285; ius repraesentationis in hered. legitima, 290; iura clericorum in genere, 400; parochorum, 401; episcoporum, 402.
Iustitia, 260.

Lacticinia, 354.
Latria, 154; eius actus, 156.
Laesio honoris, 348.
Latrocinium, 226.
Laxismus, 91.
Lectoratus, 514, 518.
Legati R. P. quoad leges, 45.
Legatum, 285-286.
Legitima ex testamento, 284.
Legitima compensatio, 318, 334.
Legitimatio prolis, 565, 579.
Leve peccatum, 61-64.
Lex, 18; aeterna, naturalis, 19, 20; positivo-divina, 21; positivo-humana, 22; legis humanae auctor, 23; obiectum, 24; subiectum, 25; promulgatio, 26; acceptatio, 27; divisiones, 28; obligatio, 29-33; interpretatio, 34-37; cessatio in se (cessatio finis legis, abrogatio, derogatio, desuetudo), 38-39; cessatio quoad obligationem [causae excusantes seu impedientes (concursus legis cum altera l., omissio adimplementi, ignorantia, incommodum grave), 40; causae eximentes (absentia a territorio, dispensatio, privilegium), 40]; legis civilis auctor, 41; obiectum, 42; divisiones, 43; obligatio, 44; legis ecclesiasticae auctor, 45; obiectum, 46; subiectum, 47; promulgatio, 48; interpretatio, 48; dispensatio a l. e., 48; privilegia, 48; rescripta, 49; lex irritans et inhabilitans, 29; fundata in falsa praesumptione facti, 29; in praesumptione periculi communis, 29.
Libellus supplex ad dispens. matrimoniales impetrandas, 570.
Liberalia opera quoad dies festos, 217.
Libertas, 6; libertatis species, 6.
Liberum, 6.
Libri prohibiti, 116-120.
Ligamen, imp. dir., 556.
Litterae: de aperitione litterarum alienarum, 351; dimissoriales et testimoniales quoad ordinationem, 520, 522.
Locatio-conductio, 308.
Locus quoad Missam audiendam, 220; celebrandam, 451; quoad officii div. recitat., 392; quoad ordinationem, 523.
Loteria, 312.
Ludus, 312; ludus bursae, 312.
Luxuria, uti vitium capitale, 74; definitio, distinctiones, malitia, 244-246; actus l. externi perfecti seu consummati, 247-253; peccata, quae

speciem addunt actibus l. externis perfectis seu consummatis, 254-256; a. externi l. non consummati, 257; actus l. interni, 258.

Magia, 173.
Magnetismus, 175.
Maleficium, 173-174.
Malum alicui exoptare, 138-139; inferre, 139.
Mandans, quoad restitutionem, 328.
Mandatum, qua contractus, 302.
Manifestatio secreti, 361; complicis in confessione 502-503.
Mansturbatio, 248.
Manuales Missae, 454.
Materia, in furto, 315-317; m. quoad sacramenta, 411-414; baptismi, 423; confirm., 431; Eucharistiae, 437, 439; poenitentiae, 457-458; sigilli sacramentalis, 494; extremae unct., 508; Ordinis, 517-518; matrimonii, 527.
Matrimonium; natura, 524; distinctiones, 525; res, causa, consensus in m., 526; materia, forma, ministri, subiectum, effectus, 527; proprietates, 528; matrimonia mixta, 541; celebratio, 575-578; effectus m. validi et putativi, 579; m. rati et non consumm. fidelium solutio, 580; m. consummati infidelium solutio, 581; m. dubium, 589; m. nullum, 590-593.
Medicae artis exercitium quoad clericos, 390.
Medicus-chirurgus, 385.
Mendacium, 349.
Mercatores, 388.
Meretricium, 247.
Metoposcopia, 170.
Metus, 11; divisiones, 11; principia, 12; quoad contractus, 293; qua imp. dirimens, 555.
Milites conscripti, 242.
Militia; restit. ob negatam militiam, 339; quoad clericos, 390.
Minister sacramentorum, 415-418; baptismi, 425; confirm., 432; Euch., 441-443; poenit., 469 et seqq.; extr. unct., 509; validae ordinationis, 519; licitae ordinationis, 520; matrimonii, 527, 577.
Missae auditio, 220-221; efficacia, 450; celebratio quoad locum, tempus, sacr. supellectilem, ritus, 451; applicatio, quibus, quomodo facienda, 452; obligatio applicandi unde oriatur, 454; Missae manuales, ad instar man., fundatae, 454. Missa conventualis, 396.
Mixta matrimonia, 541.
Mohatra, 305.
Moniales, quoad iurisdictionem, 472-473.
Monopolium, 305.
Monstra quoad baptismum, 427.
Moralitas, 17; distinctiones, 54; moralitas actus h. essentialis, accidentalis, 55: unde moralitas a. desumatur, 55-58.
Morganaticum matrimonium, 525.
Morientes quoad adsistentiam iis debitam, 398.
Mortis desiderium, 227.
Mortale peccatum, 60-64.
Mutilatio sui ipsius, 227; restitut. ob mutilationem, 335; irregul. ex mutilat., 629.
Muti, quoad testam., 283; quoad confess., 467.
Mutus quoad cooperationem, 330.
Mutuum, 299.

Nativitas, ut modus adquirendi dominii, 277.
Navigantes, quoad iurisdictionem, 475.
Necessitas medii et praecepti, 100; in proximo, 132, V. etiam *Credenda, Actus* fidei, spei, *Caritas, Opera servilia, Furtum, Sacramenta* in genere et singula.

Necromantia, 170.
Necrophilia, 250.
Negotiatio, quoad clericos, 390.
Negotiorum gestio, 303.
Non manifestans, quoad cooperationem, 330.
Non obstans, quoad cooperationem, 330.
Notarius, in testam., 282; obligationes, 383.
Nova insula quoad dominium, 277.
Nullitas matrimonii, 590-593.
Numerica peccatorum distinctio, 66.

Obedientiae votum, 404.
Obex in sacram. susceptione, 410.
Obligationes; v. *Officia.*
Obreptio, 40; quoad dispens. in imp., 571.
Observantia vana, 172; distinctiones, 173; malitia, 174.
Observantia futurorum eventuum, 173.
Occasionarii, 490.
Occisio rei, 228; iniusti aggressoris, 229; innocentis in genere, 230.
Occulta compensatio, 318, 334.
Occupatio ut modus adquirendi dominii, 274-276.
Odium Dei, 136; proximi, 138-139.
Officia filiorum in parentes, 223; parentum in filios, 224; civium quoad electiones, 225; confessariorum, v. *Confessarii;* poenitentium, v. *Poenitens;* et ita suis locis pro statibus particularibus.
Officii S. Congregatio, 45.
Officium divinum, 392.
Onanismus 587.
Onerosi contractus, 304-312.
Oniromantia, 170.
Opera servilia, 217-219; communia, liberalia, 217.
Operatio caesarea, 233, 427.
Operatio porrensis, 234.
Opifices, 388.
Opinio, 89.
Oratio, 157-161.
Ordinarii; qui veniant CIC. nomine Ordinarii, et Ordinarii loci, 48 (Nota 1); quoad reliqua, v. *Episcoporum, Episcopus.*
Ordinatio rite peragenda, 523.
Ordines minores, 514, 518; sacri, 514, 518.
Ordinis sacram. natura et distinctiones, 514; effectus, 515; materia et forma in genere, 517; in specie, 518; minister validae ordinationis, 519; licitae o., 520; subiectum validae o., 521; licitae, 522.
Ordinum vetita susceptio vel vetitum exercitium, 623 et seqq.
Ordo ut imped. matrimonii, 551.
Ordo in caritate servandus, 126; in recitatione divini officii, 392.
Oscula, 257.
Ostiariatus, 514, 518.
Ovorum esus, v. *Esus.*

Palpo in cooperatione, 328.
Panis triticeus quoad Euch., 437.
Parentum erga filios obligationes, 224.
Parricidium, 226.
Parochorum officia, 398; iura et privilegia, 401; off. quoad celebrationem matr., 578.
Participans quoad cooperationem, 329.
Particulares status in genere, 371; in specie, 372-378.
Patrini, in bapt., 430; in confirm. 433; quoad cognationem spiritualem, 552.
Pauperes, quoad eleem., 132; quoad dispensat. matr., 569.
Paupertatis votum, 404.
Peccatum, actuale eiusque divisiones, 59; peccatorum distinctio theologica, 60-64; specifica, 65; numerica, 66; peccata interna, 68; peccata seu vitia capitalia, 69-76; peccata contra fidem, 103-

104, 108-118; contra spem, 124; contra caritatem, 136-150; contra Sp. Sanctum, 138.
Peregrini quoad leges eccl., 47; quoad iurisd., 474.
Periurus, 381.
Permutatio, 306.
Persona sacra, 181.
Pharmacopolae, 386.
Pignus, 313.
Piscatio, 275.
Plantatio, 277.
Poenales leges, 44.
Poenitentiariae Sacrae Tribunal, 45; quoad dispens. Matrimoniales, 569.
Poenitentia, 455-456; materia, forma, minister, 457-458; effectus, 459; opiniones probabiles quoad administr., suscept. sacramenti, 460.
Poenitens, quoad contritionem et confessionem, 461-468; quoad secretum erga confessarium, 493; quoad satisfactionem sacram., 498; quoad supplendos confessionum defectus, 500; quoad complicis manifestationem, 502; quoad sollicitationem, 506.
Politicum iuramentum, 202.
Pollutio, 249, 587.
Pollutio ecclesiae, 183.
Possessio quoad praescriptionem, 279; rei alienae ut radix restitut., 322-325.
Potestas ordinis, iurisdict., 469; statuendi impedim. dirim., 545; ferendi censuras, 595.
Praeceptum, 51; quando urgeri queat ex iure cononico, 51; v. *Caritas, Decalogi praecepta, Oratio, Abstinentia, Abstinentiae lex, Confessio annua, Communio annua Paschalis.* Praecepta Ecclesiae, 352-369.
Praeco in venditione sub hasta, 305.
Praedicatio, quoad parochos, 398.
Praelati regulares, quoad votum, 208-213; quoad dispens. ab abstin. et ieiunio, 365; quoad privilegia, 406; quoad censuras fer., 595; quoad irregularitates, 627.
Praescriptio, 278-280.
Praesentia sufficiens ad impl. praec. auditionis Missae, 220; quoad absolut., 487.
Praesumptio, hominis, iuris, iuris et de iure, periculi facti, 29 (nota 1); peccatum spei oppositum, 124.
Presbyteratus, 514, 518.
Presbyterorum officia, 393-394.
Principia reflexa, ad efformandam conscientiam certam, 92-96.
Privilegium, 40, 48; clericorum, 400; parochorum, 401; episcoporum, 402; regularium, 406.
Privilegium Paulinum, 581.
Probabiliorismus, 91-92.
Probabilismus, 91-96.
Probabilitas, 89-96.
Probatio iuridica status liberi, 536.
Procuratio abortus, 231-234; poenae, 235; 612, 4°.
Procuratores, 376; procurator quoad matrim., 526.
Professio fidei, 105-106.
Professio religiosa, 404.
Promiscuitas ciborum, 362.
Promissio, 295, 297.
Promissorium iuramentum, 195, 198-201.
Promulgatio legis, 20, 21, 26; ecclesiastica, 48.
Propaganda Fidei S. Congr., 45.
Propositum, 465.
Proprietates Sacram. matrimonii, 528.
Proxenetae, 305.
Psalterium, 392.
Publica honestas, imp. dirim., 557.
Pueri quoad leges eccl., 47.
Purgatorii animae utrum orandae, 160.

Quarta funeraria, 401.
Quasi-contractus, 303.
Quasi-domicilium, 47; quoad matrim., 535.
Quotidiana communio, 449.

Rabdomantia, 170.
Rapina, 315.
Raptus, 254; qua imp. dirim., 562.
Receptans quoad cooperationem, 328.
Recidivi, 490.
Recitatio divini officii, v. *Officium divinum*.
Referendarius seu *referens* (*relatore*), 377.
Regulae quoad interpr. legis, 35-36; quoad specif. pecc. distinctionem, 65; quoad numericam, 66; quoad obligat. subveniendi proximo, 133-134; pro commutatione votorum, 214; ad iudicandum de abstin. ab operibus servilibus, 217; circa habituatos, recidivos, occasionarios, 491; circa satisf. sacrament. imponendam, 497.
Regulares, quoad privilegia, 406; iurisdictionem 471; ordinationem, 520.
Religio, 153; religionis mixtae imp. imp., 541.
Religiosorum S. Congr., 45.
Religiosorum officia essentialia, 404; non essentialia, 405.
Renovatio Eucharistiae, 445.
Repraesentationis ius in hered. ab intestato, 290.
Res deperditae, derelictae, 276.
Rescriptum, 49.
Reservatio casuum, 476; absolutio a casibus reservatis, 477-479; a papalibus, 480; cessatio reserv., 476; ignorantia reservationis utrum excuset a reserv. incurrenda, 476; absolutio proprii complicis in re turpi, 481-484.
Residentia, quoad beneficiarios, 271, 395-396; quoad parochos, 398.
Restitutio, ex simonia, 188; r. natura, necessitas et obligatio, 320; radices rest., 321; r. ex possessione bona, mala, dubia fide, rei alienae, 322-325; ex damnificatione, 326; r. circumstantiae, 331; causae a restitutione excusantes, 332-334; r. propter homicidium et mutilationem, 335; ob stuprum, 336; ob fornicationem, 337; ob adulterium, 338; ob negatam militiam, 339; ob fraudata tributa, 340; ob laesionem famae, 346-347; ob laesionem honoris, 348.
Restrictio mentalis, 200.
Revalidatio matrimonii, 590-593.
Revocatio dispensationis, privilegii, 40.
Reus, eius occisio, 228; obligat., 382.
Ritus in celebr. Missae servandi, 451.
Rituum S. Congr., 45.

Sacramentorum natura, numerus, 407; necessitas, 408; effectus, 409; reviviscentia, 410; materia, 411; forma, 412; unio inter mater. et formam, 413; materia dubia, mutatio in forma et materia, 414; sacr. minister, 415; de requisitis in ministro ad validitatem, 416; ad liceitatem, 417; de obligatione et modo conferendi sacr., 418; sacr. subiectum, 419; de requisitis ad validam sacr. susceptionem, 420; ad licitam, 421.
Sacramentalia, quid sint et a cuius potestate pendeant, 642; distinctiones, 643; ministri, 644; effectus, 645; quoad profanos usus, 646.
Sacrificium Missae, v. *Missae*.
Sacrilegium, eiusque species, 180; personale, 181; reale, 182; locale, 183; malitia, 184.
Salarium, 308.
Salutatio inimici, 139.

Sanatio dispens. ab imp. dirim., 571; sanatio in radice, 593.
Sanctificatio dierum festorum, 215-221.
Satisfactio sacramentalis, 496-499.
Scandalum, 140; distinctiones, 140-141; scandalum activum directum, 143; activum indirectum, 144; simpliciter passivum, pusillorum et pharisaicum, 148-149.
Schisma, 111.
Schismatici, 111; poenae in sch., 111; 610, 1°.
Scientia quoad indicem, 373; advocatum, 375; clericum, 391; ordinandum, 522.
Sciopero (intermissio operum), 308.
Secretum eiusque species, 351; obligatio et violatio, 351.
Sententia iniuste lata, 373; certo aut dubie iusta, 373.
Separatio coniugum quoad habit., 582; quoad torum, 583.
Sepultura ecclesiastica, 601, 604-605.
Sequestrum conventionale, 301.
Servilia opera, 217-219.
Servitus, 261.
Servitutes personales, 262-264; reales seu praediales, 265.
Sigillum sacramentale, 492-495.
Signa communia dilect. erga inimicum, 139.
Simonia eiusque species, 185; iuris divini, 186; iuris ecclesiastici, 187; poenae in simoniam, 188; de restitutione facienda, 188.
Simulatio, 349; simulatio sacramenti, 418 et nota (1).
Societas, 309.
Sodomia, 252, 587.
Sollicitatio, 504-506.
Solutio facta creditori, 334.
— matrimonii rati et non consummati fidelium, 580; consummati infidelium, 581.
Somnia, 170.
Sortilegium, 170.
Specifica distinctio peccatorum, 65.
Specificatio, 277.
Spectacula quoad clericos, 890.
Spes, 121; sp. necessitas, 122-123; vitia spei opposita, 124.
Spiritismus, 175-176.
Sponsalia, natura, forma iuridica ad validitatem, 530; condicionum appositio, 531; effectus, 532; dissolutionis causae, 533-534; de actione a CIC. negata ad petendum matrimon., 530, 533 nota (1).
Sponsio (*scommessa*), 312.
Spontaneum, 4.
Status liberi probatio iuridica, 536.
Status gratiae quoad administrationem sacramentorum, 417; receptionem, 421; confectionem et suscept. Euch., 448; ordinationem, 522.
— *particularis*, 371.
— *religiosus*, 403.
Sterilitas, 561.
Stipendium Missae, 454.
Stuprum, 254; restitutio ob st., 336.
Subdiaconatus, 514, 518.
Subreptio, 40; quoad dispens. matrim. 571.
Subsidiarii contractus, 313.
Substitutio heredis vel legatarii, 285.
Successio ex testam., 284-285; ab intestato, 289-291.
Suicidium, in Eccl. admissum, 183; distinctiones, poenae, 227.
Supellex sacra quoad Missae celebr., 451.
Superbia, 70.
Superiorissa, quoad legem Eccl., 45; quoad abstinentiam et ieiunium, 365.
Superstitio, 163; cultus indebiti, 164-165; rei cultae indebitae, 166-174.
Suppletorium iuramentum, 522.

Surdi et surdi-muti, quoad testamentum, 283; quoad confessionem, 467.
Suspensio, natura et distinctiones, 606; ex informata conscientia, 607; suspensiones l. s. hodie vigentes, 619-622.
Suspicio temeraria, 343.

Tactus turpes, 257.
Temporalia spiritualibus adnexa, quoad simoniam, 187.
Tempus requisitum ad grave peccatum in laborando die festo, 218; ad praescriptionem, 279; quoad recitat. officii divini, 392; celebr. Missae, 451; ordinationem, 523; celebr. matrimonii, 577.
Tentatio Dei, 179.
Theologia moralis. 1.
Theologica peccatorum distinctio, 60-64.
Testamentum, 281-288.
Testimoniales litterae quoad ordinat., 522.
Testis, in testam., 283; in iudicio, 381; in matrim., 576.
Thesaurus, 276.
Titulus dominii, 273; praescriptionis, 279; coloratus quoad iurisdictionem, 470; ordinationis pro subdiacono, 522.
Toleratus excomm., 600-601, et passim.
Tonsura, gestatio, 392; natura, 516; quo tempore, loco, 523; quae post studia conferenda, 522.
Tori separatio, 583.
Transactio, 310; in restitutione, 334.
Tributa quoad obligationem, 44; restitut., 340.
Turpes sermones, adspectus, tactus, amplexus, 257.
Turpia loqui, canere, audire, 257.
Tutores, quoad testamentum, 282.
Tutiorismus, 91

Unitas materiae et formae in sacram., 413.
— matrimonii, 528.
Usus in dominio, 264; secreti iuste vel iniuste adquisiti, 351; facultatis dispensandi in imped. dir. m., 565; coniugii, 585-587.
Ususfructus, 263.
Usura, 299.
Uxor, quoad dominium, 270.

Vacantia bona, 276.
Vagus quoad legem eccl., 47; quoad matrimonium, 535, 560.
Valor sacrificii Missae, 450.
Vana usurpatio nominis Dei etc., 190.
Vasa sacra, 182.
Venatio, quoad occupationem, 275; quoad clericos, 390.
Venaitio, 305.
Venditores quoad cooperationem, 152.
Veneficium, 173.
Veniam dandi obligatio, 139.
Veniale peccatum, 61, 63-64.
Vestes sacrae, 182; quoad Missam, 451.
Vetitum Ecclesiae, v. *Ecclesiae vetitum*.
Viaticum, 444, 447-448.
Vicarius generalis, capitularis (v. etiam *Episcoporum, Ordinarius*), quoad dimissorias, 520; quoad censuras fer., 595.
Vinum de vite quoad Missam, 437.
Violatio immunitatis et iuris asyli, 183; sigilli sacram., 495; fidei sponsalitiae, 533.
Virga divinatoria, 170.
Vis seu violentia, 13; principia, 14; qua imp. dirim. 555.
Vita, oblig. ad vitam conservandam, 227.
Vitalitium, 312.
Vitandi excomm., 600-601.
Vocatio quoad ordinat., 522.
Volitum, 4.

Voluntarium, 4; eius distinctiones, 5; principia de voluntario in causa, 5.
Vomitu laborantes quoad Eucharistiam, 447.
Votum, 203; distinctiones, 204; requisita ad valid. et liceit., 205; v. obligatio, 206; cessatio, 207; irritatio, 208; dispensatio, 209-213; commutatio, 214; qua imped. impediens, 543; qua imp. dirimens, 551.
Vulnera, 72.

INDEX

	Pag.
Partitio Generalis totius Summarii	1
Liber Primus. De prolegomenis seu de principiis fundamentalibus	3
De actibus humanis	—
Pars Prima. De actu humano in se spectato	—
Cap. I. De definitione et divisione actuum humanorum	—
Cap. II. De principiis actus humani	4
Art. 1. De voluntario	—
Art. 2. De libero	5
Cap. III. De oppositis actui humano	6
Art. 1. De ignorantia	—
Art. 2. De metu	7
Art. 3. De vi	8
Art. 4. De concupiscentia	9
Pars Altera. De moralitate actus humani	—
Sectio Prima. De regula obiectiva et remota actuum humanorum seu de lege	10
Cap. I. De lege naturali et positivo-divina	—
Cap. II. De lege positivo-humana	12
Art. 1. De iis, quae legi civili et ecclesiasticae sunt communia	13
§ 1. De auctore, obiecto, subiecto, promulgatione, acceptatione et divisione legis	—
§ 2. De obligatione legis	14

Pag.
§ 3. De interpretatione legis . . 17
§ 4. De cessatione legis vel obligationis ex ea enascentis . . 18
Art. 2. De iis quae legi civili et ecclesiasticae sunt propria . 25
§ 1. De lege civili . . . . . —
§ 2. De lege ecclesiastica . . 27
Appendix I. De consuetudine . 40
Appendix II. De praecepto . 42
Sectio Altera. De fontibus moralitatis . 43
Cap. I. De notione obiecti et circumstantiarum 44
Cap. II. De influxu obiecti et circumstantiarum in moralitatem actus . . . . . —
Sectio Tertia. De actuum moralium distinctione seu de peccatis in genere et in specie . . 46
Cap. I. De peccatis in genere . . —
Art. 1. De distinctione peccatorum ratione gravitatis, seu theologica 47
Art. 2. De distinctione specifica peccatorum 50
Art. 3. De distinctione numerica peccatorum 51
Cap. II. De peccatis in specie . . 52
Art. 1. De peccatis internis . . —
Art. 2. De peccatis seu vitiis capitalibus 54
Sectio Quarta. De regula morum subiectiva et proxima seu de conscientia 59
Cap. I. De conscientiae natura et divisionibus . . . . . —
Cap. II. De conscientia certa et de invincibiliter erronea . . 62
Cap. III. De conscientia vincibiliter erronea, laxa, negative dubia, perplexa, scrupulosa . 63

Pag.

Cap. IV. De conscientia probabili et positive dubia seu de modo efformandi conscientiam certam 65

Liber Alter. De officiis 75

Pars Prima. De officiis quae omnibus christianis sunt communia . —

Sectio Prima. De virtutibus theologicis . —

Tit. I. De fide et vitiis ei oppositis . —

Cap. I. De fide . . . . . —

Art. 1. De fidei notione eiusque distinctionibus . . . . —

Art. 2. De fidei necessitate . . 76

§ 1. De necessitate fidei quoad obiecta credenda 77

§ 2. De necessitate fidei quoad actus f. internos eliciendos . . 78

§ 3. De necessitate fidem exterius profitendi 80

Cap. II. De vitiis fidei oppositis . . 83

Art. 1. De infidelitate . . . . —

Art. 2. De apostasia 84

Art. 3. De haeresi . . . . —

Art. 4. De schismate . . . 85

Appendix I. De praevia librorum censura 86

Appendix II. De libris prohibitis . 88

Art. 1. Quid lex naturalis vetet . —

Art. 2. Quid lex ecclesiastica vetet in genere 89

Art. 3. Quid lex ecclesiastica vetet in specie 90

Art. 4. Unde petatur licentia libros prohibitos legendi . . 91

Art. 5. De poenis in transgressores latis vel ferendis 92

Tit. II. De spe et vitiis ei oppositis —

Cap. I. De spe . . . . . —

Pag.
Art. 1. De notione spei eiusque obiecto 92
Art. 2. De necessitate actuum spei . 93
Cap. II. De vitiis spei oppositis . . 94
Tit. III. De caritate et vitiis ei oppositis . 95
Cap. I. De caritate . . . . . —
Art. 1. De caritatis notione, obiecto, ordine, distinctionibus . . —
Art. 2. De caritate erga Deum . . 98
Art. 3. De caritate erga proximum . —
§ 1. De caritate interiore in proximum . . . . . —
§ 2. De actibus caritatis externis erga proximum 99
I. De proximo in necessitatibus spiritualibus subveniendo . . —
II. De proximo in necessitatibus temporalibus subveniendo seu de eleemosyna 102
Cap. II. De peccatis seu vitiis caritati oppositis 105
Art. 1. De oppositis caritati erga Deum —
Art. 2. De oppositis caritati erga proximum . . . . . —
§ 1. De odio et inimicitia erga proximum . . . . . —
§ 2. De scandalo 108
I. De scandalo activo directo . —
II. De scandalo activo indirecto . 109
III. De scandalo simpliciter passivo, et de sc. pusillorum et pharisaico 110
§ 3. De inductione 111
§ 4. De cooperatione . . . 112
Sectio Altera. De praeceptis decalogi . 116
Tit. 1. De primo decalogi praecepto . —
Cap. I. De religione . . . . . —
Art. 1. De cultu in genere . . . —
Art. 2. De actibus cultus in specie . 117
§ 1. De adoratione . . . . —
§ 2. De oratione 118

Pag
Cap. II. De vitiis religioni oppositis . 121
Art. 1. De superstitione . . . —
§ 1. De superstitione cultus indebiti —
§ 2. De superstitione rei cultae indebitae 122
I. De idololatria . . . —
II. De divinatione . . . 123
III. De vana observantia . . 126
Appendix. De spiritismo et hypnotismo 128
Art. 2. De irreligiositate . . . 133
§ 1. De tentatione Dei . . . —
§ 2. De sacrilegio 134
§ 3. De simonia 137
I. De simonia iuris divini . 139
II. De simonia iuris ecclesiastici 142
III. De poenis in simoniam latis vel ferendis et de restitutione facienda 144
Tit. II. De altero decalogi praecepto . 145
Cap. I. De vana, indebita, contumeliosa Dei nominis invocatione . —
Art. 1. De vana Dei nominis usurpatione . . . . . —
Art. 2. De adiuratione . . . 146
Art. 3. De blasphemia . . . 147
Cap. II. De iuramento 148
Art. 1. De requisitis ad essentiam et validitatem iuramenti . . 149
Art. 2. De requisitis ad liceitatem iuramenti 151
Art. 3. De obligatione iuramenti promissorii 153
Appendix. De liceitate iuramenti politici vel civilis . . . 154
Cap. III. De voto 155
Art. 1. De requisitis ad voti validitatem et liceitatem . . 156
Art. 2. De voti obligatione . . 159

Pag
Art. 3. De voti cessatione . . 162
§ 1. De voti irritatione . . . —
§ 2. De voti dispensatione . . 164
§ 3. De votorum commutatione . 166
Tit. III. De tertio decalogi praecepto . 167
Cap. I. Quinam sint dies festi observandi 168
Cap. II. De abstinentia ab operibus servilibus . . . . . —
Cap. III. De Missae auditione . . 172
Tit. IV. De quarto decalogi praecepto . 174
Cap. I. De obligationibus filiorum et parentum 175
Art. I. De officiis filiorum erga parentes . . . . . —
Art. 2. De officiis parentum erga filios 176
Cap. II. De obligationibus inferiorum et superiorum . . . 177
Tit. V. De quinto decalogi praecepto . 178
Cap. I. De occisione et mutilatione sui, et de praecepto suae vitae conservandae 179
Cap. II. De occisione proximi . . 180
Art. 1. De occisione rei . . . —
Art. 2. De occisione iniusti aggressoris 181
Art. 3. De occisione innocentis . 182
§ 1. De occisione innocentis in genere . . . . . —
§ 2. De procuratione abortus . —
Art. 4. De duello 186
Art. 5. De bello 188
Tit. VI. De sexto et nono decalogi praecepto 190
Cap. I. De notione, divisione, malitia luxuriae in genere . . . —
Cap. II. De luxuriae actibus externis 192

Pag.
ART. 1. De actibus luxuriae externis perfectis seu consummatis . 192
§ 1. Iuxta naturam . . . . —
§ 2. Contra naturam . . . 193
§ 3. De peccatis externis, quae speciem addunt peccatis luxuriae perfectis seu consummatis sive iuxta sive contra naturam . 195
ART. 2. De actibus externis luxuriae non consummatis . . . 196
CAP. III. De actibus luxuriae internis . 198
TIT. VII. De septimo et decimo decalogi praecepto 199
CAP. I. De iure . . . . . —
ART. 1. De iure in re non pleno seu de servitutibus . . . 201
§ 1. De servitutibus personalibus . —
§ 2. De servitutibus realibus seu praedialibus 203
ART. 2. De iure in re pleno seu de dominio 204
§ 1. De obiecto dominii . . . —
§ 2. De subiecto dominii . . 206
I. De dominio filiorumfamilias . —
II. De dominio uxorum . . 208
III. De dominio clericorum . . 209
IV. De dominio auctorum . . 210
§ 3. De modis dominium adquirendi 211
I. De modis dominium adquirendi originariis . . . . —
1° De occupatione . . . —
2° De accessione . . . 215
II. De modis dominium adquirendi derivatis seu translatitiis . 219
1° De praescriptione . . . —
2° De successione ex testamento 224
3° De successione legitima seu ab intestato 230
4° De contractibus . . . 231

Pag.
A) De contractibus in genere 231
B) De contractibus in specie 239
— De singulis contractibus gratuitis — . . . —
— De singulis contractibus onerosis — . . . 246
— De singulis contractibus subsidiariis — . . 264
Cap. II. De iuris laesione seu de iniuria 266
Art. 1. De iniuria in genere . . —
Art. 2. De iniuria in specie . . 267
§ 1. De furto . . . . . —
I. De furti natura et malitia . —
II. De causis furti gravitatem minuentibus 268
III. De causis a furto excusantibus 271
§ 2. De iniusta damnificatione . 273
Cap. III. De iuris laesi reparatione, seu de restitutione . . . —
Art. 1. De restitutione in genere . —
§ 1. De restitutionis definitione et necessitate . . . . —
§ 2. De radicibus restitutionis . 274
I. De possessione rei alienae . —
II. De damnificatione . . 278
III. De cooperatione . . . 280
1° De cooperatione positiva morali 281
2° De cooperatione positiva physica 283
3° De cooperatione negativa . —
§ 3. De circumstantiis restitutionis 284
§ 4. De causis a restitutione excusantibus 288
I. De causis a restitutione excusantibus ad tempus . . —
II. De causis a restitutione excusantibus in perpetuum . . 290
Art. 2. De restitutione in specie . 291
§ 1. De restitutione propter homicidium et mutilationem . —

Pag.
§ 2. De restitutione propter stuprum 292
§ 3. De restitutione ob fornicationem 293
§ 4. De restitutione propter adulterium 294
§ 5. De restitutione ob negatam militiam 295
§ 6. De restitutione ob fraudata tributa 296
Tit. VIII. De octavo decalogi praecepto 297
Cap. I. De laesione famae . . . . —
Cap. II. De laesione honoris . . 301
Cap. III. De mendacio 303
Cap. IV. De secreti violatione . . 304
Sectio Tertia. De Ecclesiae praeceptis . 306
Tit. I. De primo Ecclesiae praecepto . —
Tit. II. De altero Ecclesiae praecepto . 307
Cap. I. De abstinentia seorsum a ieiunio considerata . . . . —
Cap. II. De ieiunio seorsum ab abstinentia considerato . . . 309
Cap. III. De vetita ciborum promiscuitate 313
Cap. IV. De lege abstinentiae et ieiunii —
Cap. V. De dispensatione a lege ieiunii vel abstinentiae . . . 315
Tit. III. De tertio Ecclesiae praecepto seu de annua confessione . . —
Tit. IV. De quarto Ecclesiae praecepto seu de annua Communione Paschali 316
Tit. V. De quinto Ecclesiae praecepto seu de decimis solvendis . 317
Tit. VI. De sexto Ecclesiae praecepto seu de sollemnitate in nuptiis non adhibenda tempore vetito . 318
Appendix. De prohibitione cremandi cadavera . . . . —

Pag.

Pars Altera. De officiis quae aliquibus christianorum coetibus sunt propria seu de statibus particularibus 319

Sectio Prima. De statu laicorum eorumque officiis . . . . . —

Cap. I. De statibus ad forum spectantibus 320

Cap. II. De statibus a foro alienis . 330

Sectio Altera. De statu clericorum deque eorum officiis, iuribus et privilegiis 332

Tit. I. De obbligationibus clericorum in genere . . . . . —

Cap. I. De obligationibus clericorum negativis . . . . . —

Cap. II. De obligationibus clericorum positivis 335

Tit. II. De obligationibus clericorum in specie 336

Cap. I. De officiis clericorum in sacris —

Cap. II. De officiis presbyterorum . 342

Cap. III. De officiis beneficiariorum . 343

Art. 1. De officiis beneficiariorum in genere . . . . . —

Art. 2. De officiis beneficiariorum in specie 344

§ 1. De officiis canonicorum ecclesiarum cathedralium . . . —

§ 2. De officiis parochorum . . 347

§ 3. De officiis Episcoporum . . 350

Tit. III. De iuribus et privilegiis clericorum 351

Cap. I. De iuribus et privilegiis clericorum in genere . . . —

Cap. II. De iuribus et privilegiis clericorum in specie . . . —

Art. 1. De iuribus et privilegiis parochorum . . . . . —

Pag.
Art. 2. De iuribus et privilegiis Episcoporum 352
Sectio Tertia. De statu religiosorum deque eorum officiis et privilegiis . 353
Cap. I. De natura status religiosi . —
Cap. II. De religiosorum officiis . . —
Art. 1. De religiosorum officiis essentialibus . . . . . —
Art. 2. De religiosorum officiis non essentialibus 354
Cap. III. De regularium privilegiis . 355
Liber Tertius. De mediis seu subsidiis . 357
Pars Prima. De mediis seu subsidiis a D. N. Iesu Christo datis seu de Sacramentis . . . . . —
Sectio Prima. De Sacramentis in genere . —
Cap. I. De natura et effectibus sacramentorum . . . . . —
Cap. II. De materia et forma sacramentorum 360
Cap. III. De ministro sacramentorum . 363
Cap. IV. De subiecto sacramentorum . 368
Sectio Altera. De Sacramentis singulis . 370
Tit. I. De baptismo . . . . . —
Cap. I. De natura, materia et forma baptismi . . . . . —
Cap. II. De baptismi ministro . . 373
Cap. III. De baptismi subiecto . . 375
Cap. IV. De baptismi administratione . 378
Tit. II. De confirmatione . . . 381
Cap. I. De natura, materia et forma confirmationis . . . . —
Cap. II. De confirmationis ministro et subiecto 382
Cap. III. De confirmatione administranda 383
Tit. III. De Eucharistia 384
Cap. I. De Eucharistia, qua est Sacramentum . . . . . —

Pag.

ART. 1. De sacramenti Eucharistiae natura et effectibus . . 384
ART. 2. De Eucharistiae materia et forma 386
ART. 3. De Eucharistiae ministro seu de Eucharistia conficienda, ministranda, adservanda . 390
ART. 4. De Eucharistiae subiecto . 394
CAP. II. De Eucharistia, qua est Sacrificium 400
ART. 1. De efficacia Sacrificii Missae —
ART. 2. De celebratione Missae . 402
ART. 3. De applicatione Missae . 409
§ 1. Quibus Missa applicari possit —
§ 2. Quomodo Missa applicari debeat 410
§ 3. Quibus e causis oriatur obligatio Missam applicandi . 411
— De Missis manualibus vel ad instar manualium — . . 412
TIT. IV. De Poenitentiae sacramento . 416
CAP. I. De sacramenti poenitentiae natura . . . . . —
CAP. II. De iis quae ad poenitentem pertinent 420
ART. 1. De contritione . . . —
ART. 2. De confessione . . . 423
CAP. III. De iis quae ad ministrum pertinent 427
ART. 1. De iurisdictione . . . —
§ 1. De iurisdictione in genere . 428
§ 2. De iurisdictione in specie . 432
I. De iurisdictione regularium —
II. De iurisdictione in moniales et religiosas . . . . —
III. De iurisdictione in peregrinos, in vagos et in catholicos orientales 434
IV. De iurisdictione in navigantes —
§ 3. De iurisdictionis restrictione . 435
I. De reservatione casuum . —

Pag.

A) De reservatione casuum in genere 435
B) De absolutione a casibus reservatis episcopalibus . . 438
C) De absolutione a casibus reservatis papalibus . . . 440
II. De absolutione proprii complicis in re turpi 442
Art. 2. De forma seu de absolutione 444
Art. 3. De officiis confessarii . . 447
§ 1. De officiis confessarii in ipsa confessione . . . . —
§ 2. De officio confessarii post confessionem seu de sigillo sacramentali 453
Cap. IV. Communia confessariorum et poenitentium 459
Art. 1. De satisfactione . . . —
Art. 2. De supplendis confessionum defectibus 462
Art. 3. De complicis manifestatione 464
Art. 4. De obligationibus quae confessario et poenitenti enascuntur e sollicitatione . . 466
Tit. V. De sacramento Extremae Unctionis 472
Cap. I. Quibus Extrema Unctio consistat —
Cap. II. De E. U. necessitate et administratione 476
Tit. VI. De sacramento Ordinis . . 478
Cap. I. De natura et effectu sacramenti Ordinis . . . . . —
Cap. II. De materia et forma Ordinis in genere et in specie . . 479
Cap. III. De ministro Ordinis . . 483
Cap. IV. De subiecto Ordinis . . 485
Cap. V. De sacra Ordinatione rite peragenda 489
Tit. VII. De sacramento Matrimonii . 491
Cap. I. De matrimonii natura . . —

Pag.

CAP. II. De his quae matrimonium praecedere possunt ac debent . 497
ART. 1. De sponsalibus . . . 498
ART. 2. De bannis seu denuntiationibus et de documento status liberi 505
CAP. III. De impedimentis impedientibus et dirimentibus . . 509
ART. 1. De impedimentis impedientibus 510
ART. 2. De dispensatione ab impedimentis impedientibus . . 514
ART. 3. De impedimentis dirimentibus 515
§ 1. De lege statuente impedimenta dirimentia . . . . —
§ 2. De singulis impedimentis dirimentibus 519
ART. 4. De dispensatione ab impedimentis dirimentibus . . 540
§ 1. Quinam dispensare possint . —
§ 2. De causis dispensationum . 544
§ 3. De modo petendi dispensationes 545
§ 4. De forma in qua dispensationes conceduntur . . . 549
§ 5. De modo exsequendi dispensationes 550
CAP. IV. De celebratione matrimonii . 552
CAP. V. De matrimonio contracto . 554
ART. 1. De matrimonio valido et putativo . . . . . —
§ 1. De exceptionibus relate ad matrimonii firmitatem . . 555
I. De exceptionibus relate ad vinculum . . . . . —
II. De exceptionibus relate ad cohabitationem et torum . 557
III. De divortiis lege civili inductis 559
§ 2. De coniugii usu . . . 560

Pag.
Art. 2. De matrimonio dubio . . 567
Art. 3. De matrimonio nullo . . —
Pars Altera. De mediis ab Ecclesia editis . 571
Sectio Prima. De mediis coercitivis seu de censuris . . . . . —
Cap. I. De censuris in genere . . —
Art. 1. De notione et distinctione censurae . . . . . —
Art. 2. Quis possit ferre censuram et quaenam ad censuram ferendam requirantur . . . 573
Art. 3. Quenam a censura incurrenda excusent et quomodo censura cesset 578
Art. 4. De obligatione petendi absolutionem a censuris . . 580
Cap. II. De censuris in specie . . 581
Art. 1. De excommunicatione . . —
Art. 2. De interdicto 585
Art. 3. De suspensione . . . 589
Cap. III. De censuris latae sententiae hodie vigentibus . . . 593
Art. 1. De excommunicationibus . —
§ 1. De excommunicationibus specialissimo modo R. P. reservatis . . . . . —
§ 2. De excommunicationibus speciali modo R. P. reservatis . 594
§ 3. De excommunicationibus simpliciter seu ordinario modo R. P. reservatis 597
§ 4. De excommunicationibus *Ordinario* reservatis . . . 600
§ 5. De excommunicationibus Superioribus maioribus religionum vel Ordinario reservatis 601
§ 6. De excommunicationibus nemini reservatis . . . —

Pag.

ART. 2. De interdictis 602
§ 1. De interdictis speciali modo R. P. reservatis . . . —
§ 2. De interdictis R. P. vel Ordinario reservatis 603
§ 3. De interdictis Ordinario reservatis . . . . . —
§ 4. De interdictis nemini reservatis —
ART. 3. De suspensionibus . . —
§ 1. De suspensionibus R. P. simpliciter reservatis . . . —
§ 2. De suspensionibus Ordinario reservatis 604
§ 3. De suspensionibus Superioribus maioribus religionum reservatis 605
§ 4. De suspensionibus nemini reservatis . . . . . —

SECTIO ALTERA. De mediis impedientibus seu de irregularitatibus et impedimentis ad Ordines . . 606
CAP. I. De irregularitatibus in genere —
CAP. II. De irregularitatibus in specie 610
ART. 1. De irregularitatibus ex defectu —
ART. 2. De irregularitatibus ex delicto 611
CAP. III. De impedimentis ad Ordines . 612

SECTIO TERTIA. De mediis seu subsidiis incitantibus 613
CAP. I. De Indulgentiis . . . —
CAP. II. De Iubilaeo 619
CAP. III. De Altari privilegiato . . 621
CAP. IV. De Sacramentalibus . . 623

INDEX ANALYTICUS 627

WITHDRAWN

CATHOLIC THEOLOGICAL UNION
BX1758.S421921 C001
SUMMARIUM THEOLOGIAE MORALIS AD CODICEM
3 0311 00044 3031

BX
1758
.S42
46456
AUTHOR
1921
Sebastiani, Nicolas
TITLE
SUMMARIUM THEOLOGIAE MORALIS
DATE LOANED
BORROWER'S NAME

40.2 21,520 S443s

46456

3 0311 00044 3031